



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Tractatus Juridicus Ad Librum III. Decretalium Gregorii IX.
Clericorum in communi, nec non Prælatorum, ac
Capitulorum in specie obligationes, & jura complectens**

Scharz, Oddo

Salisburgi, 1738

[urn:nbn:de:hbz:466:1-63800](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-63800)

RTZ
ATUS
ES
17..

h
L.
860


M. II. 47.

M. III. 47.

38.

Th. 4860.





TRACTATUS JURIDICUS

AD LIBRUM III. DECRETALIU GREGORII IX.

Clericorum in communi, nec non Prælatorum,
ac Capitulorum in specie obligationes, & jura
complectens,

QUEM

SUB EMINENTISSIMIS AUSPICIIS

DOMINI DOMINI

JOSEPHI DOMINICI,

S.R.E. Cardinalis, & S.R.I. Principis, Exemptæ
Ecclesiæ Pataviensis Episcopi &c. &c.

In Alma, Archi-Episcopali Benedictina Universitate Salisburgensi

AUTHORE, ET PRÆSIDE

P. ODDONE SCHARZ,

Ordinis S. Benedicti, ex Antiquissimo Superioris Austriæ
Monasterio Cremifanensi, J. U. Doctore, Celsissimi & Reverendis-
simi Archi-Episcopi, & S. R. I. Principis Salisburgensis Consiliario Ecclesiastico,
SS. Canonum Professore publico, & Ordinario, in Celeberrima Adolphiana Univer-
sitate Fuldensi Inclytæ Facultatis Juridicæ Assessore Actuali, Notario Apostolico
publico, in Archivio Curie Romanæ Immatriculato.

Collegii S. S.

PROPUGNANDUM SUSCEPIT

Multum Reverendus Dominus

CAROLUS ISAACUS KÖNIG;

SS. Theologiæ Baccalaureus Formatus, Juris Utriusque Candidatus,
Examinatus & Approbatus.

Ad Diem 23. Julii Anno reparatæ Salutis M. DCC. XXXVIII.

Horis Ante- & Pomeridianis.

P A R S P R I M A.

S A L I S B U R G I,

Typis Joannis Josephi Mayr, Aulico-Academici Typographi p. m. Hæredum.

TRACTATUS IUDICII

LIBRUM III. DECRETALIUM

REGULI II.

Tractatus in consuetudinibus non Patrimonialis
de Capitulationibus in specie collationibus & Jura

complectens

de A. B. C. de A. B. C.

DOMINI DOMINICI

JOSEPHI DOMINICI

de A. B. C. de A. B. C. de A. B. C. de A. B. C.
de A. B. C. de A. B. C. de A. B. C. de A. B. C.

de A. B. C. de A. B. C. de A. B. C. de A. B. C.
de A. B. C. de A. B. C. de A. B. C. de A. B. C.

RODOLPHUS SCHEER

de A. B. C. de A. B. C. de A. B. C. de A. B. C.
de A. B. C. de A. B. C. de A. B. C. de A. B. C.
de A. B. C. de A. B. C. de A. B. C. de A. B. C.

Handwritten notes and signatures in the lower section of the page.

Al. Die 22. Jan. 1772

PARIS PRIMUS

IN VENTU

de A. B. C. de A. B. C. de A. B. C. de A. B. C.

EMINENTISSIMO, & CELSISSIMO

PRINCIPI

DOMINO DOMINO

JOSEPHO
DOMINICO,

S. R. E.

CARDINALI,
EXEMPTÆ ECCLESIAE PA-
TAVIENSIS

EPISCOPO,

ET

S. R. I. PRINCIPI,

EX ANTIQUISSIMA, ET ILLUSTRISSIMA
PROSAPIA

S. R. I. COMITUM DE LAMBERG

&c. &c.

Domino Domino Suo Clementissimo.

EMMENTISIMO CARISSIMO

PRINCIPALI

DOMINO DOMINO

JOSEPHO

DOMINICO

S. R. E.

CARDINALI

EXEMPTAE ECCLESIAE PA-

VAUENSIS

EPISCOPO

ET

S. R. E. PRINCIPALI


EX ANTIQVISSIMA ET ILLUSTRISSIMA

PROVINCIA

S. R. E. COMITUM DE LAMBERG

et c.

Domino Domino suo Generosissimo



EMINENTISSIME PRINCEPS.



AD verendum Tuæ purpuræ ful-
gorem, **EMINENTISSIME PRIN-**
CEPS, ipsa plus, verecundiùsque pur-
purâ non erubescerem modò, sed
expallescerem planè, ac tanti splen-
doris radio exterritus, ab attentandi
accessûs ambitu arcerer; nisi scirem,

) (3

ru-

rutilantem Auroram Siderum Principis Ostiariam esse,
& fores pandi, sese denuo orbi impertituri Solis, dum
purpureum illa per Cœli atria expandit amictum. Con-
chylatâ equidem trabeâ paludatus, in Augustali glo-
riæ, supremos inter Ecclesiastici Senatûs Proceres con-
sistens, venerabundum in Te orbem convertis; tan-
tum tamen abest, ut hic EMINENTIÆ gradus excel-
sum Tuum animum, quo supra Te assurgens, eminenti-
or Te ipso, omnem altitudinem suavi Comitatus de-
primis, suo gradu & statione dimoveat: ut pulchra,
potius Pyramidis epigraphe: *Quò altior, eò minor*, cum
gloriæ augmento insigniat. Infirmatum siquidem, in-
firmarumque nonnisi mentium id symptoma est, au-
gustiore togâ elevari, inflarique. Tu autoritate nunc
major, virtute idem, idem Clementia, & demissione
semper mirifica, aditum, scio, non negabis, non ne-
gabis Patrocinium, quod præsentis Thesium Libello
Tuis adgeniculatus pedibus supplex hic Libellus effla-
gitat: præterquam enim, quò summus non respuas
infima, probè gnarus, Tuis nihil dignum posse meri-
tis reperiri: quò impenso studio, in quos gratias di-
spenses, venatum eas; ipse etiam admirabilis ardor,
quo justitiæ, legumque Religioni tuendæ nunquam,
non soles adesse, in spem tam certam, quàm audacem
& exorandi, & impertiendi Clementissimi Præsidi-
i impellit.

Nec est, quod posthac in ruborem, aut metum,
me conjiciat, quod in his Thesibus aut indecorum, ac
informe ad obscuritatem, aut humile ac tenue ad vi-
litem, dum purpurata Tua Majestas, in qua nihil non
emi-

eminens: Tua Virtus, in qua omnia summa: Tua Nobilitas, in qua nihil non illustre, omnem gratiam abundè conciliant, omne pretium largissimè superaddunt. Ea sola, quæ Illustrissimæ Tuæ Prosapiae propria sunt, tanta sunt, ut Orbem, & Urbem gloriosa fama, Religionis, Sapientiae, Fortitudinis, omnigenæ Virtutis, ac meritorum admiratione adimpleant. Quid enim? ignorat Ecclesiarum Antistites, mitrâ verendos Præpositos, Decanos, quos Juvavium cum Patavia ostentat: ignorat Episcopos, Archi-Episcopos, Cardinales, quos Labacum, Frisinga, Seccovium, Gurcum, Praga, ipsaque Roma conculcant, totâ Germaniâ notissimos, hos, inquam, ignorat, qui Tuam Familiam nescit: qui hanc novit, scit jam à Sæculo Undecimo Primæ Dignitatis Toparchas, Primos Aulæ, ac Arcanioris Consilii Ministros, Supremos Cameræ, Supremos Aulæ, Venationum, stabuli Præfectos: scit Legatos, Belli Heroës, Supremos Mareschallos, Provinciarum Præsides & Capitaneos, scit denique Landgravios, Aurei Velleris Equites, S. R. I. Principes, numerosa non minus, quàm lucidissima LAMBERGICÆ DOMUS sidera: quorum singuli quales, quantique Ecclesiæ, Imperii, Patriæque Atlantes cum immortalis suæ gloriæ fama exstiterint, temerarius mehercule sim, si dicere attentem, qui cogitando vix unquam assequar: satis id Roma, satis Cæsar, & cum Orbe Christiano memores Historicorum calami loquuntur. Illud audacter subnecto, quòd, cum ubique ac in singulis occurrant, quæ eminere possint, Decus eorum prope sit infimum, tam sæpè fuisse supremos.

At-

Atque hic tantus Profapiae splendor, generisque claritas, cum apud populum aequè ac optimates, Summósque Principes plurimum momenti ad reverentiam, plurimum ponderis ad auctoritatem maximam conciliandam habeant, nemo non intelligit, quanta Tu, quem tanti Majores, suorum decorum hæredem faciendo, Majorem voluerunt, & Nominis gloriâ effulgeas, & prævaleas auctoritate. Præes Diœcesi, cujus amplitudo in plures extensa Provincias, plurium Diœcesium terminos adæquat, plurium Episcoporum capax, Unum Te respicit, Tua Unius Eminentissima amplitudine impletur, crescitque capto felici omine ex Tuo Nomine.

Jam verò cum in Purpuratorum Patrum cætum, tanquam stellatum Sanctæ Ecclesiæ cætum elevatus, hujus portas, adversus portas inferi novo Cardine Novus Cardinalis corroboret, in eo per hoc ipsum Dignitatis Gradu collocatus es, qui ita omnibus numeris est absolutus, ut ultra, quem aut numeres, aut superes, nullus omnino superet, nisi illa Tricoronis Tiara in Caput Tuum descendat, & coronidem humanæ fastigio gloriæ imponat. Dum autem Dignitatem Gradus glomerato gressu percurrens honorum Zodiacum ita feliciter emetiris, id immensum Tua auget præconia, hunc, quem tenes, sublimem apicem, non alteri à Te deberi, quàm Tuis Virtutibus, non alios habuisse promotores, quam Tua, quæ quotidie in emolumentum Ecclesiæ promovet, & auges, merita. Et quamvis honoris minimè appetens, contentus agere semper immortalis cedro digna, ob eam
ta-

tamen causam Eminentissimus esse non renuis, ut
Virtutes extollas & ornes, quæ Te ornant: idcirco
CARDINALEM Te putas, ut eas fulcias, quibus
insistis: & *Montes domesticos* altiores hoc gradu efficis,
ut loco propiore cælo Tuæ *Aquila* gentilitiæ nidifi-
cent: Ascendis, non ut emineas, sed ut necessitatem,
quam Tua Tibi *Scala* imponit, ad usque perfectionis
culmen sequaris. Exhauriret magnum Oratorem,
fermo de his, quæ Te huic Dignitati præparârunt;
siquidem, quam sui effigiem PAULUS in Episcopo
adumbrat, eandem in Te cum vivis coloribus expres-
sam Petri nuper Successor BENEDICTUS XIII. con-
spexit, effigiem ab effigiato nihil discriminans, im-
mortali encomio Te APOSTOLUM compellavit,
atque ita compellando Romanæ Te purpuræ ante
purpuram inauguravit, renuntiavit Te Cardinalem,
antequam fuisti renuntiatus, & pene, antequam esses,
jam eras, quia esse promerebaris, prius quam eras de-
claratus. Illa namque cura, & vigilantia, pro grege
Universo, illa Pastoralis sollicitudo pro ovibus singulis,
illi assidui, incredibiles, & verè Apostolici in Vineâ Do-
mini labores, ille in promovendo cultu Summi DEI
summus ardor, ad eò mirabilem Tui efficiunt Histo-
riam, ut, quas tam numero, quam magnitudine res
memorandas Unus gessisti, multorum sanè facta nemo
non credat. Non texo panegyricum, es ipse Tui en-
comiastes etiam tacitus; illi verò, qui stupenti poste-
ritati omnium sunt testes, eò veraciores, quia ocula-
res, produnt memoriæ, peragrâsse Te sæpè Dicece-
sin, haud absimilem Abrahæ, lustranti terras, & astra
numeranti: ita iniisse Te numerum subditi gregis, ut

)()

nul-

nulli propemodum ovi ignotus, nulla Tibi ovis ignota: ita explorâsse Te fidem credentium, ut etiam minus fideles in fidem recepti, saniora receperint, postquam *ducenties supra milles* tum fidei rudimenta rudioribus per Catechesin, tum sanctioris vitæ dogmata, instructioribus per exhortationes variis in locis tanta cum energiâ, quanta patientia, nec minori spiritus fervore, quàm labore instillâsti. Et sanè, ubi sacra hæc negotia negotiabaris, visæ fuerunt urbes, oppida, agri confluere, pióque studio certare, ut quisque Tuo ex ore posset verba salutis haurire, haud secus, ac si crederent, non satis firmiter se credere, nisi ex tua fide crederent: nec satis Christianè vivere, nisi ex Tuæ vitæ exemplo ac Doctrinæ norma vivendi normam condiscerent. Unus hic labor fatigare meritò poterat, totam zelosissimi cujusque industriam, quia toti, & animi & virium contentioni incumbit; Tu verò isthoc perfunctus vix partem Ministerii impletam ratus, alium super alium indefessâ operâ concatenâsti, eò quidem consilio, ut quo minus tuæ quieti, eò certius salutem animarum consuleres. Enimverò ne exspiraret fides, quam pia instructione inspiraveras, laborem quoties labori non addidisti? dum **NONGENTIES, SEXAGIES, QUINQUIES MILLE AD NONGENTOS OCTOGINTA DUOS**, sacro *Confirmationis* Chrysmate, quot Christi asseclas, tot fidei milites, Domino exercituum authorâsti? atque hos quidem omnes *Octingentis quadraginta* interpolatis vicibus in robur, & spiritûs fortitudinem sacro oleo consignâsti; vices autem ita interpolatus, ut omnes, ac penè omnium impleres, Summi etiam Christi Vicarii Vicaria potestate

bis

bis centies septuagies novies in conferendis sacris Ordini-
bus functus, *sex millibus ac sexcentis* plures habuisse di-
ceris, quos in Clericorum varios Gradus Pontificali
dexterâ inferuisti: hicque Tuus est in labore Ordo, &
labor in ordine, ille tam assiduus, ut penè æternus,
hic tam cumulatus, ut propè infinitus. Imitari quo-
que Solem amabas; quemadmodum enim hoc Sidus
aliàs sui imagines patitur, séque libenter intuetur,
etiam dissimilem sibi, ita tu viginti diversi Ordinis Ab-
bates, Episcopalis tuæ Dignitatis, quasi imagines, mi-
træ pedoque inaugurâsti, & veluti in his tuos radios
amas, sic isti felices se putant, Tui Solis esse umbras.
Verùm creâsti & Tui idæas, ut Sol parelia, dum,
ALOYSIUM, dein ANTONIUM FRANCISCUM,
modernum Reverendissimum Suffraganeum, Episco-
pos consecrâsti Tibi ad eò suppires, ut eodem Ille tam
charactere, quàm sanguine Frater: Iste tum agnato
Nomine Propinquus, tum in Officio Vicarius Tui si-
militudinem gerat. Porrò post consecratos homi-
nes, consecrâsti etiam DEO lapides, & novos unâ
labores Tuos, quos in dedicandis *centum viginti qua-*
tuor Ecclesiis operosa functione exantlâsti: sexies de-
misso in fundamenta primo lapide ædes Divino Nu-
mini excitandas initiâsti: Sexcenta supra duo & tri-
ginta Altaria fixa: Portatilia autem ter centum: du-
centos tredecim Calices: sacre supellectilis instru-
menta bis centum & unum ad octuaginta, præter ter
centum septuaginta & octo Campanas consecrâsti:
atque haud scio, an ab alio libentiùs consecrationem
admittere voluerint, quàm ab eo, qui ita semper erat
in Sacris, ut ante Oleum jam Sacer. Quanta hæc
fint,

sint, videre possunt etiam illi, qui cæteroquin parùm vident; at majora longe forent, si his in una Passaviensi Diœcesi à Te peractis, illa *Seccoviensis* Pontificatûs decennali labore patrata Apostolici muneris facinora jungerentur: Eminentissima etiam forent, si reliqua, quibus Te ipsum, Tuâque omnia Divino Numini sacram victimam immolare consuevisti, accederent. Hunc tamen sacrationem virtutum Thesaurum prohibente Tua modestia publico non audeo proditum ire præconio, eo minus deprædationi obnoxium, quo magis in animo, cum Augustino, *de toto DEO, divite, reconditum*. Quare omitto hic commemorare, quòd cum ipse quotidie ad Aram rem Divinam facias, quotis insuper diebus, dum alii sacris operantur, intersis: quòd etiam non tantùm ter centies octagies Missarum Solemnia Pontificali habitu peregeris; sed pari præterea apparatu Sacrum Pontificale perpetrantibus quinquies ad nonagies Minister adstiteris, extollere supersedeo; illud tamen præterire minimè debeo, quòd cum centenis plura florenorum millia in Ornamenta Tuæ Ecclesiæ, æris thesaurum in augendum Ejus sacrum thesaurum convertisti, ita honorâris Cælites, ut honorem merearis; ita Beneficiis SS. Evergetas cumules, ut quos Patavienses agnoscunt Patronos, eorum Tu ferè Patronus appellari possis. Lubens equidem per plura, quæ plurimum huc facerent, Virtutum Tuarum magnalia irem, cum verò taceri quàm narrari malis, universa profundo silentio reveor. Quæ si etiam indulgeres recitari, efferrem ea parum decorè, explicarem, non tamen possem satis magnificè: si etiam magnificè, certò non pro ea,
cum

cum qua nihil non agis, Amplissima, & Eminentissima laude prædicarem. Satis superque ex purpurato illo ore, quod Te *nulli Episcoporum Germaniæ Pietate, Scientiâ, Zelo secundum* palam edixit; satis ex Regum, Galli, Poloni, Sardi ad Te litteris constat, non errasse Romam, si unquam posset, aut suo amore, quo Tuas Virtutes pridem complectebatur, aut suo iudicio, quo Te galorum rubeum, antequam obtineres, promeritum, censuit, & nunc dignissimo Tuo capiti impositum gaudet. Atque eapropter ipsæ etiam Theses meæ, tantum, Talémque Patronum reperisse, immortalis gaudio exultant, ex cuius Nomine ac Numine, Nobilitate, Dignitate ac Virtute, uberrimè habent, quidquid gratiæ ad splendorem, quidquid pretii ad existimationem, quidquid denique auctoritatis ad securitatem, exoptare ambitiosissimo voto possint.

Verùm argumentum, quod complectitur, haud sane minus evincenti fuit argumento, ut non alterius sese aptius insinuari pateretur, quàm Tuo Sacratissimo sinui hoc qualecunque opusculum. De Clero, ejusque Obligationibus, Officiis, Beneficiis ac Juribus hic agitur: jam verò cum Cleri sis æquè Judex ac Prælati, cujus est dictare jura, & dispicere, conferre beneficia, & retinere, præscribere pariter Officia ac ab eis proscribere, legis dare gratiam, eadémque attinere, ac totum denique id decernere, quod Decretales, decernunt, ad Te utique hoc genus Scriptionis referendum est, quem in genere Prælatorum tam specificè refert, ac in specie juris tenacium tam propè attingit. Præterquam enim, quòd Reverendissima Tua Dicastria SS. Canonum Religione ita circumvallave-

ris, ut in nullis castris munitiores, in iis quasi in propriis sedibus non Domesticari, sed regnare omnino videantur: Tuæ insuper Epistolæ *Pastorales*, dicam an, *Decretales*? Quibus Paræciarum Curatores vel Juris aut Officii sui comones, quid aliud sunt, quam Epistolæ & propè *Bulle Pontificiæ* ac *Jus Canonicum* in Epitome: Testis omnium locupletissima est illa typis, & Pastoralis Curatorum Curæ impressa, quæ pro Tuo Zelo deformia ita reformat, ac distorta restaurat, ut hujus tertii Decretalium Libri primum Titulum, *de vita & honestate Clericorum* meritissimo Titulo inscriptum præferat: quod autem ibi verbis, hoc efficacius ubique doces Apostolico exemplo, ipse rectissimus Universo Tuo Clero vitæ Canon; dum vel privato vivendi tenore, publicum Ecclesiæ Doctorem, ac Pontificum in jure sanctiones Sanctissimis moribus profiteris, quod sanciant, exequeris, quod mandant, hoc vivis. Hæcque Tua tum vitæ, tum exempli doctrina tot creat in Tuo Clero Juris Canonici Studiosos, quot Animarum Curæ Præfectos, dum nemo gravissimi muneris Administrator idoneus Tibi probatur, nisi qui de vita, & honestate idoneum, ac probatissimum tulerit suffragium. Cùm ergò Prælatorum sis Prælatus, Cleri speculum, & cynosura, juris & legum Dictator, SS. Canonum acerrimus vindex æquè, ac Custos sacerrimus, quo jure, vides, hanc juris partem, cujus in Te jus Totum est, purpurato Tuo Nomini consecrare sustineam. Quamquam vel solus, quo litteras deperis, amor, causam apud Sapientiam Tuam ita feliciter peroret, ut temeritas mea Tibi, PRINCEPS EMINENTISSIME, non possit non esse excusata, atque

que hic labor noster vel eo solo nomine, quia Litterarius est, non reddi gratissimus; ex illorum siquidem numero es, qui, cum ipsi ingenii gloria præcellant, pretiosum censent, magnoque in numero habent, quidquid ingenio editum, quidquid Scientiarum erudito orbi propinatur. Quo in rem Litterariam affectu feraris, vel inde perspicuum est, quod horas fermè omnes, quas à sacris negotiis immunes lucraris, doctæ librorum lectioni immerfus, perdius teras, ac pernox penè comburas: plura evolvis volumina, quàm alii nòrint, doctrinas singulares consignas notis, quarum singulas vix feri posterì deprehendent: capax ingenium offers scientiis, infundunt se illæ totæ, nec tamen sic ejus magnitudinem implent, ut non locus sit pluribus, & dum omnes exhauris, quasi omnium expers, ardentissimo studio investigas. Verbo deliciaris in libris, quantum vix illi, qui hos oderint, in rebus jucundissimis supparasitantur, ut planè nesciam, hisne vis major inferatur, cum libros ad manum sumant inimici, an Tibi, cum eos è manu dimittas amicus: quod utique tum satis ostenderas, dum comite illustri turba venatum egressus, in silva pro venabulo libellum petisti, quàm inanis oblectamenti tædio, tam potissimum doctrinæ studio, memineris nimirum illud Sævedræ: *Nullum esse, cui Sapientia magis conveniat, quàm Principi, cujus doctrina omnibus debet prodesse subditis.* Atque hoc ipsum esse credo, quare Episcopalem Bibliothecam à PATRUO TUO doctissimo Cardinale splendidissimè instructam, quanto æris, tanto curæ, utroque summo impendio quàm magnificentissimè locupletatum eas, dum octo, & quod supra est, millibus

li-

librorum numerum jamjam auxisti, & quamvis crescat in dies singulos eorum copia, posses tamen augere pluribus, si Te ipsum explicares, posses doctioribus, si Tuas, quibus *nulli secundus* es, scientias, in libros transcriptas cupienti orbi aperires. Et ne tantam supellectilem librariam ostentationi apparatus quis credat, adeò frequens accedis, tam solerter uteris, & studiosè perlustras, ut in tanta librorum multitudine paucos intactos, nullos incognitos Tua Sapientissima industria relinquat. Quid mirum, si Tuus est sermo, qualis foret Sapientiæ; si Tui, qui litterarum sunt, familiares: Tui Consilarii, Tui in Tribunalibus Ministri: in Ecclesiis Vicarii, qui Scientiarum sunt Doctores; hos amare, hos fovere, ferrèque in oculis, ut in finu Sapientiam, Soles, quos noveris rei litterariæ cultores. Sint jam Theses, quas hic offero, minus splendidæ, minus pretiosæ, quia tamen de Prælatorum jure, & litterarum genere, non potes rem proximè Te respicientem benigno favore non respicere, aut Tuo Patrocinio destituere, cujus tanto afficeris studio.

Hæc quidem Tua decora tam eximia, tamque singularia non alliciunt modo, sed & fortiter urgent, & suaviter suis momentis trahunt, ut Theses præsentis TUÆ EMINENTIÆ tholo acclines, Tibi, PURPURA TE PRINCEPS, Tuisque Clementissimis Auspiciis studiosissimè commendem: præter hæc tamen, quæ communem Te omnibus faciunt, etiam privata subsunt cæteris hominibus occulta Tibi, mihi que perspecta rationum pondera, quæ, ut EMINENTISSIMO TUO NOMINI hæc folia inscriberem, mèque unà totum devoverem, imperarunt. Si qua enim ingenio
meo

meo à Theologico studio accessit cultura, aut si quis
respondit quinquennali labori progressus, aut si quem
ex Sacrationi hac disciplina, cui ex vocationis meæ præ-
scripto me tradidi, hætenus seu consecutus, seu futu-
ro etiam quovis tempore consecuturus sim fructum,
hæ res omnes EMINENTISSIME MECÆNAS inte-
gerrimè Tibi referendæ sunt in acceptis; & quamvis
hic iterum mihi pugna sit cum Tua modestia, cui ea
gnoma est insita: benè mereri de aliis, & nolle laudari;
conferre beneficia, & velle ea nesciri: at leges etiam
suas habet grati animi virtus, quæ æstimari beneficium,
explicari foris, & referri, saltem verba præcipiunt.
Hinc ex æquo haud foret conditio, si, dum gratiis lo-
queris, mihi imperares silentium, si, dum exerces pul-
cherrimam virtutem, talem nolles exerceri à me, qui
Viennæ quinque ipsos Annos ad usque emensum Theo-
logici studii mei cursum altrice Tua munificentia Cle-
mentissimè inter Alumnos tuos fui sustentatus. Avus
præterea meus, qui à Te pariter, ac Patruo Tuo, utrò-
que Eminentissimo Principe, & Cardinale variis Præfe-
cturis admotus, pleno alveo in se gratias ac beneficia
fluxisse nunquam non memori mente meminit, me sui
partem, in debitorum partem trahit, ac Tuæ Clemen-
tissimæ beneficentiæ redundante Nomine obæratum
reddit. Hoc proin impræsentiarum ago potissimùm,
ut Tibi gratias agam: referre enim si cogitem, tam li-
mites facultatis meæ transirem, quàm Tuæ felicitati,
cujus dare est, non accipere, imò & liberalitati injurius
forem, quæ non dat beneficium instar pilæ, ut redeat,
nec quasi sementem, ut Tibi crescat; sed ut liberale
munus, non avarum fœnus; Ex tholo ergo EMINEN-

)()()()

TIÆ

TIÆ TUÆ hunc Libellum pro grati animi anathemate suspendo; tenue quidem munus, & nulla re, nisi Tui Nominis magnitudine conspicuum, publicum tamen ac perenne gravissimæ meæ erga Te obligationis testimonium. Admitte illum, & unà humillima ac submississima vota mea, quibus, ut Tuæ Purpuræ, Ecclesiæ, ac Reipub. Christianæ diu fulgeas, Téque DEUS pro Amplissimis Tuis meritis, ac virtutibus longævum & incolumem præstet, in profundissima subjectione precor ac voveo, qui vivo.

EMINENTIÆ TUÆ

Infimus ac Subjectissimus

CAROLUS ISAACUS KÖNIG.

AP.

APPROBATIO

S. FACULTATIS THEOLOGICÆ.

Velut Fortis Bellator, accipiens *Armaturam DEI*, rursus in arenam prodit Clarissimus Author, juxta Apostoli (*Ephes. 5.*) hortatum, *succinctus lumbos in VERITATE, & indutus Loricam JUSTITIÆ, & calceatus pedes in preparatione EVANGELII Pacis, in omnibus sumens Scutum FIDEI, in quo possit Tela Antagonistæ sui ignea extinguere, & Galeam Salutis assumens, quod est VERBUM DEI.* Prodeat igitur in lucem publicam etiam *Tra&atus hic, Partem I. Libri III. Decretalium* complexus, qui argumentorum pondere solidissimus, styli claritate nitidissimus, eruditionis apparatu instructissimus, ita nihil ECCLESIAE nostræ ROMANO-Catholicæ adversum continet, ut potius Ejusdem JURA invictissimè asserat, atque Adversarii Summis etiam Capitibus protervè insultantis temerarios assultus fortissimè repellat. Ita censeo

P. CORBINIANUS THOMAS,
Ord. S. Bened. Imperialis Monasterii Elchingani Professor, SS. Theologiæ Doctor, ejusdemque in Scholasticis Professor Ordinarius, Celsissimi & Reverendissimi Archi-Episcopi & S. R. I. Principis Salisburgensis &c. &c. Consiliarius Ecclesiasticus, Almae Universitatis Vice-Rector, & S. Facultatis Theologiæ p. t. Decanus.

AP.

APPROBATIO INCLYTÆ FACULT. JURIDICÆ.

Postquam Clarissimus Author duos priores Decretalium Libros suis elucubrationibus, quas Eruditi æquè, ac erudiendi avidissimè exceperunt, sua singulari industria, & doctrinæ perspicuitate illustravit, simulque à calumniis ejusdam heterodoxi stylò & pilò, ad hostis internecionem, vindicavit; aggreditur hac prima parte, cum *Compilatore Raymundo*, Librum III. ac non modò eadem, qua antehac, *penna forti*, & acuta, hunc avitæ Religioni nostræ, Ejusque Hierarchiæ, insultantem osorem, quaquaversum, & verò maximè in *prolusorio* certamine, fodicat, & jugulat, ejusque procacitatem, quacunque prodit, obtundit; Verùm pari quoque & eruditionis, & soliditatis præstantiâ sacros Decretalium Canones ità explicat, eamque illis lucem ubique aspergit, ut partus iste non minùs tam luce publica ad propagandam latiùs Clarissimi Authoris gloriam; quàm Academica Concertatione, ad demonstranda in arte boni, & æqui hausta præclara specimina Nobilissimi D. Defendentis, dignissimus censeri debeat. Ita sentit

FRANCISCUS JOSEPHUS DE HERZ
IN HERZFELD, J.C. Celsiss. ac Reverendiss. Archiepiscopi, & S.R.I. Principis Salisburg. &c. &c. Consiliar. Actualis Intimus, Juris Publ. Naturæ, & Gentium, nec non Codicis Professor Ordin. ac Inclytæ Facultatis Juridicæ p. t. Decanus.

DIS-

DISSERTATIO PRÆAMBULA

AD

LIBRUM III. DECRETALIUM

DE

Vera, & falsa conscientiae libertate.

LUSTUS HENNINGIUS BOEHMERUS, celebris ille Juris-Consultus *Hallensis*, Commentario suo ad *Librum III. Decretalium* Dissertationem præmittit *de jure circa libertatem conscientiae*. Antiqua jam hæc est cantilena, vetustissimis Hæresiarchis cantata; novissimis porro temporibus in Germania, præcentore MARTINO LUTHERO, rursus in usum revocata, infelici, prò dolor! animarum plurimarum infascinatione. Nobis, quanquam fallax hoc choreuma aures haud quaquam demulceat, vel ideo tamen surda aure prætereundum non esse arbitramur, quod è re Ecclesiae Romano-Catholicæ fit, Gnosticorum nostri ævi errores detegere: hi quippe depravationibus suis, tantum abest, ut Catholicorum luminibus officiant, ut lumen etiam, quod illorum cordibus desuper illapsum est, abundantiori fulgore resplendescere faciant. Nam, ut scribit S. Augustinus *lib. de vera Religione*. *Hæretici plurimum profunt, non verum docendo, quod nesciunt, sed ad verum quærendum carnales, & ad verum aperiendum spirituales Catholicos excitando*. Ideam subinde *de libertate conscientiae à Boehmero*, temere conceptam sub incudem revocare stat animo, ea quidem sanctissima intentione, ut, detecto errore, heterodoxi, qui ipsi sibi fomnia fingunt, tandem expergiscantur, & auream, quâ nos orthodoxi fruimur, conscientiam

A

scien-

scientiæ libertatem ambabus ulnis prehendere, remis, velisque contendant. *Qui enim dolemus* (loquimur cum Tertulliano lib. 4. ad Scapulam cap. 1.) *de ignorantia vestra, & miseremur erroris humani, & futura prospicimus, signa eorum quotidie intentari videmus; necesse est, vel hoc modo erumpere ad proponenda vobis ea, quæ palam non vultis audire.* Si nihil proficimus, dormiant, per nos licet, Endymiones hi infelicissimi in utramque aurem, loquendum deinceps erit vigilantibus, ut ne intrent in tentationem. *Utamur ergo etiam hæreticis* (S. Augustinum cit. lib. loqui scitote) *non ut eorum approbemus errores, sed ut Catholicorum disciplinam adversus eorum insidias asserentes, vigilantiores, & cautiores simus, etiamsi eos ad salutem revocare non possumus.*

§. I.

Erroneus Bœhmeri conceptus de Libertate Conscientiæ exponitur.

S U M M A R I A.

1. Conscientia definitur à Bœhmero, & exponitur.
2. Alia est antecedens, alia consequens, utraq̃ue vel recta, vel erronea.
3. In dubiis conscientia peritorum consilia querere, consultum non esse ait, & cur?
4. Quæ sit recta conscientia, propter diversa hominum studia non facile decidi potest.
5. Ex S. Scriptura, vel iudicio Ecclesiæ ejus decisio non recte petitur.
6. Quia ejusmodi leges ad intellectum non possunt penetrare.
7. Bœhmerus conscientiam suam ab errore purgare vult.
8. Libertas conscientie certissima norma agendorum, vel faciendorum constituitur.
9. 10. Objectionem subjuncta sua resolutione proponit.
11. Libertas conscientie triplici argumento firmatur.
12. Aliquamdiu in Germania sub jugo Pæpæ dominatus pressa jacuit.
13. Tandem per Transactionem Passaviensem, Pæcem Religiosam, & Instrumentum Pacis Westphaliæ compedibus soluta fuit.

Antequam aureum Libertatis pomum Conscientiæ consecret Bœhmerus, ipsius Conscientiæ, & Libertatis genuinam indolem, & rationem eruendam esse, scribit §. 4. Conscientiam subinde in §. 5. describit, quod sit argumentatio, seu iudicium hominis de actionibus suis secundum leges, aliásque normas obligatorias institutum, ut

earum bonitatem, aut pravitatem inde colligat. Hanc porro definitionem sic exponit. I. Conscientia præsupponit notitiam accuratam factorum propriorum. II. Etiam Scientiam normæ illius, ad quam euilibet vitæ suæ actus exigendi sunt, maximè verò in hoc interno tribunali normam constituunt præter leges naturales, & positivas, præcepta virtutum

Erroneus Bœhmeri conceptus de Libertate &c. 3

amoris, honestatis, pietatis, & præcipue Religionis; hæc enim, inquit, potissimum mentes hominum constringit, occupatve, ut actiones suas secundum ejus regulas, & præcepta componere studeant, & an compositæ, & ad eas formatæ fuerint, judicent. In hoc igitur conscientiaë tribunali, quod etiam *forum internum* audit, quisque sui ipsius Judex est, & semetipsum vel absolvit, si actiones suas ad præscriptam normam compositas reperit; aut si easdem à dicta norma deviâsse animadvertit, sententiam condemnatoriam adversus seipsum pronuntiat, & in hac sui ipsius discussione, & ratiocinatione *Conscientia* consistit.

2. Conscientiam sic descriptam dividit §.7. in *antecedentem, & consequentem*. Illa *facienda* dirigit, & imperat; hæc *facta* tum *interna*, tum *externa* secundum normam præscriptam examinat. Utraque potest esse vel *recta*, vel *erronea*. Hanc oriri ait vel ex falsis principiis, secundum quæ mens examen instituit, vel ex *factorum*, aut *faciendorum* superficialia, vel falsa inspectione, dum *facta*, vel *facienda* aliter menti ex impulsu voluntatis repræsentamus, quam revera sese habent. Homines enim naturæ corruptæ vitio non semper *facta* vel *facienda* secundum rei veritatem examinant, sed ductu concupiscentiarum suarum pessimè, minusque rectè inspiciunt.

3. Sed quid, si dubitatio circa ipsa principia oriatur, ad quæ examen actionum nostrarum instituendum est, v.g. an hoc vel illud prohibitum sit? eritne tutum peritiorum Consilia audire, & sequi? Nequaquam, respondet Bœhmerus, quia ejusmodi consultores (in-

quit §.8.) tantum in *Thesi*, quid permisum sit, non etiam in *hypothesi*, ostendere possunt, nam, cum de intentione, & interna mentis operatione alterius judicare non possint, quippe, quæ secretorum cognitio soli DEO relinqui debet, ideo admodum intutum est, ab aliis, quid salva conscientia fieri possit, Consilia petere. Pontificiorum hi laquei sunt, quibus conscientias irretiunt, & sub prætextu consiliorum laicis fræna injiciunt, ut de quæstionibus, tangentibus conscientiam, decernere non possint, sed à Cleri deciso & arbitrio dependere cogantur. In quem finem ab ipsis *Judicia Ecclesiastica* instituta sunt, quos Protestantes deinceps incautè imitati sunt, cit. §.8. similiter Consistoria, & tribunalia Ecclesiastica constituentes, in quibus à Theologis causæ, & casus Conscientiaë, exclusis laicis, tractabantur. Verùm *Male, Conscientiis partium consulitur bis remediis COACTIVIS, judicii propriè dictis, cum per viam DOCTRINÆ potius iis consulendum esset*. Remedia enim *coactiva* Conscientia respuit. Ecce Bœhmerus jam parturiens loquitur: paulò post pulcherrimus factus, *Conscientia Libertas*, in lucem prodibit.

Norma agendorum (pergit in §.9.) 4 ipsa Conscientia *recta*, esse debet, quia hæc sola secundum veritatem principiorum, & *factorum*, vel *faciendorum*, rectè judicat, propter diversa tamen hominum studia hæc *Thesis* in praxi multis innodata est difficultatibus, dum quisque suam Conscientiam putat esse *rectam*, quam alii forsan *erroneam* ajunt, si vel maximè judicio plurimorum, magnæ auctoritatis virorum, comprobata sit. Quam judiciorum dissonantiam

inde nasci autumat, quod quælibet societas Ecclesiastica suos habet affectas auctoritate præditos, quò fit, ut, qui sunt de illa societate, & communione, cùm secundùm suorum Magistrorum principia judicent, suasque actiones metiantur, *rectam* se Conscientiam habere arbitrentur, quia nimirum illa principia *recta*, *sanaque* esse credunt; quos tamen illi, qui doctrinam è diametro oppositam tradunt, & diversis principiis innutriti sunt, in magno errore versari dicunt, se verò tantùm *rectam Conscientiam* tenere arbitrantur. Sic negant Pontificii, Clericos salva Conscientia uxores posse ducere, affirmant Protestantes.

Judice ergo opus esse videtur, qui diversissima hominum judicia ad *rectam*, veramque normam deducat. Verùm quis ille Judex? Num *Sacra Scriptura*, & *recta ratio*? Omnes quidem (inquit Bœhmerus §. 10.) hos judices agnoscunt, postulântve: sed quis horum judicum sensus sit? cespitant, hærent, fluctuant, & de eo potissimum contendunt. Quilibet suam interpretationem *sanam*, *veram*, & Analogiæ Scripturæ Sacræ conformem esse ait. Ergo rursus alio judice opus erit, qui mentem *Scripturæ Sacræ*, & *juris nature* declaret, determinétque? sed quis ille? Pontificii, inquit, *hoc judicium deserunt Ecclesiæ, hoc est, vel Pontifici, vel Concilio nationali, aut universali: nam etiam ipsimet sibi non constant in hac doctrina, ut præsens Controversia de suspectis doctrinis Quesnelli, quas Papa damnavit, docet. Protestantes quidam decisionem Cleri, & Principis, quidam solius Principis desiderant, quidam omnem decisionem respuunt.*

Verùm nec isti, nec illi, judice Bœhmero, difficultatem propositæ *Quæstionis* exhauriunt. *Quamquam enim suo modo (inquit §. 11.) Decisionem in Republica fieri existimem in iis, quæ ad doctrinam, & præcepta vivendi spectant, non tamen in iis, quæ ad RELIGIONEM, ET CONCEPTUM DE REBUS DIVINIS pertinent.* Cur ita? Non penetrant *hujusmodi leges (respondet) quæ Controversiarum Decisionem continent, etiam ad intellectum, ut aliter rem concipiat, aliterque credat, quam interna mentis contestatio ipsi dicitur.* Rem exemplo, siveque Conscientiæ testimonio declarat: Pontificii, inquit, *docent, panem Eucharisticum transsubstantiari in Corpus ipsius Christi, indeque ipsi latriam deberi jubent. Ego, teste mea conscientia, aliter sentio, nec ex Scriptura S. hanc transsubstantiationem eruere possum. - - - Ergo aliter quoque agere debeo, sive vera, sive erronea, ducar conscientia: si igitur in hac Controversia decisio proprie dicta locum inveniret, & pro transsubstantiatione pronuntiaretur, singulisque latria hujus panis Eucharistici injungeretur, contra conscientiam agere juberer. Est verò omni Religioni contrarium, ut quis reluctante conscientia idipsum adoret, & colat, cujus ullum numen neque vult, neque potest confiteri.*

Sed fortassis in errore versaris Bœhmere, tuumque judicium, quod habes de transsubstantiatione panis Eucharistici, S. Scripturæ sensui, & judicio conforme non est? *ajunt quidem (reponit §. 12.) me versari in conscientia erronea, adeoque hanc deponendam esse. Ut quid ergo non festinas illam deponere, & errorem ocysus executere? Quia de veri-*

Erroneus Bœhmeri conceptus de Libertate &c.

veritate contraria Sententia non sum convictus, ego enim existimo adversarios versari in conscientia erronea. Ecclesia autem hunc errorem detegit, quæ transsubstantiationem panis in Corpus Christi fieri docet, & ita credendum præcipit. Apage, ait, cum iudicio, & decisione Ecclesiæ. *Neque vero hominis est, per vim, & leges coactivas mihi errorem illum exinere, cum ad mentem non penetrant.* Cur vero non penetrant? Penetrant in animos fidelium Orthodoxorum Pontificum decisiones, obsequimur illis parendi promptitudine, & sic conscientias nostras ab erroris periculo immunes præstamus. Ut, quid ergo tuam, tuique similium mentem non feriant, non penetrant? vide, ne hæc ipsa cordis tui impenetrabilitas perverciæ te arguat, atque adeo patenter tibi objiciat Conscientiæ tuæ errorem. Sit (audio mihi replicantem Bœhmerum cit. §. 12.) *me versari in conscientia erronea (quod tamen iudicio deciso nemo demonstrare potest) constat tamen, hominem peccare, qui agit contra dictamen Conscientiæ suæ.* Sed Conscientia tua erronea culpa non vacat. Ideoque obligaris ad errorem deponendum. Audio, quid reponas: convictus non sum, constat autem, *quamdiu quis de errore convictus non est, non potest cogi ad errores deponendos, quia reluctante Conscientia illos deponeret, & sic rursus ad peccandum cogeretur.* Agnitio autem errorum non per *VIM* imperari potest, sed *DOCTRINA, CONSILIO, PERSUASIONE.* Atqui hoc pacto nondum habemus iudicem, vel potius authenticum S. Scripturæ interpretem, qui rectam Conscientiæ normam sine metu falsi nobis demonstraret. Non definitionem

Ecclesiæ, non Principis decisionem, non privatum cujuslibet sensum: hi enim omnes suis in iudiciis variant, vacillant, sicque certam & rectam *faciendorum, & agendorum* normam constituere non valent. *Quid ergo Consilii in tanta ambiguitate?* Bœhmerus ex se ipso quærit, & tandem §. 13. *Mysterium libertatis* sequenti Propositione aperit: *Commodissimum esse forsitan dixeris, LIBERTATEM CONSCIENTIIS SINGULORUM INDULGERE, ut sentiant, credant, agantque secundum principia, quibus imbuti sunt, putantque, se coram DEO hoc modo ita agere, & sentire posse, & debere. Sin aliter agunt, quam, Conscientia teste, agere debebant, peccant, quia norunt, se agere contra præcepta, quibus animus eorum imbutus est. In hoc quippe videtur LIBERTAS CONSCIENTIÆ consistere, ut nemo cogatur agere contra præcepta, & principia, quæ pro veris, & ad salutem suam necessariis habet.* Profecto foetus hic (quod pace tua dixerim Bœhmeri) crudus adhuc, & informis est, subinde adhuc lambendus tibi.

Advertit id ipsum Bœhmerus dum in §. sequenti sic scribit: *Verum, nè sic quidem res extra omnem auctoritatem constituta est, cum objectiones eæque gravissimæ supersint, quæ contra LIBERTATEM CONSCIENTIÆ pugnare videntur. Prima, eæque magni ponderis objectio petitur ex hominum intima corruptione, secundum quam perversi iudicant de suis actionibus tam perpetratis, quam perpetrandis, adeoque si singulorum Conscientiæ in bis standum esset, non IMPERIO, non LEGIBUS, nec aliis remediis civilibus opus foret. Admittendum esset, quidquid aliquis agit, vel agere intendit, si se-*

riò asseverat, se salva conscientia id egisse, vel agere velle, se esse arbitrum & judicem suarum actionum, easque ad trutinam rectæ rationis, & Scripturæ S. satis sufficienterque examinasse, & deprehendisse, se aliter agere non potuisse, nec debuisse. Ita verò omnes leges, sententiæ, iudicata, pœnæ, iudicia. Imperia, Magistratúsque redderentur elusoria, si fanatico cuivis credendum esset, asserenti, conscientia salva se aliter agere haud potuisse, imò dominatui in conscientias adscribendum foret, si iudicatum executioni daretur, pœnæque dictatæ inobedientibus applicarentur, quod ipsum non possêt non tollere vinculum societatis civilis, imò etiam illius, quod natura inter omnes homines constituit.

10 Quanquam verò aries hic satis validus videatur, quo propugnaculum Libertatis Conscientiæ à Bœhmero recens extructum, quassatum corruat, cespitem tamen (nec enim luctanti in arena meliora munimenta suppetunt) eidem objicit, quo Libertatem Conscientiæ taliter qualiter tueatur illasam. Distinguendum esse, ait in §. 19. & seq. inter illas actiones, quæ communem pacem, tranquillitatemque civitatis concernunt, commercia respiciunt, meum, & tuum tangunt, & externa corporis, fama, vita, & bonorum integritati consulunt: & demum inter illas actiones & operationes, quæ Religionem, Cultum Divinum, & animæ propriæ salutem, respiciunt, ita, ut quoad priores actiones suo quisque arbitrio renuntiare, easque voluntati imperantis submittere debeat; non item quoad posteriores: nam præsumendum est, singulos in his animi motibus suam ipso facto reservasse Conscientiæ Libertatem, hoc est, ut non tantum liberè cogitationes suas de

rebus moralibus formare, sed etiam ea, quæ animæ salutis proficua esse secundum principia, quibus imbutus est animus, senserint, agere, & Cultui Divino, qui huc facit, libere vacare possent. Et nè gratis hæc Bœhmero scripsisse existimemus, assertum suum, & ratione probat, & S. Scripturæ testimoniis confirmat. Recta ratio ostendit (sunt ejusdem verba cit. §. 20.) Nihil plus in Principem esse translatum, quàm quod in ipsum transferri potuit, quòdque ad finem Reipublicæ obtinendum in eum transferri debuit. Non autem potuit in eum transferri, jus cogitationes singulorum efformandi, & doctrinam præscribendi, secundum quam conceptus animi sui formare, & non aliter sentire, aut credere debeant de DEO, ejus essentia, Redemptione per Christum, resurrectione mortuorum, aliisque fidei Articulis. Nullo modo homo ita mentis suæ est arbiter, ut eam simpliciter alterius arbitrio subicere, & quam ei DEUS tribuit facultatem ratiocinandi, abicere queat. Id quod pluribus dein exaggerat, ac in fine cit. §. demum pro Colophone subjungit: Quodsi denique imperanti imperium in intellectum, & internas mentis operationes adscribimus, subditi conceptus mentis suæ toties mutare coguntur, quoties vel ipse, vel successor ejus eas mutat. Ita vero contingeret, ut, si Princeps idololatra regno potiretur, idola adorare, & verum DEUM relinquere; si atheus esset, DEUM negare; si ad judaismum se converteret, Christo maledicere; si rursus in hæresin incideret, ejus sequi nova dogmata cogerentur, quo nihil absurdius fingi potest. Quæ sententia tanto magis obtinere debet inter Christianos (pergit §. 21.) quod DEUS ex singulari benignitate VERBUM SUUM Nobis dedit, singulisque publicavit, ut in

Erroneus Bœhmeri conceptus de Libertate &c. 7

eo, tanquam in speculo quodam nos intue-
ri, & mentis nostræ falsas fraudulentasque
persuasiones cognoscere queamus. Non
dedit ideo Scripturam S. ut ab aliorum De-
cisione dependeamus, sed ut ipsimet eam
scrutemur, & viam salutis in ea investiga-
mus. Quid verò insolentius? Quid absur-
dus esset, quam agnita ex Scriptura S. ve-
ritate contra veritatem credere, & agere?
hoc est, reluctante Conscientiâ eis assentire,
qui contrarium docent, præcipiunt, & pœ-
nis propositis homines adigunt, ne aliter
credant, & in cultu Religioso agant. Recta
ratio docet, contra Conscientiam, si vel ma-
xime aliis erronea videtur, homines eò du-
cunt, non esse agendum: ergo, qui ita Con-
scientiâ dominari intendunt, homines eò du-
cunt, ut contra rectam rationem agant,
sentiant, & credant. Meherclè demon-
stratio hæc vitium non habet; tam pa-
tenter Conscientiæ Libertatem revelat, ut
excors sit, qui fidem Bœhmero abnuat.
Si Paulus hoc argumentandi genere
usus fuisset ad Galatas, non habuisset,
quod ipsis incredulitatem exprobraret.
Galat. 3. v. 1. sed insensatos illos ad unum
fanâsset omnes.

II Verum, quo lucentius patefcant, Li-
bertatem Conscientiæ omni jure cuius
deberi, atque adeo omni contentione
à dominatu vindicandam esse, triplici
hoc utitur argumento: ait enim in
§. 16. eos, qui Conscientiæ Libertatem ne-
gant, incidere in atheismum, arma per-
secutoribus suppeditare, quibus domi-
natum in conscientias exercent, imo re-
ligionem omnem, quæ jure gentium
libera esse debet, tollere, vel nutui
Principis mutabili subicere. Ajunt
enim Athei, religionem, quam Conscien-
tia in singulis format, esse incompatibilem
cum utilitate publica: homines sub uno im-

perante conglutinatos, & unitos unius vo-
luntate regi, & gubernari, nec eam ali-
ter conservari posse, nisi una sit ratio, &
voluntas totius corporis civilis; è contra-
rio Conscientiam, quàm religio introducit,
esse judicium singulorum particulare de bo-
no, & malo, de justo, & injusto, bono
publico omnino contrarium. &c. Ex quo
enim status libertatis, in quo homines
ab initio positi erant, infinita mala
produxit, necessum fuit, ab hoc sta-
tu recedere ad obtinendam pacem, id-
que factum fuisse per renuntiationem
libertatis naturalis: inde consecutum est,
ut omnes unius voluntati suam submitte-
rent, & secundum ejus voluntatem sese
acturos promitterent: inde in civitate na-
tum demum esse justum & injustum, lici-
tum, & illicitum, extra hoc Conscientiam
singulorum nullam, absurdam, & imagi-
nationem reipublicæ adversantem, solam
voluntatem imperantis esse normam agen-
dorum, subditosque obligare in Conscien-
tia. Secundo, qui Conscientiæ liberta-
tem negant (inquit §. 17.) arma perse-
cutoribus suppeditant, quibus sevant in
aliorum Conscientias, & sic legitimant gen-
tilium facinora contra Christianos, per
tria priora secula perpetrata. Si nulla
datur LIBERTAS CONSCIENTIÆ,
male, & injustè egerunt Christiani, quod
persecutoribus suis morem haud gesserint,
quod strenue fidem in Christum sub ipsis gra-
vissimis cruciatibus, & suppliciis professi
fuerint, quod Idolis thura offerre recusa-
verint. Si nulla datur LIBERTAS
CONSCIENTIÆ, falsa, & seditiosa fuit
doctrina Apostolorum, MAGIS ESSE
OBEDIENDUM DEO, QUAM HO-
MINIBUS. Erronea fuit doctrina pri-
mitivorum Christianorum, oportere nos in
omni obsequio esse subditos Magistratibus,
Prin-

Differtatio Præambula. §. I.

Principibus, & Potestatibus, sed intra limites disciplina, quousque ab Idololatria separamur, ut ait Tertullianus de Idolol. cap. 15. Ergo, cum neque primi Christiani malè egerint, jussa Principum Ethnicorum, quoad Sacrificia Idololatria non exequendo; nec Apostoli malè docuerint, DEO potius parendum esse, quàm hominibus, evidenter sequitur, dari Libertatem Conscientiæ, & tamen adhuc hodie sævit Papa cum affectis in Conscientias, quod TYRANNIDEM vocamus, sed satis ini- que, satis improvidè.

Denique (pergit in §. 18.) negata LIBERTATE CONSCIENTIÆ omnis Religio tollitur, vel annihilatur. Est religio modus colendi DEUM. Cultus hic spontaneus esse debet, non coactus, non invitus. Tollitur religio, si per vim imperatur, si illud homo colere jubetur, quod colendum esse non putat, vel illud colere prohibetur, quod colendum existimat. Optime Tertullianus ad Scapulam cap. 2. Humani juris, & naturalis potestatis est, unicuique, quod putaverit, colere; nec alii obest, aut prodest alterius religio: sed nec Religionis est, cogere Religionem, quæ sponte suscipi debeat, non vi; cum & hostiæ ab animo libenti exposculentur.

¹² Hæc tamen Libertas Conscientiæ tam validis, ut mox vidimus, argumentis stabilita, aliquamdiu in Germania sub jugo Papalis dominatus pressa jacebat; essictim Redemptorem suspirans, dum tandem (quæ est beneficentia Numinis sapienter omnia, & providè disponentis) ope, & opera MARTINI LUTHERI, ruptis Pontificiæ captivitatæ vinculis, in pristina jura postli-

miniò restituta fuit. Referam id verbis Bœhmeri §. 28. sic scribentis: Libertas hæc sepulta, & emortua jacebat, cum vindex ejus LUTHERUS exsurgeret. Acheronta movebant Romani contra hæc Monachi attentata; actum de eo videbatur, nisi DEUS intercessisset, & oppresam Libertatem, ministerio LUTHERI reducere voluisset.

Varia fata sub initium novitiæ hæc ¹³ Conscientiæ Libertas experta est, obnitentibus vehementer Pontifice, ac Cæsare, statuque universo Ecclesiastico, prout fufius describit Bœhmerus §. 28. & seqq. donec tandem per Transactionem Passaviensem Anno 1552. ea pacto publico stabilita, ac deinde in Comitibus Augustanis 1555. per pacem Religiosam magis roborata, ac demum, exacto illo infau- sto tricennali bello, per Instrumentum Pacis Cæsareo-Suevicum Osnaburgis 1648. erectum plenissime restituta fuit. Quæ autem in specie in favorem Libertatis Conscientiæ in dicto Instrumento tam ipsis statibus Protestantibus, quàm reformata Religioni addictis, eorumque subditis per dictam pacificationem & solennem transactionem indulta fuere, idem Bœhmerus §. 47. & pluribus seqq. singillatim recenset. Nos pleraque illius capita in nostris Commentationibus ad Lib. I. Decretalium jam enume- ravimus.

Hactenus Bœhmerum pro Conscientiæ Libertate masculè perorantem audi- vimus, lubet jam ejus quoque sensum, & sententiam de statu servitutis, in quem Conscientia ex dominatu Papali (phra- sis est dicti interpretis) conjecta fuit, attentis auribus excipere.

§. II.

§. II.

De Dominatu Papali in Conscientias fidelium.

SUMMARI A.

14. Servitus, & Libertas simul stare non possunt. 15. Dominatus in Conscientias quid sit? & unde ortum habeat? 16. Iniquitatis arguitur. 17. Multo labore Protestantibus stetit ejus redemptio. 18. Argumenta Orthodoxorum pro Dominatu in Conscientias refert Boehmerus. 19. Subjunctis suis Resolutionibus. 20. Boehmeri Argumenta per ironiam laudantur. 21. Ipsi Protestantes hunc Dominatum in Conscientias ex ipsius testimonio exercuerunt in reformatos. 22. Libertas Conscientiae de fide fit suspecta.

14 **S**ervitus, & Libertas res adeo oppositae sunt, ut, ubi illa inducitur, haec amplius salva, & illaesa consistere nequeat. Libertas vincula odit, dominationem respuit: dum econtra servitus, & illa pati, & hanc ferre jubetur. Id quod status antiquae servitutis, jure Gentium introductae, abunde declarat: inde est, quod Conscientiae nostrae, si ab alieno nutu pendere debeant, liberae amplius dici nequeant. Audiamus Doctorem nostrum *Hallensem*, qui, postquam *Libertatem Conscientiae* in §. 13. libero omnino penicillo depinxisset, sic porro fari pergit: Huic (videlicet *CONSCIENTIAE LIBERTATI*) opponitur *DOMINATUS* in Conscientiam, qui *Libertatem* hanc prorsus tollit, cogitque homines poenis, malisque propositis, ut aliter sentiant, credant, agantque, quam ratio, & principia Religionis, cui adhaerent, ipsis dicitur, jubet, & praecipit. Et unde illa Dominatio iniquissima in Conscientias ortum habuit? ex Jure Romano, & Pontificio, respondet §. 3. Utrumque enim crassissimum *DOMINATUM* in Conscientias fovet, alitque, libertatique Conscientiae insidias struit, uti noto notius est. Huic Dominatui utique ob-

viaverit *Instrumentum Pacis*? Ita est in *Art. 17. §. 3.* sic cautum fuit: *Nulla Jura Canonica, vel Civilia, communia, vel specialia, Conciliorum Decreta, contra hanc transactionem, ullumque ejus articulum, aut clausulam unquam allegari, audiri, aut admitti debere, quo ipso (testatur Boehmerus cit. §.) simul LIBERTATI CONSCIENTIAE, quae utroque Jure prorsus conculcata erat, mirifice prospectum est.*

Dominatum hunc iniquitatis quam plurimum habuisse, consequenter his verbis recenset: *Inde orta sunt persecutiones contra eos institutae, qui Dominatui huic resistunt, nec suas cogitationes, aut actiones ad praescriptum modum componere studuerunt. Inde haeresis relata est inter crimina publica, poenis ultimi supplicii, aliisque afficienda, inquisitiones publicae institutae, imo bella etiam mota, & ferro, flammisque sevitum in dissentientes, ignis enim a pluribus retro saeculis unicum illud salutare remedium reputabatur, Conscientias constringendi, ut ab ore, nutu, & superstitione Cleri solummodo dependerent, & in summa ignorantia obbrutescerent laici. Papae! quid audio. Si hac tyrannide Papae in Conscientias hactenus grassati sunt, & etiamnum grassantur, profecto nec*

B

LU-

LUTHERO, nec BOEHMERO vitio vertendum est, quod in Summum Ecclesiæ Præsulem pari tyrannide uterque exardeat. Est hoc singulare Privilegium *Libertatis Conscientiæ*, ab utroque tam strenuè, & pro virili assertæ, dicere, & scribere, quod libet.

- 17 Quanto verò labore hæc vexa redimenda fuerit, ut *Conscientiæ Libertas* ex unguibus Papæ eriperetur, in §. 27. his verbis declarat, *si magnæ molis fuit, Romanam condere gentem, certè ingentis, imo majoris adhuc molis fuit, LIBERTATEM CONSCIENTIÆ, in jure gentium fundatam, & Scriptura sacra stabilitam contra ROMANAM GENTEM in Germania vindicare, & in pristinum restituere statum, qui à Divino Numine ei præscriptus est. Alias dici solet, facilius quidvis dissolvi, & destrui, quam colligari, atque construi, sed in destruendo DOMINATU GENTIS ROMANÆ, Conscientiis singulorum vim truculentam inferentis, labores ingentes, difficultates multo sanguine superandæ, & pericula extrema Germaniæ nostræ subeunda fuere, antequam legibus publicis LIBERTAS CONSCIENTIARUM protestantibus restitueretur, & DEO, quæ DEI essent, redderentur, utpote, cui unicè imperium in Conscientias afferendum est.*

**TANTÆ MOLIS ERAT
ROMANAM VINCE-
RE GENTEM.**

- 18 Multa quidem (scribit §. 23.) sunt argumenta, quibus Papa, & qui ejus partes tenent, *Dominatum in Conscientias* stabilire nituntur. I. Quidem auctoritate S. AUGUSTINI, qui mutata sententia, *Dominatum* hunc *Epist. 53. ad Vincentium* his verbis defendit:

Mea primitus sententia erat, neminem ad veritatem Christi esse cogendum, verbo esse agendum, disputatione pugnandum, ratione vincendum, ne fidos Catholicos haberemus, quos apertos Hæreticos noveramus. Sed hæc opinio mea non contradicentium verbis, sed demonstrantium superabatur exemplis. II. Quod Principis sit, prospicere salutem subditorum, indeque obligari, ut Clericis salutem hominum invigilantibus manus auxiliares præbeant. III. Interesse reipublicæ, ut una, & consonans sit religio. IV. Quia quies, & tranquillitas reipublicæ turbatur ex Religionum dissonantia. V. Quod injuria fiat DEO per falsas Religiones: ergo, cum hæc DEI causa sit, injuria quæ eidem inferitur, vi quoque ab Ecclesia propulsanda, & vindicanda est. Sed credisne, Boehmere, hæc argumenta à te solvi posse? mihi sanè tanti ponderis esse videntur, ut expugnatum impossibilia censeam. Verum, ut video, perspicacissimo, & illuminatissimo Boehmeri ingenio nihil impervium est, paratas jam offert solutiones. Et quidem

I. Ad auctoritatem S. Augustini sic respondet cit. §. 23. *Non RATIONE se S. Augustinus superatum esse ait, sed EXEMPLIS, quæ tamen, si cum ratione, & doctrina Christi pugnant, ipsum commovere non debuissent, ut à sana sententia recederet. Sed studium persequendi Donatistas induxit eum, ut mutaret sententiam, non sine dedecore, & ita posteris, Augustini auctoritate occæcatis, viam ostenderet, qua grassari possent in Conscientias hominum, libertatēque eorum penitus tollere. Meherclè ex tripode hæc Boehmerus! Ad II. Inde non fluere (scribit §. 24.) ut vi, ferro, flammisque*

que in dissentientes se viatur. Adhibeantur media, quibus Christus usus est, admonitiones, preces, adhortationes, persuasiones: Religio enim non vult COGI, sed SUADERI. Ad III. Paucis se expedit, dicendo, non tam reipublicæ, quam Cleri Dominantis interesse, ut una & consonans sit Religio. Religio & cultus Divinus nihil commercii cum republica habet, & exempla docent, etiam reipublicam salvam esse posse sub doctrina DE TOLERANTIA. Ad IV. repōnit: Hoc fieri per accidens, ex eorum potissimum zelo immaturo, qui Dominatum in Conscientias querunt. Hi compescendi, & ad studium pacis, & tolerantie compellendi. V. Argumentum valida rectorione concutit, dicendo: Quis judicabit, DEO injuriam fieri in tanta Religionum discordia? Cur Magistratus non punit avaritiam, ambitionem, luxuriam, invidiam, superbiam, aliæque vitia mortalia, quibus etiam injuria DEO infertur? An DEUS commisit Magistratui hujusmodi vindictam, quæ ad reservata ejus pertinet? Atque his doctissimis Bœhmeri resolutionibus orthodoxos penitus exarmatos quis non videt?

20 Ponderatis argumentis, quæ Bœhmerus tum pro Libertate Conscientie tuenda, tum pro Dominatu Papali, ceu Libertatis hujusce hoste infensissimo, penitus supprimendo, in medium adduxerat, jam meam quoque Conscientiam dulci illo Libertatis spiritu titillari animadverti, & parum abfuit, quin jugum Papale generoso ausu excuterem. Verum hæc meditantem à proposito aliorum protestantium exempla rursus abstraxerunt, quos Libertatem Conscientie, quam sibi strenuè asseruerant, aliis, nempe reformatis denegâs-

se apud Bœhmerum lego. Ita enim ille §. 34. Negari nequit, eos (protestantes) sua sponte contra alios quoque eadem ferè arma sumpsisse, quibus Catholici contra eos usi erant. - - Postquam enim in Germania plures reformatæ Religioni sese addicerent, Lutherani, ubi prævalebant, haud veriti sunt, eos persequi, expellere, à pace excludere, & eodem in eos jure uti, quo Pontifici antea in protestantes usi erant. Mota tunc principaliter questio fuit (pergit in §. 35.) An reformati pace religiosa, hoc est, Libertate Conscientie frui queant? Denegâsse eam Theologos, & JCtos protestantes reformatis Dedekennus Consil. tom. 1. part. 1. lib. 3. sect. 6. Et Andreas Cranius dissert. de Pace religios. & Libert. Conscient. part. 1. proplem. 13. docent. Controversiæ huic tandem finis impositus est per instrumentum pacis art. 7. §. 1. quo cautum fuit, ut, quidquid juris, & beneficii cæteris Catholicis, & A. C. addictis statibus, subditisque tributum est, id etiam reformatis competere debeat. Et tamen ipso Bœhmero perhibente, hæc veritas omnibus Protestantibus usque modo persuaderi non potuit. Optandum sanè foret (inquit) ejus vestigia non extare, quæ immaturus zelus quorundam prodidit, & spiritum persecutionis manifestavit, quem aliàs in Pontificiis majores exprobrarunt. Plura circa hoc punctum videri poterunt apud Arnold in der Rezer-Historia part. 2. lib. 16. cap. 31. §. 26. & seqq.

Quare, cum videam, Dominatum 22 illum in Conscientias, quem Papæ non satis cautè, & circumspectè Bœhmerus affingit, suæ Sectæ hominibus non displicere; idcirco illa ab ipso miris laudibus commendata Conscientie Libertas mihi

mihi maximopere suspecta sit, imo, ut probabilitate nituntur, sed perpetuis
mox aperiam, argumenta, quibus ean- contradictionibus, & inanitatibus cere-
dem stabilire conatur, ne tenui quidem brinis vix stolidæ plebi fucum faciunt.

§. III.

*Libertas Conscientiæ in vincula conjicitur, & Dominatus
Papalis in Conscientias ab improperiis Bæbmeri vindicatur.*

SUMMARI A.

23. Ferina est Libertas Conscientiæ. 24. Quæ in Bæbmero multis erroribus obsita ex-
hibetur. 25. Remedium omne respuit. 26. Aliter S. Augustinus erroneæ Con-
scientiæ suæ consuluisse ostenditur. 27. Consilium, & remedium à Clero Romano
non esse petendum, Bæbmerus contendit, ejus temeritas castigatur. 28. Quam
Regulam dirigendæ Conscientiæ Bæbmerus proponat, inquiritur. 29. Dicit esse
Sac. Scripturam. 30. Confutatur. 31. Quis authenticus S. Scripturæ Interpres,
indagatur, & rursus Bæbmeri Sententia reprehenditur. 32. Bæbmerus vult Pon-
tificios in hac doctrina inconstantie arguere, sed itendidem vapulat. 33. Quæ
ergo ex mente Bæbmeri certa fidei norma sit, queritur. 34. Ejus erroneus con-
ceptus revelatur. 35. Bæbmero suadet, ut S. Augustinum in quaerenda verita-
te, & Regula Conscientiæ emuletur. 36. Verum non persuadetur. 37. In an-
gustias redactus Conscientiæ Libertatem pro norma Conscientiæ præscribit. 38. Quod
samen ostenditur, esse contra S. Scripturam, 39. & ex hac libertate natas fuisse
omnes hæreses. 40. Ab ipsis hæreticis repudiatam, 41. & Protestantibus in no-
stro Imperio Germanico. 42. Nec ab ipso Bæbmero defendi. 43. Summe inju-
riam existere Divinæ Providentiæ. 44. Dominatus in Conscientias vindicatur.
45. Nulli Ecclesiæ per vim fidem obtrudit. 46. Ecclesiæ habet evidentia credibi-
litate motiva. 47. Quando Ecclesiæ citra violentiam fidem imperet. 48. In
quos Ecclesiæ gladio, & igne animadvertat. 49. S. Augustinus à Calumnia
Bæbmeri vindicatur, & Dominatus Papalis ab improperiis Bæbmeri absolvitur.

23 **E**st hoc ferarum omnium commu-
ne fatum, ut Libertas, in qua à na-
tura primitus constituuntur, ipsis
damno, & exitio frequentissimè existat;
videas palantes per agros, per nemora,
per saltus discurrere, & cum maximè
Libertatem videntur consecrari, præci-
piti cursu incautas in laqueos incidere,
cujus suæ calamitatis authorem, si fari
possent, quem alium, quam ipsam...
quam cæco impetu sequebantur, & sto-
lide adamabant, ream agerent *Liberta-
tem*. Ita prorsus iis evenire existimo,
qui excusso suavi Christi jugo, contem-
ptisque Ecclesiæ legibus, ipsi sibi in
conscientia sua *Aram Libertatis* erigunt.
Volunt hi Conscientias suas à vinculo
legum adeo esse solutas, ut aliam eis le-
gem poni non posse arbitrentur, præ-
ter illam, quam cujuslibet Conscientia
pro

pro principiis, quibus imbuta est, sibi-
met præscribit: ex quo consequi ne-
cesse est, ut cujuslibet Conscientia &
imperet, & insimul pareat sibi, quo *Li-
bertatis* conceptu quid ineptius excogi-
tari possit, nemo non videt. Ferarum
jam latibula lubet excutere, hoc est,
Boehmeri argumenta, quæ pro stabili-
lienda hac *Conscientiæ Libertate* in lau-
data sua Dissertatione adduxit, & à no-
bis supra in §. 1. summa fide relata fue-
runt.

24 Jam pone erat, ut pedem nemori
inferrem, ecce, videor mihi videre
feram, fræni omnis impatientem, è
lucu quodam obscuro proflientem, ci-
tatissimo cursu per avia, & devia de-
currere, quam ex Boehmero intelligo,
Conscientiam erroneam vocitari. Non
utique (quod Dii avertant!) ipsius
Boehmeri hæc Conscientia erit? Est
omnino ipsissima, siquidem falsissimis
principiis imbuta errorem ex errore pa-
rit. Rem ocysus declaro. Admittit
ille, dari *Conscientiam erroneam* in §. 7.
ex ratione ibidem assignata, quia homi-
nes *nature corruptæ* vitio (cujus tamen
labris ipse, per DEI gratiam expers est)
non semper *facta*, vel *facienda* secun-
dum rei veritatem examinant. Et
(quod mireris in hoc homine incor-
rupto) nec medelam, nec medicum
agnoscit, qui sanctæ huic *Conscientiæ*
opituletur: ipsa sibi agrotanti medicus,
simul & medicina esse debet. An in-
credibilia me fari ais? relege, quæ ex
Boehmero in §. 1. hujus dissertationis
25 retuli. Volebat ibi unus aliquis
vulneratæ Conscientiæ medicum quæ-
rere, suasit agrotanti, ut artis peri-
tum advocaret, morbi statum eidem
sincerè exponeret, & boni consilii em-

blastrum patienter admitteret. Atqui
Boehmerus hoc prohibuit, dum scri-
bit §. 8. ejusmodi Consiliarios in *THE-
SI* tantum quid permissum sit, suadere
posse, non autem in *HYPOTHESI*,
an huic, vel illi hoc vel illud permissum
sit, fatua hac ratione persuasus, quod,
qui consilia circa *questiones Conscientiæ*
suppeditant, de *intentione*, & *interna-*
mentis operatione alterius judicare non pos-
sint, cum hæc sit unum de *reservatis*
DEI, qui solus cor intuetur, & *inten-*
tionem examinat, ideoque admodum *in-*
tutum est, ab aliis, quid *salva Conscien-*
tia fieri possit, petere. Quodsi verò
Conscientia errorum fluctibus jactata
illum ipsum statum, quem intra semet-
ipsam agnoscit, forinsecus aperiat (ne-
que enim id impossibile esse quisquam
dixerit, ut intima animi sensa alteri
patefaciamus) anne hoc casu consul-
tum haud erit, consilia peritiorum
quærere, in excutiendis erroribus, eo-
rum judicio stare, veritatem illis ma-
nudentibus inquirere? Non, in-
quam, hoc consultum est, reponit
Boehmerus cit. §. 8. Nam *sub pretextu*
consiliorum laicis fræna injiciuntur, ut de
questionibus, *Conscientiam tangentibus de-*
cernere non possint, sed à Cleri *decisu*, &
arbitrio dependere cogantur. Ergone
fluctuanti Conscientiæ, ubi agitur
de æterna felicitate aut perdenda, aut
obtinenda, à magistri ore, nutu, con-
siliis dependere, malum sit? Quid vio-
lentiæ patitur, qui consilium Sapien-
tis sequitur? *Via stulti* (ait Sapiens
Prov. 12. v. 15.) *recta in oculis ejus: quæ*
autem Sapiens est, *audit consilia*. Et
iterum: *Qui autem agunt omnia cum*
consilio, *reguntur Sapientia*. Prov. 13.
v. 10. Alterius longe mentis fuit 26

S. Augustinus, qui, ut familiari suo HONORATO, *Manicheorum* falsissimis dogmatis dementato, errorem eximeret, quid aliud suavit, toto libro, quod *de utilitate credendi* ad eum scripsit, quàm ut tales magistros quæreret, qui *Manicheorum* fallacias, & imposturas detegendo, limpida, & sinceram fidei Catholicæ veritatem ipsi exponerent. *Quærendi sunt*, inquit, *hujus rei Professores*, Hac quippe via Augustinus, qui & ipse antea adulterinis *Manicheorum* principiis depravatus erat, ad veræ fidei agnitionem se pervenisse fatetur: *ut enim à vobis* (scribit Honorato) *trans mare abscessi, jam cunctabundus, & hesitans, quid mihi tenendum: quid dimittendum esset: Que mihi cunctatio indies major oboriebatur, ex quo illum hominem FAUSTUM* cujus nobis adventus, ut nôsti, ad explicanda omnia quæ nos movebant, quasi de cælo promittebatur, audivi. Quid emolumenti erranti Conscientiæ Augustini attulerit, audivisse AMBROSIIUM prædicantem, ipse eod. lib. palam facit: *Jam ferè me*, inquit, *commoverant nonnullæ disputationes Mediolanensis Episcopi, ut non sine spe aliqua de ipso vetere testamento multa quærere cuperem, quæ ut scis, malè nobis commendata execrabamur.* Ita profectò est, haud melius Conscientiæ erroribus implexæ consulitur, quàm probi Magistri ductu, & consilio.

27 Sed hoc consilium (ait Bœhmerus) non est petendum à Clero Romano; hic enim in more habet, non consilio (quod sequendi Libertatem relinquit) erranti Conscientiæ succurrere, sed præcipiendo in eam dominatur, obtrudit per vim & coactionem credenda, cum tamen fides duntaxat per doctrinam sua-

dendo, exhortando, non imperando proponi debeat. Calumnia hæc est, quàm impudenti mendacio in nos jactis. Nemini Ecclesia Orthodoxa per vim fidem obtrudit, sed si qua violentia, coactione, aut pœnarum supplicio in quosdam hæcenus usâ fuit, non alii fuere, quàm qui agnita etiam veritate, errorem suum cum pertinacia tueri volebant. Audiatur rursus Sanctus Augustinus cit. lib. qui, quod Bœhmerus nobis objectat, vulgare, & commune hæreticorum omnium convitium esse, scribit: *Profitentur hoc omnes heretici, eoque Catholicam maxime criminantur, quòd illis, qui ad eam veniunt, præcipitur, ut credant: se autem non jugum credendi imponere, sed docendi fontem aperire gloriantur.* - - Hoc enim faciunt nullo robore præditi, sed ut aliquam concitent multitudinem nomine RATIONIS: qua promissa naturaliter anima gaudet humana, nec vires suas, valetudinemque considerans, sanorum escas appetendo, quæ male committuntur nisi valentibus, irruit in venena fallentium. Nam VERA RELIGIO SINE QUODAM GRAVI AUCTORITATIS IMPERIO INIRI RECTE NULLO PACTO POTEST.

Sed redeo ad Bœhmerum, & quæ- 28
ro: si adeo tutum non est, Conscientiam suam credere alieno ductui; unde ergo illa lumen petet, quo seipsam sine erroris offendiculo intueri, ac clarè perspicere queat, num acta, aut agenda ad amissim primæ veritatis colliment, eique consentanea sint, nec ne? An 29
S. Scriptura pellucidum, & minime fallax illud speculum est, in quo cujuslibet Conscientia, & errores, si quibus irretita est, detegere, aut, si quidem, recta est, rectitudinis suæ principia sole
cla-

clarius intueri valeat? Ita quidem sentire videtur, dum scribit §. 21. *DEUS ex benignitate singulari verbum suum nobis dedit, singulisque publicavit, ut in eo, tanquam speculo quodam nos intueri, & mentis nostræ falsas, fraudulentasque persuasiones cognoscere queamus. Non dedit ideo Scripturam Sacram, ut ab aliorum decisione dependeamus sed ut ipsimet eam scrutemur, & viam salutis in ea investigemus.* Si hæc propositio tam vera est, quam liberè à *Bœhmero* enuntiatur, qui ergo sit, ut inter tot sectas, quæ olim fuerunt, & hodie sunt, quarum quælibet *Sacram Scripturam* scrutatur, & viam salutis (sua quidem opinione) in ea investigat, tam diversa, & opposita de ejus sensu habeantur judicia, tam dissonantes interpretationes quotidie procedantur? Jam per duo sæcula, & quod excurrit, *protestantes, & reformati*, ut *Mysterium Evcharisticum* evolvant, lucidissimum hoc speculum, *S. Scripturam* inquam, inspiciunt: illi *realem* Christi præsentiam in actuali sumptione vident, isti nudam tantum *figuram*. Profectò aut isti, aut illi errant, aut utrique: aut illud consequi necesse est, quod *S. Scriptura* speculum illud non sit, in quo cuilibet intuenti veritas mox occurrat, aut error Conscientiæ actutum patefiat. Dic mihi *Bœhmer*: erratne *Calvinista*, qui negat *realem* Christi præsentiam in *Evcharistiæ* sumptione? errare omnino dices, quia ex *S. Scriptura* certo constat, ais, in actuali sumptione panis *Evcharistici* summi insimul *Corpus Christi realiter* præsens: At verò *Calvinista* replicat, se eodem tempore *S. Scripturam* rimatum fuisse, sed nil aliud reperisse, quam pa-

nem *Evcharisticum* ut aliquid *præfigurativum* tantum præsentia Christi, ideòque te, tuosque erroris damnat. Quæ igitur fiducia scribere ausus es, in *Sac. Scriptura* quemque *falsas, fraudulentasque persuasiones cognoscere posse*? Fortè dices, *Calvinistas* non benè comparatò animo ad legendas *S. Scripturas* accedere, ac propterea mirum non esse, quod illi oculos habeant, & non videant. Sed idipsum tibi objectabit *Calvinista*, teque tuismet verbis confutabit; dum scribis §. 11. *DEUS* singulis dedit *intellektum & vim ratiocinandi, ut possint Scripturas Sacras scrutari, & ductu rectæ rationis de iis statuere, quæ agenda sunt.* Si ergo singulis dedit *Scripturas* intelligere, etiam *Calvinista* dedit: aut ipsis improperebis, quod non *ductu rectæ rationis de Sacra Scriptura sensu* statuunt? condemnabunt eodem te crimine, si iniquus adedò in ipsos *judex* extiteris. Quid ergo sequitur ex tua propositione? hoc, quod non quivis, qui *Sac. Scripturam* inspicit, veritatem videat, non vitio ipsius veritatis, quæ ibidem, velut in cortice nucleus, recondita latet, sed lippitudine oculorum, qui, sua acie, quo pertingere non possunt, penetrare tamen se posse temere confidunt. Plena periculi alea est, suo unius oculo fidere. Sine luce Divina *Mysteria* non videntur, sine duce tutò non investigantur. Audi, quid *Princeps Apostolorum* occasione *Epistolarum D. Pauli* nobis insinuet: in quibus (*Epistolis Pauli*) sunt quedam *difficilia intellectu, quæ indocti, & instabiles depravant, sicut & ceteras Scripturas ad suam ipsorum perditionem.* 2. *Petri* 3. v. 16. in hisce autem intellectu difficilibus neminem ullum sibi fidere debere, idem

idem Christi Vicarius paulò ante asseruit, nempe *cap. 1. v. 20. Hoc primum intelligentes, quod omnis Prophetia Scripturæ PROPRIA INTERPRETATIONE non sit.* Si ergo sensus S. Scripturæ propria interpretatione non eruitur, quomodo verbis tuis Bœhmere, fides constabit, dum confidenter scribis: *DEUS singulis dedit intellectum, & vim ratiocinandi, ut possit scrutari Scripturas Sacras, & ductu recte rationis de iis statuere, quæ agenda sunt?* Temeritatem hujus tuæ propositionis discite ex S. Hieronymo, qui Paulino suo ita scribit: *Tractant fabrilia fabri: sola Scripturarum ars est, quam sibi passim omnes vindicant - - - hanc garrula anus, hanc delirus senex, hanc soppista verbosus, hanc universi præsumunt, lacerant, docent, antequam discunt.* Ex hac Libertate interpretandi, quam cuilibet privato concessam esse contendis, natas fuisse hæreses, & priorum sæculorum fasti, & præsentis temporis calamitas abunde demonstrat. Audiatur rursus S. Augustinus *Tract. 18. in Joan. Non natae sunt hæreses, inquit, nisi cum Scripturæ bonæ intelliguntur non bene; & quod in eis non bene intelligitur, etiam temere, atque audacter asseritur.* Quapropter ingenuus quisque cum Eunuchò illo *Ca. 10. v. 31. Putasne, intelligis, quæ legis? & quomodo possum, si non aliquis ostenderit mihi?*

31 Quis ergo ille authenticus Verbi Divini interpres, qui, ne fallatur, & in errorem inducatur Conscientia nostra, genuinum ejusdem sensum, & quæ dogmata fide Divina credenda sint, luculenter exponat? Pontificii, respondet Bœhmereus §. 10, hoc iudicium deserunt

Ecclesiæ. An malè? Ecclesiæ equidem ipsius Christi testimonio *columna veritatis* est, adversus quam portæ inferi nunquam prævalere poterunt. Est schola *Spiritus Sancti*, in qua ipse Magister veritatis pro cathedra sedet, & sacra *Ænigmata* ipsi exponit. Est electa *Servatoris nostri Sponsa*, quacum is semper est, eritque in sæcula, nullum igitur errandi periculum est. Si quis ab ejus ore, & nutu dependeat, ejus doctrinam, ab Apostolis hautam, continuata sæculorum serie ad nos usque traductam, amplectatur, veterum Patrum consensum, qui, ut notat Illustrissimus Bossuet *Instruction contre la version du Nouv. Test. de Trevoux pag. 202.* præcipuus canalus est, per quem Ecclesiæ genuinum Scripturæ sensum ad nos usque derivat, pro authentica Verbi Divini interpretatione agnoscat, & recipiat. Ab hujus Ecclesiæ unitate dum se temerario ausu separarunt *heretici*, inde mera confusio, & perpetua aberratio secuta est, ut totidem jam dentur Scripturæ expositiones, imò totidem Religiones, quot capita; id quod graviter notavit Vincentius Lirinensis, dum dixit: *Idcirco multum necesse est propter tantos tam varii erroris anfractus, ut Prophetica, & Apostolica interpretationis linea secundum Ecclesiastici & Catholici sensus normam dirigatur.*

Quid ad hæc Bœhmereus? *Ipsi Pontificii, ait, sibi non constant in hac doctrina, uti præsens Controversia de suspectis doctrinis Quesnelli, quos Papa damnavit, docet.* Infirma prorsus est hæc oppositio. Fuere quidem (non diffitemur) qui illam famosam Constitutionem *UNIGENITUS*, qua felicissimæ recordationis *CLEMENS XI. P. M.* An-

no M.DCC.XIII. die 8. Septemb. *QUESNELLI* centum & unam Propositiones anathemate confixit, nolebant recipere, attamen id non ea intentione ab illis factum est, quasi authoritatem S. Pontificis in dubium vocare vellent, sed quod erronea persuasione inducti existimarent, illas quoque doctrinas, quæ hæcenus juxta mentem S. AUGUSTINI, & D. THOMÆ AQUINATIS in Scholis, & Academiis Catholicis absque ulla Censura traditæ fuerunt, unâ cum *Quesnelli* Propositionibus fuisse damnatas; unde dictus Pontifex litteris ad universos Christi fideles die 1. Septembris Anno 1718. datis, quæ incipiunt: *Pastoralis Officii* &c. declaravit, suæ intentionis haudquaquam fuisse, receptas illas *Augustini* & *Thomæ Aquinatis* Sententias sub reprobatis *Quesnelli* Propositionibus comprehendere. *Ceterum* (sunt verba dictæ Epistolæ) in hoc ipso præpostero judicio consuetum, calumniandi morem non derelinquunt; nisi enim eos excæcarent malitia eorum, ac nisi diligerent magis tenebras, quàm lucem, ignorare non deberent, Sententias illas, ac doctrinas, quas ipsi cum erroribus per nos damnatis confundunt, palam, & liberè in Catholicis Scholis, etiam post editam à nobis memoratam Constitutionem sub oculis nostris doceri, atque defendi, illasque propterea minime per eam fuisse prosriptas. Qua verò Religione, & obsequii testificatione illam Bullam *Unigenitus* Archiepiscopi, Episcopi, totusque Clerus *Gallicanus* receperit, liquido constat ex litteris *Nonis Februarii* 1714. ad eundem Pontificem datis, quarum initium sic habet:

BEATISSIME PATER! Quod olim uni Antecessorum tuorum Pontifici ex-

cellentissimo scribebat unus ex Antecessoribus nostris doctrina, & pietate conspicuus, *POLLICERI SE SECURUM DE TOTIUS GALLIÆ DEVOTIONE SUPER STATU FIDEI CAPTARE SEDIS APOSTOLICÆ SENTENTIAM*, idem nos ultro hodie Sanctitati vestræ pollicemur, ac renovamus obsequium. Quam improvide, igitur, ne dicam, impudenter *Bæbmerus* scripsit: Pontificios sibi met non constare in hac doctrina. Sed indulgendum est hoc vehementiæ dolorum, quos partui jam proxima Libertatis puerpera, *Bæbmerus*, perlentificat.

Uterius jam progrediamur. Quam ergo normam certam, & infallibilem ipsi Protestantes Conscientiæ præstituant, qua se vel laqueis errorum extricare, aut, ne in illos incidat, præcavere sibi possit? Protestantes quidam, (non sine stomacho reponit *Bæbmerus* cit. §. 10.) Decisionem Cleri, & Principis, quidam solius Principis desiderant. Utrumque ipsi displicet. Non penetrant, inquit, ejusmodi leges ad intellectum, ut aliter rem concipiat, aliterque credat, quàm interna mentis contestatio ipsi dicitur. Unde necesse foret, ut quis ageret contra dictamen Conscientiæ suæ, id quod tamen ex omnium Theologorum Sententia sine peccato fieri non potest. Ad-34
verto jam, ubi ulcus in Conscientia *Bæbmeri* lateat, de credendis vult prius rationibus convinci, & ita persuaso intellectu fidei assentiri, verbò, prius vult SCIRE, & deinde credere. Sed hoc est fidei conceptum evertere, fides enim non ratione investigatur, sed auctoritate dicentis tenetur. Quod intelligimus, ait S. Augustinus lib. de utilit. cred. debemus rationi: quod credimus, auctoritati. Si autem illud distaxat credere

dere volumus, quod mente comprehendimus, ratione assecuti sumus, fidei meritum amissimus. *Nec fides habet meritum*, ait Gregorius Homil. 26. *Cui humana ratio præbet experimentum*: sin vero, quod nescitur, credendum non est, ne quidem dari amicum in mundo credam. *Nibil sine cognitione esse credendum, qui possum dicere?* ait S. Augustinus cit. lib. *Cum & amicitia, nisi aliquid credatur, quod certa ratione demonstrari non potest, omnino nulla sit, & sepe dispensatoribus servis sine ulla culpa dominorum credatur.* Id quod ulterius cit. S. Doctor exponit: *Quomodo serviant parentibus liberi, eosque mutua pietate diligant, quos parentes suos esse non credant. Non enim ratione ullo pacto sciri potest: sed interposita matris auctoritate de patre creditur: de ipsa verò matre plerumque nec matri, sed obstetricibus, nutricibus, famulis. Nam cui furari fillus potest, aliisque supponi, nonne potest decepta decipere? Credimus tamen, & sine ulla dubitatione credimus, quod scire non posse confitemur, quanto ergo magis in negotio Religionis illud credere debemus, non quod propria rationis investigatione tenemus, sed quod auctoritas eorum nobis comendat, quibus refragari ipso Christi Oraculo nefas est, utpote qui dixit: *Qui vos audit, me audit.* Rursus audiatur S. Augustinus sepe cit. lib. *In Religione verò quàm iniquius fieri potest, quàm, ut DEI Antistites nobis non factum animum pollicentibus credant, nos eis præcipientibus nolimus credere?* Si nôsse placet, quorum auctoritate S. Augustinus ad credendum persuasus, & ad fidem orthodoxam amplectendam inductus sit. (nam & ille olim in eodem luto hæsit, quo etiamnum Bæbmerus, hoc sole*

discrimine, quod ille MANEM, unde secta *Manichæorum* orta, hic LUTHERUM seductorem nactus sit) ipse Honoratum familiarem suum alloquens, & ad ejusdem fidei agnitionem alliciens, his verbis explicat cit. lib. *sine paululum mecum ipse considerem (quoniam Christum ipsum, quomodo apparere hominibus voluit, qui istis etiam vulgaribus oculis visus esse prædicatur, ego non vidi) quibus de illo crediderim, ut ad te jam tali fide præstructus accedam. Nullis me video credidisse, nisi populorum, atque gentium confirmata opinioni, ac fame, ad modum celeberrima: hos autem populos Ecclesiæ Catholice Mystera usquequaque occupasse.* Ecce hac via Augustinus erranti Conscientiæ remedium invenit! sequere ergo Bæbmerem Augustinum, quærentem, qui secutus es errantem; si fors ideo ejus vestigia legere erubescis, quod orthodoxæ Ecclesiæ columna sit, non pudeat te eundem sequi, vel ex hoc capite, quod secta quoque vestra eundem suum faciat. PAPPUS nomine, unus ex præcipuis vestris Verbi DEI Ministris ait: *S. Augustinus in Lutheri schola educatus, verus Lutheranus fuit.* Florimundus Remondus de *Origine, incremento, & decremento hæresum part. 3. cap. 11.* quod quidem stultissimum commentum, quanquam risu, & cachinno explodendum sit, contra Bæbmerum tamen mihi suppeditat hoc argumentum: si AUGUSTINUS Lutheri discipulus fuit, neque tamen Magistrum suum salva Conscientia se sequi posse agnovit, quid moraris Bæbmerem, quin repudiata *Libertate Conscientiæ*, à pseudo-Magistro tuo *Lutbero* adeo adamata, cum *Augustino* te Ecclesiæ orthodoxæ vinculis mancipes? Non 36 pos-

possum, inquis, agere contra Conscientiam, bene est: potes tamen deponere Conscientiam. Replicas: non sum convictus. Convincat te ratio, exemplum, auctoritas *S. Augustini*: convincat te unanimis Patrum consensus. Convincat te Ecclesiæ autoritas, qua sine nec Evangelio *Augustinus* credere voluit. Sed frustra sum. Bœhmerus nec *Sac. Scripturæ Conscientiam* suam credit, quanquam illam speculum pellucidum esse §. 19. dicat, in quo quisque *falsas, fraudulentæque persuasiones* cognoscere queat, nam hoc lumen ei rursus aufert, §. 10. ob varias, & oppositas interpretationes, quas de ejus sensu, & intellectu quælibet secta sibi format. Non rationi confidit, ex eodem Capite. *Nemo enim* (ait §. 10.) *à recta ratione alienum se quid agere, aut constituere credit, sibi aliisque persuadere conatur, sua principia, præcepta, regulasque vivendi rectæ rationi, & Verbo Divino congruere, ceterorumque interpretationem peccare, erroneam, falsamque esse.* Doctorum, ut ut Religione & Sapientia quàm maximè conspicui sint, consilia respuit. Ecclesiam *Romano-Catholicam* non audit, quia hæc, ait, fidem per *vim, & coactionem*, obtrudit, cum tamen fides duntaxat *sua*deri, nullatenus *imperari* possit. Decisiones *Principis, & Cleri* etiam intra suam Sectam non admittit. Quam igitur normam Bœhmerus præstituat, secundum quam tuto, & secure agat conscientia, & se ab erroris contagione immunem præstet, si nullum ex his, quæ adduximus, momenti ei præsidio esse possit? id Consilii ipsi succurrit, quod in desperatis causis, ut ut quam minimum profit, probari solet. *Sentiant, inquit, credant, agantque singuli se-*

cundum principia, quibus imbuti sunt, putantque se coram DEO hoc modo ita agere, & sentire posse, & debere; in hoc quippe videtur consistere LIBERTAS CONSCIENTIÆ. Hic est ille partus, qui tot genitores habuit, quot Hæresiarchas hæctenus Ecclesia vidit. Unde Bœhmerus in hoc puerperio obstetricis magis, quàm parentis officium facit. Quodsi verò nunc ostendero, hanc *Conscientiæ Libertatem* repugnare I. *Sac. Scripturæ*, II. esse matrem omnium hæresum, III. ab ipsis hæreticis repudiari, IV. à Protestantibus in Imperio, non agnosci. V. Ab ipso Bœhmero proscribi, VI. *Divinæ Providentiæ, & Sapientiæ crimen inferri per Sacrilegam* hanc libertatem, neminem futurum existimo, qui in meam non abeat Sententiam, ac monstruosam hanc *Conscientiæ Libertatem* vincula mereri, suo quoque Calculo confirmet.

Atque ut à SS. Paginis exordiar, 38 missis sexcentis aliis, illum duntaxat locum ad *Ephes. 4. v. 5.* adduco, ubi ita Apostolus: *Unus Dominus, una Fides, unum Baptisma.* Si una tantum est fides juxta Pauli Oraculum, quis sibi persuadeat, quod inter tot sectas DEUS voluerit relictam esse *Conscientiæ Libertatem*, credendi, quod quisque secundum principia illius sectæ, cui addictus est, credendum esse opinatur? Hanc unicam fidem inquirere necesse est, quisquis salutem æternam invenire anhelat: ideo ait Apostolus *cit. cap. v. 11.* *Ipse dedit quosdam quidem Apostolos, quosdam autem Prophetas, alios verò Evangelistas, alios autem Pastores, & Doctores.* Ut quid tot ministros Christus constituit? Audi rursus Apostolum in consequentibus verbis respondentem:

ad Confirmationem Sanctorum, in opus ministerii, in aificationem Corporis Christi, donec occurramus omnes in unitatem fidei. Quodsi subinde omnis horum ministrorum labor eò spectat, ut in unitate fidei coadunemur, quomodo jam poterit esse relicta Libertas cujuslibet Conscientiæ, sentiendi, & credendi, quod secundum principia, quibus semel imbutus est animus, credendum esse opinatur, cum hoc pacto (sectis adeo à se invicem dissidentibus) nunquam evenire poterit, ut in unitatem fidei colligamur. Verba jam Cornelii à Lapide, in Comment. ad hunc locum Pauli adscribere placet. „Una est fides, quæ
 „ad DEUM, & salutem nos ducit, non
 „multa; unus est Dominus, non mul-
 „ti; plæne ergo aberrant, & in errorem,
 „ac æternam perniciem abducunt po-
 „litici, & libertini nostri, qui tam in
 „fide Lutheri, Calvini, Memmonis, &
 „quavis alia, quàm in una vera Ca-
 „tholica Romana fide salutem suis pro-
 „mteunt: certum enim est, has non
 „unam esse, sed alias, & alias fides:
 „Apostolus autem docet, unam tan-
 „tum esse fidem veram, quæ recta est
 „ad salutem via. Unde sequitur, alias,
 „& diversas ab hac fide, imo illi con-
 „trarias, non fidem, sed perfidiam es-
 „se, quæ ducit non ad cælum sed ad
 „gehennam. Hæc citatus interpret.

39 Ex Libertate Conscientiæ, ceu pullum ex ovo, exclusas fuisse hereses, quotquot hæctenus orbis vidit, demonstrare operosum haud erit. Quid enim est heresis, quàm perversa, & ertonea doctrina doctrinæ Christi contraria, quæ aliud credendum esse dicit, quàm quod Christus credendum esse constituit. Unde autem depravata ejusmodi do-

gmata, dogmatis Christi contraria, originem suam duxere, quam à Libertate Conscientiæ, qua cuilibet credere fas esse judicatur, quod secundum principia suæ sectæ, credendum esse opinatur? aut negas fortassis id heresim esse? infero ego: ergo nequidem dantur hereses (quod tamen est contra Apostolum 1. Corinth. 11. v. 19. dicentem: Oportet & hereses esse) cum nemo præsumatur scienter errorem velle complecti, quin potius (quod certe Bœbmerus non abnuet) quisque apud se ita persuasus est, illa dogmata, tanquam fidei articulos esse credenda, quæ secta illa, cui fidem dedit, pro talibus habet, & agnoscit. Unde illud consequi necesse est, quod diximus, quod scilicet ex Libertate Conscientiæ omnes natæ sint hereses, illaque monstrorum horum foecunda parens extiterit: sicut autem heresis tanquam fidei Christianæ destructiva excindendi debet, ita Conscientiæ Libertas, quæ mater est heresum, tolerari haudquam potest.

Quos motus sacrilega hæc Conscientiæ Libertas inter ipsos diversorum studiorum heterodoxos excitaverit, homini in re Historica non peregrino peregrinum non est. Non recenséo vetera, cum nostrorum temporum exempla abundè suppetant. Notissima est Historia vel ipso Bœhmiero teste §. 34. illius dissidii, quod Lutheranos inter, & Zwinglianos ratione S. Cœnæ vehementissimè exarserat, dum, quam illi in sumptione Evcharistiæ realem Christi præsentiam adesse affirmaverant, illi ex adverso præfractè negârunt. Lutherani præter complures Libros, Dialogos, Confessiones, Epistolas in odium Zwinglianorum emissas, multas insuper ha-

habuerunt Synodos, quibus de opprimendis Sacramentariis aditârunt, quin multi eorum se quoque Catholicis junxerunt, ut Zwinglianos facilius opprimerent, in quos tanquam pestilentissimos hæreticos acerbè invehebantur, eisque aqua & igni interdicebant: nec erant contenti, nisi omnes expresse profiterentur, non se tantum, sed etiam impios Corpus & Sanguinem Christi corporaliter & substantialiter manducare. Si quis jam quærat, unde ejusmodi simultates ortæ sint? quam aliam causam reddemus, quàm Libertatem Conscientiæ, quippe qua factum est, ut Zwingliani sibi integrum fore existimarent, realem Christi præsentiam in Evcharistia audacter inficiari, quam tamen toto spiritu, omnique animi contentione Lutherani propugnabant. Inde odia, simultates, & bella. En fructus pacis, quos parit Libertas Conscientiæ.

41 Quid de Confessionistis, sive Protestantibus in nostra Germania dicam. Libertatem Conscientiæ, quam sibi contra Catholicos strenuè vindicabant, invadebant Reformatæ Religionis alumnis, persequabantur eos Lutherani, expellebant, à pace excludebant, ut hujus Historiæ locupletissimus rursus est testis Bœhmerus cit. §. 34. & seqq. Et quantum is horum errorem elevare, & excusare conetur, dicendo: Sunt in quavis Ecclesia turbidi, spiritum persecutionis geventes, & dissentientium hostes insensissimi, attamen hæc non ipsi Religioni, sed malitiæ hominum adscribendum est. Frigida tamen est hæc excusatio: has turbas quis alius furor excitavit, quam ille, quem Libertas Conscientiæ recens parta accendit?

Ut arma quoque ex domo rei pe-42 tam, ac Bœhmerum suismet telis configam, verba ejus admetior, quæ scribit §. 7. Communis sensus docet, intellectum admodum seduci à voluntate, ejusque impulsu, ut aliter sepe rem concipiamus, quàm reverà sese habeat. Et ne credamus, malum hoc particulare esse, & hanc deviationem unius, vel alterius hominis vitio fieri, ipsam hominis indolem generaliter ita esse vitiatam in subsequentiis verbis declarat: Homines natura improbi sunt, & morbo innato laborant, ob quem, ductu concupiscentiarum suarum facta vel facienda pessimè, minusque rectè inspiciunt, nec secundum rei veritatem examinant, imo nequidem certam Conscientiam de iis sibi formare possunt. Unde ego jam infero: si tanta est corruptio humanæ naturæ, & in errores inclinatio, qui fieri posse existimem, ut huic malo medeatur Conscientiæ Libertas? Si homines à concupiscentiis suis illecti, sæpissimè in transversum aguntur, ut facta vel facienda pessimè inspiciant, an non in profundiores errorum vortices se præcipitabant, si liberum ipsis sentiendi, & credendi arbitrium relinquatur? Ferociens equus laxato fræno quò non ruit? Scribit Bœhmerus §. 9. Solam RECTAM Conscientiam normam agendi esse debere, quia hæc demum rectè judicat secundum veritatem principiorum. Sed quis ille, qui rectè judicat secundum veritatem principiorum? Lutherus sibi hoc judicium vendicat, vendicat sibi quoque Calvinus, Zwinglius, Montanus. Quomodo autem hos omnes rectè judicare secundum veritatem principiorum dixeris, qui in ipsis principiis quàm maximè sunt discordes, ita,

C 3

ut,

ur, cum ex contradictoriis unum necessario *falsum* esse debeat, etiam horum Heterodoxorum principia simul *vera* esse non possint. Hoc autem pacto, quomodo *Lutherus*, aut *Calvinus*, aut reliqui hujus furfuris Novatores persuasi esse possunt, se recte judicare secundum veritatem principiorum? sic ergo apparet, quod *recta* Conscientia cum *Libertate*, à quo hæc principiorum, & quæ secundum illa regulantur, judiciorum diversitas ortum trahit, simul stare non possit.

43 Denique ex *Libertate Conscientie*, quam ventosa declamatione super astra Bøhmerus effert, illud absurdi sequitur, quod Divina Providentia deficiat in necessariis; quod sic ostenditur: DEUM veram, eamque unicam salvificam Religionem instituisse, qua ab hominibus coli petit, nemini indubium est: ergo debuit etiam ordinasse media, signa, & argumenta idonea, quibus facile vera illa Religio à Sectis falsis discernatur: Frivolum quippe foret, proponere finem, & nihil certi statuere de mediis, quibus ad illum pervenire oporteat; atqui admissa *Libertate Conscientie* similia signa, media, & argumenta veram Religionem discernendi à spuria, Divina Providentia non videtur instituisse: ergo. Primum Enthymema per se liquet. Subsumptum ita demonstro. Stante *Libertate Conscientie* liquido non constat, quænam ex tot Sectis vera illa à Christo instituta Religio sit; cum hæc ipsa incertitudo causa sit, cur Bøhmerus velit, cuilibet liberum sentiendi, & credendi arbitrium esse relinquendum; quodsi enim certò constaret, Sectam v. g. *Lutheri*

esse illam veram Religionem, in qua DEUS se coli petit, jam *Calvinista* liberum amplius non foret credendi, in sua Secta haberi fidem salvificam. Aut enim pro Secta *Lutheri* extant signa illustriora veræ Religionis, quàm pro Secta *Calvini*? aut sunt prorsus æqualia? Si prius dixeris: quomodo liberum sit *Calvinista*, secundum Sectæ suæ principia sentire, & credere, cum certiora suppetant signa, & argumenta pro vera Religione ipsius Sectæ *Lutheri*? ubi enim de fide salvifica quaeritur, non est locus opinionibus, cum non versemur in materia *topica*, ubi alterutri parti assentiri intellectui integrum est. Sin autem contendas, pro utraque Secta *Lutheri*, & *Calvini* æqualia prorsus signa apparere, jam nullum superest medium, quo possit *vera* Religio à *falsa* discerni: unde conficitur, admissa *Libertate Conscientie* Divinam Providentiam deficere in necessariis, imo infinitam DEI sapientiam sibi manifestè contradicere: ut quæ veram Religionem hominibus colendam, tenendam præcipit, illius tamen præ cæteris signa satis explorata non exhibet. Cepisti hæc argumenta Bøhmere? Ecce tam impiæ, tam sacrilegæ, tam blasphemæ sequelæ ex tuis falsissimis principiis fluunt, quibus *Libertatem Conscientie* stabilire frustra contendis. Appositè huc verba Lactantii de *Orig. error. lib. 2. cap. 6.* quadrant: *Semper argumenta ex falso petita ineptos, & absurdos exitus habent.* Malesuada ergo *Conscientie Libertas* conjiciatur in vincula, & malesanus ejus author aut fautor in pistrinum detur. Furat ibi, per me licet, & vociferetur:

UT

UT QUID ENIM LIBERTAS MEA JUDICATUR AB ALIENA CONSCIEN- TIA. 1. Corinth. 10. v. 29.

44. Quo *Dominatum* in Conscientias quam à Papa, ejusque Clero non sine tyrannide exerceri, stentoria dicacitate Bœhmerus iterum, iterumque clamat, ab impactis impropriis vindicemus, & infimul impudenti huic declamatori mendax os occludamus, duo breviter demonstranda sunt. I. Nemi- ni fidem ab Ecclesia per vim obtrudi, nec quemquam ad fidem orthodoxam amplectendam invitum compelli. II. Supplicium, si quod de hæreticis retroactis sæculis ab Ecclesia, & Ortho- doxis Principibus sumptum est, justifi- simè sumptum fuisse.

45. Quod igitur I. punctum attinet, à primis nascentis Ecclesiæ exordiis ad usque moderna tempora hæc doctrina, & praxis obtinuit, ut nemo alicui Pro- positioni assensum fidei Divinæ præstare teneatur, antequam ei motiva *credi- bilitatis* taliter fuerint proposita, ut prudenter persuasus sit, aliter nec credi posse, nec debere. Audiatur *S. Thomas* Scholarum nostrarum Theologicarum lucidissimus Phœbus 2. 2. Q. 1. art. 4. ad 2. *Non crederet quis (ait) nisi videret, ea esse credenda, vel propter evidentiam signorum, vel propter aliquid hujusmodi.* Est hæc doctrina omnino conformis Evangelio. *Joan. 15. v. 22.* Christus de iis, qui non credebant, ait: *Nunc autem excusationem non habent*, scilicet, post- quam fides in verum Messiam ex mo- tivis exhibitis evidenter illis apparuit credibilis, & tamen non crediderunt. Eousque ergo non credentibus locus

est excusationi, quoad intellectus de motivis *credibilitatis* plenè fuerit persua- sus: semel autem persuasus, & convi- ctus intellectus, de veritate sibi ab Ec- clesia proposita hoc suum judicium deinceps proponit voluntati, quæ quasi dulci quodam fascino illecta, amicissi- ma imperii reciprocatione intellectui imperat *assensum fidei*, quo fit, ut intel- lectus ejusmodi propositioni citra ul- lam vim, aut coactionem omnino li- berè, & voluntariè assentiatur. Unde bene Augustinus *de Predestinat. Sanct. cap. 2. Cetera potest homo nolens; credere autem non nisi volens.* Et S. Ambrosius super *Epist. Pauli Rom. 4. v. 4. Aut crede- re, aut non credere voluntatis est; neque enim cogi potest ad id, quod manifestum non est.*

Rogas: habetne Ecclesia Romana 46 evidentiæ ejusmodi *credibilitatis* moti- va? habet omnino. *Testimonia ejus cre- dibilia facta sunt nimis. Psalm. 92. v. 5.* Habet à persona Christi Authoris sui: ab integritate & rectitudine doctrinæ: à sanctitate sectatorum fidei nostræ Ca- tholicæ: ex miraculis tot, & tantis, omnibus retrò sæculis in confirmatio- nem fidei nostræ perpetratis: à modo, quo fuit fides nostræ propagata: ex constantia Martyrum pròpe innumero- rum: ab excellentia, & conditione eo- rum, qui nostræ Religionis fuerunt: ex vaticiniis & Prophetiis &c. quæ omnia, apud nostros Polemicos fusius exposita Sagax fidei veræ Indagator re- periet. Et quod præter hæc omnia cre- dibilitatis motiva omnium præstantissi- mum est, *lumen fidei* Ecclesia desuper habet, quod specialiter animam inter- ne illustrat, ut proposita fidei myste- ria evidenter credibilia esse agnoscat: vi-

vide Concil. Trid. Sess. 6. de Justificat. cap. 6. Hoc verò lumine deficiente, nec intellectus de proposita veritate persuadetur, nec voluntas pia motione afficitur. *Etsi DEUS ipse (sunt verba S. Augustini Lib. 15. de Civit. DEI cap. 6.) utens creatura sibi subdita in aliqua specie humana sensus alloquatur humanos, nec interiore gratia mentem regat, atque agat, nihil prodest homini omnis prædicatio veritatis.*

47 Quodsi igitur intellectus, lumine fidei desuper illustratus, proposita sibi Religionis nostræ mysteria credibilia evidenter agnoscat, quid mali facit Ecclesia, quod taliter dispositæ, ac ad credendum debite comparatæ Conscientiæ fidem imperet? quam non querere, supina ignavia est, quam agnitam non admittere, maxima temeritas est, contra quam niti, summa pertinacia est, in qua amplectenda Libertatem admittere, error inexcusabilis est. Hanc cum imperat Ecclesia, non necessitat *necessitate coactionis, sed necessitate finis*, ut cum S. Thoma 1. part. q. 82. art. 1. C. loquuntur nostri Theologi. Sed audio Bœhmerum ejulantem: *Non sum convictus de veritate Sententiæ contrariæ, aliter judicare non possum, quam secundum principia, quibus imbutus sum. Non possum agere contra Conscientiam, & quæ sunt aliæ barbaræ ejusmodi exclamations. Bœhmere, præjudicia, quibus animus tuus vehementer occupatus est, sepone, lumen à Patre luminum ardentibus precibus emendica, argumenta Orthodoxorum DD. & PP. examina. Erit, ut, qui splendescere facit lumen è tenebris, tibi quoque illud feliciter illucescere faciat. Erit ut error, qui hæcenus intellectum tuum occæca-*

verat, dissipetur, & pertinacia, quæ in voluntate tua altas radices egit, tanquam hibernalis glacies tabescat. Verum Æthiopem me lavare animadverto. Bœhmerus nihil quidquam movetur. Casus cascam ducit, *Lutherus Bœhmerum. Erro errantem, cæcus cæcum. Quid? (exclamat) ego Pontifici Libertatem Conscientiæ tributariam faciam, qui cogit homines pœnis, malisque propositis, ut aliter sentiant, credant, agantque, quam ratio, & principia Religionis, cui adherent, ipsis dicitur, jubet, & præcipit. Nihil tam voluntarium ait Lactantius lib. 5. de Just. cap. 20. Quam Religionem esse, in qua si animus adversus est, jam sublata, jam nulla est. Et Tertullianus ad Scapulam cap. 2. Humani juris, & naturalis potestatis est, unicuique, quod putaverit, colere. Pontifex nihilominus in eos persecutiones instituit, qui fidei à se propositæ refractarios exhibuere, ferro flammisque in dissentientes sævit. Ipsi etiam orthodoxis Principibus auctor fuit, ut heresim inter crimina publica referrent, pœnisque ultimi supplicii mulcarent. Despoticum, imo tyrannicum hoc imperium quis ferat? Hæc quidem modestius scribere potuisset, Bœhmerus, sed quia non vult deponere errorem Conscientiæ, hinc cruda hac Phrasæologia perpetuo utitur. Mitius, & æquius de Pontifice sentire, & loqui ipsum jam docebo.*

Verum est: Ecclesia frequentius 48 jam exseruit gladium spiritualem in fidei contemptores & eversores, adhibito quoque gladio temporali, quem Principes politicos in Ecclesiæ hostes stringere jussit. Sed qui illi, in quos Ecclesia imperium merum exercuit? An *Paganis & Judæis, & cæteri infideles, qui*

salutari regenerationis lavacro nunquam tincti, fidem Orthodoxam nondum adepti sunt? Non Oedopol in hos, qui *foris sunt*, gladium suum strinxit. De his gnoma illa ex *Lactantio*, & *Tertulliano* superius adductæ exaudiendæ sunt. Fides enim, ut ait *Clemens Romanus Lib. 9. Recognit.* & *S. Bernardus Serm. 66. in Cantic.* Infidelibus suadenda, non imponenda est. Vis, probem testimonio SS. Canonum: audi *CLEMENTEM III. in cap. 9. de Judeis. Statuimus, ut nullus invitos vel nolentes Judeos ad Baptismum venire compellat. Si quis autem ad Christianos causa fidei confugerit: postquam voluntas ejus fuerit patefacta, Christianus absque calumniis efficiatur: quippe Christi fidem habere non creditur, qui ad Christianorum Baptismum, non spontaneus, sed invitus cogitur pervenire.* Qui ergo illi, in quos ferro, flammisque sævit Ecclesia? Perinaces, rebelles *heretici* sunt, quibus Decretum est, in antiquis erroribus permanere: hos subinde, ne superstitibus maxima damna Ecclesiæ, & Christiano populo inferant, hos, inquam, Ecclesia judicat, impune è medio tollendos esse, & non modo impune, sed sancte, sed juste, sed gloriose. Quis enim, obsecro, sumptum de sceleratis hominibus justum supplicium, crudelitatem appellabit? si medicus putrida, & emortua membra, quæ toti corpori interitum minantur, non abscinderet: si dominus sceleratos & improbos servos qui domum incendissent, substantiam omnem, & domini fortunas dissipassent, filios trucidassent, nulla pœna afficiendos duceret: si Magistratus latrones, adulteros, homicidas, incendiarios impune in Republica versari pate-

retur, nonne hos omnes crudeles, impios, Republicæ hostes merito dicemus. Quid autem sunt, & fuerunt omnium temporum hæretici, quàm putrida membra Ecclesiæ, quæ subinde, ne suam impetiginem reliquo sano corpori affricent, præscindere oportet. Quid aliud Hæresiarchæ, & qui eorum castra sequuntur, hætenus moliti sunt, quàm ut Ecclesiam erroribus, & armis acerbe, & crudeliter vulnerarent, filios per excogitatas fraudes, & imposturas ab ejus gremio abstraherent, fana incenderent, ipsasque aras Christianorum sanguine cruentarent, & alia sexcenta crudelitatis, & impietatis ederent argumenta. Unde iniquitatis nihil habet, quod Ecclesia ejusmodi pestes, quas salutaribus adhortationibus, pœnisque medicinalibus, ad frugem reducere nequit, potestati laicæ tradat exterminandas. Audiatur *S. Thomas 2. 2. Q. 11. art. 3. C.* ubi hanc Quæstionem: *An heretici sint tolerandi*, sic resolvit, *circa hereticos duo sunt consideranda. Unum quidem ex parte ipsorum: aliud verò ex parte Ecclesiæ. Ex parte quidem ipsorum est peccatum, per quod meruerunt non solum ab Ecclesia per excommunicationem separari, sed etiam per mortem à mundo excludi. Multò enim gravius est corrumpere fidem, per quam est animæ vita, quàm falsare pecuniam, per quam temporali vitæ subvenitur, unde si falsarii pecuniæ, aut alii malefactores statim per Sæculares Principes justè morti traduntur; multo magis heretici statim, ex quo de heresi convincuntur, possunt non solum excommunicari, sed & justè occidi. Ex parte autem Ecclesiæ est misericordia ad errantium conversionem, & ideo non statim condemnat, sed post primam, & se-*

D

cun-

cundam correptionem, ut Apostolus docet: postmodum verò, si adhuc pertinax inveniat, Ecclesia de ejus conversione non sperans, aliorum saluti providet, eum ab Ecclesia separando per excommunicationis Sententiam; & ulterius relinquit eum judicio Seculari, à mundo exterminandum per mortem. Sibi adstipulantem habet S. Hieronymū, qui in *Epist. ad Galat. cap. 5.* sic scribit: *Refecandæ sunt putridæ carnes, & scabiosa ovis à caulis repellenda, ne tota domus, massa, corpus, & pecora ardeant, corrumpantur, putrescant, intereant. Arius in Alexandria una scintilla fuit, sed, quia non statim oppressa fuit, totum orbem ejus flamma populata est.* Quæ verba hujus S. Doctoris Gratianus refert. *cap. 16. C. 24. Q. 3.* non recensebo aliorum Patrum in hanc rem Sententias, quas plena manu exhibet Card. Bellarminus de *49 Memb. Eccles. Milit. lib. 3. cap. 21.* Illud Bœhmero condonare nequeo, quod §. 23. scribat, S. Augustinum, qui antecederet hanc coactionem & territionem hæreticorum non probabat, ad mutandam suam Sententiam non *RATIONE* superatum esse, sed *EXEMPLIS*, quæ tamen, si cum ratione, & doctrina Christi pugnant, ipsum commovere non debuissent, ut à sana Sententia recederet. DEUS bone! quam inverecundus est Bœhmeri calamus. Hactenus credebatur, omnes Patrum Sententias in scrinio pectoris sui habere reconditas, jam non sine grandi sui prostitutione palam facit, se dictam S. Augustini Epistolam ne quidem à fronte aspexisse. Quid? Augustinus nulla ratione, sed solis exemplis, cum doctrina Christi pugnantibus, inductus fuit, ut hæreticos diceret, cogendos terrendos, puniendos? ut confundatur effrons, &

mendax Bœhmeri calamus, aliqua duntaxat loca ex prolixa illa Epistola Augustini, ad Vincentium scripta, excerpo. Nunquid Sententiam suam probat auctoritate, & exemplo servatoris nostri, de quo ita: *Quis nos potest amplius amare, quàm DEUS?* & tamen nos non solum docere suaviter, verum etiam salubriter terrere non cessat. Fomentis lenibus, quibus consolatur, sepe etiam mordacissimum medicamentū tribulationis adjungens, exercet Patriarchas fame, etiam pios, & Religiosos: populum contumacem pœnis gravioribus agit. Nunquid rursus eandem auctoritatem allegat, dum scribit: *Et putas nullam vim adhibendam esse homini, ut ab erroris pernicie liberetur: cum ipsum DEUM, quo nemo nos utilius diligit, certissimis exemplis hoc facere videas, & Christum audias dicentem: Joan. 6. Nemo venit ad me, nisi quem Pater attraxerit. Quod fit in cordibus omnium, qui se ad eum Divinæ iracundiæ timore convertunt: & noveris aliquando furem averteudis pecoribus pabulum spargere, & aliquando Pastorem flagello ad gregem pecora errantia revocare: id quod adductis tam veteris, quam novi Testamenti exemplis in contextu Epistolæ amplius corroborat.* At non ratione simul, & auctoritate Augustinus ducitur, dum ad confirmationem suæ Sententiæ illa verba *Psalm. 100. detrahentem proximo suo, hunc persequer, ita exponit: Aliquando ergo, & qui eam (persecutionem) patitur, injustus est, & qui eam facit, justus est. Sed planè semper & mali persecuti sunt bonos, & boni persecuti sunt malos: illi nocendo per injustitiam, illi consulendo per disciplinam, illi immaniter, illi temperanter: illi servientes cupiditati, illi charitati. Nam, qui trucidat, non considerat, quem-*

quemadmodum laniet: qui autem curat, considerat, quemadmodum secat: ille enim persequitur sanitatem, ille putredinem. --- In his omnibus quid attenditur, nisi quis eorum pro veritate, quis pro iniquitate, quis nocendi causâ, quis emendandi? Quid? Augustinus exemplis, doctrinæ Christi repugnantibus inductus fuit? Audiamus rursus Augustinum: Non invenitur exemplum in Evangelicis, & Apostolicis litteris, aliquid petatum à regibus terræ pro Ecclesia, contra inimicos Ecclesiæ. Quis negat non inveniri? audi Boemere exemplum. Veruntamen (pergit Augustinus) si facta præterita in Prophetis libris figuræ fuerunt futurorum, in rege illo, qui appellabatur Nabuchodonosor, utrumque tempus figuratum fuit, & quod sub Apostolis habuit, & quod nunc habet Ecclesia. Temporibus itaque Apostolorum, & Martyrum illud implebatur, quod figuratum est, quando Rex memoratus pius, & justos cogebat adorare simulacrum, & recusantes in flammam mittebat. Nunc autem illud impletur, quod paulò post in eodem Rege figuratum est, cum conversus ad honorandum DEUM verum, decrevit in regno suo, ut, quicumque blasphemaret DEUM Sidrac, Misac, & Abdenago, pœnis debitis subiaceret. Prius ergo tempus illius Regis significabat priora tempora regum infidelium, quos passi sunt Christiani pro impiis: posterius verò tempus illius Regis significavit tempora posteriorum Regum jam fidelium, quos patiuntur impii pro Christianis. Audi porro Boemere, quam apposita similitudine utatur S. Augustinus, ut demonstret, hæreticos corrigendos, terrendos, puniendos esse. Si quisquam inimicum suum (inquit) periculosis febribus phœneticum factum, currere videret in præceps, nonne tunc potius malum pro ma-

lo redderet, si eum sic currere permetteret, quàm si corripiendum, ligandumque curaret? Et tamen tunc ei molestissimus, & adversissimus videretur, quando utilissimus, & misericordissimus extitisset? Sed plane salute reparata tantò uberius ei gratias ageret, quanto sibi eum minus pepercisse sensisset. O si tibi possem ostendere (scribit Vincentio suo) ex ipsis circumcellionibus, quàm multos jam Catholicos manifestos habeamus, damnantes suam pristinam vitam, & miserabilem errorem, quos se arbitrabantur pro Ecclesia DEI facere, quidquid inquieta temeritate faciebant: qui tamen ad hanc sanitatem non perducerentur, nisi legum istarum, quæ tibi displicent, vinculis tanquam phœnetici ligarentur. Omitto alia argumenta, quibus Augustinus in cit. Epistola se motum, & persuasum fuisse fatetur, ut diceret, & doceret, hæreticos ad unitatem fidei, pœnis quoque propositis, esse cogendos. Adducta loca satis declarant, non solis exemplis, & quidem talibus, quæ doctrinæ Christi repugnant, Augustinum fuisse superatum. Unde dicam, quam S. Augustino scribere non erubuit Boemere, tibi meritissimo talionis jure scriptam habe. Non ratione nititur tua Conscientia Libertas, sed solis exemplis, iisque depravatissimis, utpote ab hæreticis priorum temporum desumptis.

Quid adhuc habes, quod contra hunc rigorem, quo Ecclesia in pervicaces hæreticos animadvertit, ogganas? Forte dices: non legimus, primitivam Ecclesiam in contradictores, qui ne eo quidem tempore defuerunt, gladio usum fuisse, & tam asperum in eos dominatum exercuisse. Bene dices: sed audi etiam ejus rei causam. Nondum hæreticorum insania id temporis eò

proruperat, ut contra matrem Ecclesiam gladios arriperet, & principum arma concitaret: Neque etiam ea adhuc tempestate gladii imperatorum serviebant Evangelio, ut dixit *S. Augustinus*, ideo tunc solum gladio *spirituali* in hæreticos animadvertibat: at vero, cum hæresis arrogantius cristas erexisset, potentiorum sibi conciliare animos, Ecclesiæque pacem, & tranquillitatem turbare cœpisset, ab eo tempore Christiani Principes in eos severius esse animadvertendum judicarunt. Hinc Constantinus Arianos, Innocentius I. Cataphrygas, Gelasius, & Anastasius Manichæos exilio damnarunt: hinc Theodosius, & Marcianus Imperatores varia suppliciorum genera adversus hæreticos decreverunt: & quod tandem supplicii genus in tot hæreticorum sceleribus vindicandis tam acerbum excogitari potest, quod merito crudele ap-

pelletur? Neque enim Ecclesia pia mater, sed crudelis noverca dici posset, si has pestes vivere, & inter filiorum latera cum tanto illorum periculo versari pateretur. Esset adhuc aliis argumentis Bœhmeri respondendum, ut, quod proponit de *Atheismo*, de *persecutione tyrannorum* &c. sed satis jam ex paulo ante adductis retusa ejus jacula fuisse, existimamus. Suo subinde jam damno sentiat, quàm verè de illis, qui *Petram* firmissimam, Romanam Ecclesiam, impie nituntur concutere, illud sit dictum:

*IN DURUM LAPIDEM
QUISQUIS SUA SPI-
CULA TORQUET,
IN CAPUT IPSIUS
SÆPE RETORTA
CADUNT.*

§. IV.

In quo vera Conscientiæ Libertas consistat?

SUMMARI A.

50. *Libertas cum servitute stare potest.* 51. *Servire fidei, & Ecclesiæ legibus est vera Conscientiæ Libertas.* 52. *Quomodo Conscientia dicatur libera, fidei se submit- tens?* 53. *Fides Bœhmeri, & aliorum Novatorum hac Libertate non gaudent.* 54. *Quomodo Conscientia dicatur libera, quæ se Legibus Ecclesiæ subjicit?* 55. *Hæretici non possunt se vocare servos DEI.* 56. *Quàm caro ipsis stet sua libertas, ex S. Bernardo ostenditur.* 57. *Conscientia Bœhmeri indurata ostenditur.* 58. *Fine tamen suo labor noster frustratus non est.*

50 **H**unc Paragraphum paucis absolvimus, dicendo, veram *Conscientiæ Libertatem* consistere in *servitute*. Paradoxa loqui videbor, ut qui *Libertatem* in eo constituo, quod *libertatem* perimit. *Servitus & Libertas* se

invicem nihilo magis compati possunt, quam *Lux, & Tenebræ*: veluti ergo istæ disparent, adveniente luce; ita *Libertatem* extinguere necesse est, ubi *servitus* inducitur. Ita quidem illis videri poterit, qui *libertatem carnis* præhabent *spiritus*

ritus libertati. Alia est orthodoxorum de
 51 *Libertate Conscientiæ* Sententia. Man-
 cipant illi intellectum suum in obse-
 quium fidei, voluntatēque suam legi-
 bus Christi, & Ecclesiæ subjiciunt. In
 his vinculis auream *Conscientia* invenit
 52 *Libertatem*. Dicamus I. pauca quæ-
 dam de *fide*. Fidei orthodoxæ *veritas*
 facit, ut ne in devia præceps abeat Con-
 scientia. Quanta securitas! fidei ortho-
 doxæ *unitas* ostendit nos ex Patre
 Christo, & Matre Ecclesia per regenera-
 tionem aquæ, & Spiritus de Filiis
 translatos in adoptionem gloriæ filio-
 rum DEI. Quanta felicitas! fidei ortho-
 doxæ *unitas* compaginat nos suavissi-
 mo amoris glutine, ut sit multitudi-
 nis cor unum, & anima una, unus spi-
 ritus, una fides. Unitas enim fidei con-
 cordiam parit, concordia Mater est uni-
 tatis. Quam læta socialitas! *unitas* fi-
 dei orthodoxæ tribuit *libertatem*: ex fide
 siquidem vita nobis, & victoria. *Iustus*,
 inquit, *meus ex fide vivit*. Et hæc est vi-
 ctoria, quæ vincit mundum, *fides nostra, sed*
 & *sancti vicerunt regna*. Regnum Sata-
 næ, quia Princeps Apostolorum eidem
 in *fide* resistendum monet 1. *Petr.* 5. re-
 gnum mundi, quia, ut ait S. Bernardus
Serm. 1. in *Octav. Pasch. fidem in nobis*
mundus in maligno positus odit, atque per-
sequitur, fide quoque, & vincitur, imò &
Regnum Cælorum, quod non libertini ra-
piunt, qui suæ Conscientiæ ipsi vincula
solvunt, sed violenti, qui scilicet in ca-
ptivitate fidei liberi existunt. Regnum
enim Cælorum vim patitur, & violenti ra-
piunt illud. Ecce sic omnia regna uni-
tas fidei, & fides unitatis expugnat...
 53 Non hac virtute pollet fides *Bæhmeri*,
 non fides *Lutheri, Calvini*, aut alterius
Novatoris, quia nec est *una*, nec est vi-

54
 51, cum bonorum operum adminiculis
 fulciri dedignetur. *Fides* autem (ait
 Apostolus *Jacob.* 2.) *sine operibus mor-*
tua est. Unde infert S. Bernardus cit.
Serm. Nec sane mirum videri potest, si ne-
quaquam vincit, quæ nec vivit quidem.
 Credunt quidem & hæretici, quod nos
 Catholici credimus, DEUM esse unum,
 & trinum, Christum pro nobis pas-
 sum &c. *Facit tamen hæc fides Catholi-*
cum? Quærit prælaudatus S. Pater Serm.
ad Pastor. in Synod. Congregat. hac fide uti-
que demones essent Catholici, quia, ut dicit
Jacobus cap. 2. CREDUNT, ET CON-
TREMISCUNT. Verum utique Catho-
licum facit non fides communis demonibus,
 & *hominibus, sed ea tantum, quæ commu-*
 nis est *hominibus, & Angelicis spiritibus.*
 Quæ est illa? Quæ per dilectionem opera-
 tur. De qua Apostolus dicit *Galat.* 5.
 NEQUE CIRCUMCISIO ALIQUID
 VALET, NEQUE PRÆPUTIUM, SED
 FIDES, QUÆ PER DILECTIONEM
 OPERATUR. Fides *Lutheri, Calvini,*
 & *Bæhmeri*, cum una non sit, per dile-
 ctionem quoque operari non potest;
 charitatis enim Symbolum est *unitas*.
 Id quod patet in sponsa cælesti, de qua
 sponsus *Cant.* 6. *Una est Columba mea,*
formosa mea, perfecta mea. Nec una,
 nisi per *charitatem*, ut ipsa fatetur *Cant.* 2.
Ordinavit in me charitatem. Relinqua-
 mus ergo istis fidem communem cum
 demonibus; nos nostram per dilectio-
 nem operemur cum Angelis, scientes,
 quod hæc vera *Conscientiæ Libertas* sit,
unitas fidei, quæ per dilectionem opera-
 tur.
 Justinianus scripsit *Nov.* 18. erube-
 scere se, sine lege loqui: verus Christianus
 dicit, erubescere se sine lege vive-
 re. In his vinculis *Conscientiæ Liber-*
 tatem

tatem invenit. At quomodo? Nullius Conscientia magis libera, quam *justi*, huic enim teste Apostolo 1. *Timoth. 1. Lex non est posita*, & tamen is, ut conscientia suæ justitiam conservet, sine lege vivere non vult. Audiatur S. Bernardus *Epist. 111.* ubi super illa verba: *Iusto lex non est posita*, ita commentatur: *Vis audire, quia justis non est lex posita? Non accepistis* (inquit Apostolus *Rom. 8.*) *spiritum servitutis iterum in timore. Vis audire, quod tamen sine lege charitatis non sint? sed accepistis* (rursus ait Apostolus) *spiritum adoptionis filiorum. Denique audi justum utrumque, de se fatentem, & quod non sit sub lege, nec tamen sit sine lege. FACTUS SUM* (inquit 1. *Corinth. 9.*) *HIS, QUI SUB LEGE ERANT, QUASI SUB LEGE ESSEM, CUM IPSE NON ESSEM SUB LEGE. HIS, QUI SINE LEGE ERANT, TANQUAM SINE LEGE ESSEM, CUM SINE DEI LEGE NON ESSEM, SED IN LEGE ESSEM CHRISTI. Unde apte, non dicitur: justis non habent, aut justis sunt sine lege, sed JUSTIS NON EST LEX POSITA*, hoc est, non tanquam invitis posita, sed voluntariis eò liberaliter data, quò suaviter inspirata. Unde & pulchre Dominus *Matth. 11. TOLLITE*, ait, *FUGUM MEUM SUPER VOS. AC SI DICERET: NON IMPONO INVITIS, SED VOS TOLLITE, SI VULTIS. ALIOQUIN NON REQUIEM, SED LABOREM INVENIETIS ANIMABUS VESTRIS.* En vides libertatem non pugnare cum *Legibus*, sed, ut illam Conscientia *justi* obtineat, illis se prompte subjicit. Ita subinde Conscientia *justi*, hoc est, cujuslibet veri Christiani comparata sit oportet, leges

Christi, & Ecclesiæ agnoscat, his enim parendo *vera libertas* invenitur. Verus Christianus itendidem illa Davidis verba ingeminat: *O Domine, quia ego servus tuus, servus tuus, & filius ancillæ tuæ.* Si *servus*, & *filius*, quomodo sine lege? nec *servus* dici potest, qui Domino non pareat, nec *filius*, qui parentibus non obtemperat. Clamant quidem etiam hæretici ad Dominum: *ego servus tuus*, sed quia non insimul profitentur se *filios ancillæ suæ*, hoc est, *Ecclesiæ*, cujus præcepta contemnunt, ideo eos pro *servis* non habet. An hoc ex meo cerebro? S. Augustinum audite enarrat. In *Psal. 115.* ubi super illa verba: *O Domine ego servus tuus* &c. ita servum Catholicum loquentem inducit: *Dicat ergo DEO servus iste, multi se Martyres dicunt, multi servos tuos, quia Nomen tuum habent in variis hæresibus, & erroribus; sed quia præter Ecclesiam tuam sunt, non sunt filii ancillæ tuæ: ego autem (cum veritate dicit Catholicus) servus tuus, & filius ancillæ tuæ.*

Quid ad hæc *Libertini*, qui ex legem ꝑ jactitant Conscientiam suam? non agnoscunt leges Ecclesiæ, sed illas duntaxat, quas cujuslibet Conscientia ipsa sibi statuit? tacent; cum enim legem non habeant, erubescunt loqui: ergo S. Bernardum eorum loco loquentem audiamus: ingemiscunt, ait, *cit. Epist. & clamant cum Jobo ad Dominum: Quare posuisti me contrarium tibi, & factus sum mihimetipsi gravis. Job. cap. 7.* Sunt omnino hi ejulatus Conscientiæ hæreticorum non *libera*, sed *compeditæ*. Paraphrasin jam horum verborum ex Sancto Bernardo audiamus: *FACTUS SUM MIHIMETI ꝑ SI GRAVIS*, clamat hæreticus, quo ostendit,

dit, quod lex ipse sibi esset, nec alius, hoc, quam ipse sibi fecisset. Quod autem DEO loquens præmisit: POSUISTI ME CONTRARIUM TIBI: DEI se tamen non effugisse legem judicavit. Hoc quippe ad æternam, justamque legem DEI pertinuit, ut, qui à DEO noluit suaviter regi, pœnaliter à seipso regetur, quique sponte jugum suave, & onus leve charitatis abjecit, propriæ voluntatis onus importabile pateatur invitus.

57 Quid ad hæc Boëmerus noster? Verberaverunt me (ait sapiens hic cum sapiente Prov. 23.) & non dolui: Traxerunt me, & ego non sensi. Ita est: Libera, hoc est, in malo obfirmata Conscientia etiam in malo sibi complacet, & quanquam crebris idibus vulneretur, vulnera non sentit, verbera non attendit. Eousque sua Scientia profecit. Boëmerus, ut Conscientiam suam etiam in malo redderet tranquillam. Num tranquillitatem hanc gratulabimur ei? Absit, ait S. Bernardus de Grat. & lib. ar-

bitr. cap. 5. Nam, qui letantur, cum malefecerint, & exultant in rebus pessimis: tale est, quod faciunt, quale, cum vident phrenetici.

Ergo actum egimus, ut qui Boë- 58 mero Libertatem Conscientiæ pseudo-Evangelicam nostra hac Dissertatione ostendere, eique pessimum hunc errorem eximere non sine labore studuimus? Non incassum laboravimus, consolatur nos sæpe fatus S. Bernardus Serm. 64. in Cant. Nec propterea sane nihil se egisse putet, qui hæreticum vicit, & convicit, hæreses confutavit, verisimilia à vero clarè, apertèque distinxit, prava dogmata, plana, & irrefragabili ratione prava esse monstravit, pravum denique intellectum extolentem se adversus Scientiam DEI in captivitatem redegit. Nempe cepit nihilominus, qui talia operatus est, vulpem, etsi non ad salutem illi: & cepit eam sponse sponse, quamvis aliter. Nam, etsi hæreticus non surrexit de fece, Ecclesia tamen confirmatur in fide.



DE-



DECRETALIU EPISTOLARU
GREGORII IX.
LIBER TERTIUS.

P R Æ F A T I O.

Unter quinque Libros, in quos Decretales *Gregorii IX.* Epistolas earum compilator *S. Raymundus de Pennafort* dispescuit, præsens Liber III. facile principem locum obtinet, tum ob Titulorum, & Rubricarum numerum ampliorem, tum ob materiarum, quæ sub iisdem tractantur, varietatem, & dignitatem. Tractantur equidem in hoc Libro materiæ tum *Civiles*, tum *Ecclesiasticæ*, eæque vel ut Clericis, aliisque personis Ecclesiasticis *proprie*, vel ut Laicis quoque communes sunt. Et quidem *Oeconomia* Libri hæc est. I. Per 13. priores Titulos de obligationibus Clericorum in communi agitur, ac deinde, de juribus eorundem beneficialibus, prout illa vel Clericis singillatim consideratis, vel aliquod corpus mysticum, sive Capitulum constituentibus, vel ipsorum Prælati competunt. II. In 13. sequentibus Titulis materia Contractuum, Testamentorum, & Successionum ab intestato, prout illa in utroque foro usum habet, exponitur, & demum III. à Titul. 27. usque ad finem de juribus Regularium, nec non Parochorum propriis, item de Jure Patronatus, Sacrorum, Sacramentorum &c. in quantum hæc jura tam Laicos, quàm Clericos contingunt, convenienti ordine tractatur; ut subinde mirer, quòd *Boehmerus ad h. t. §. 1.* ausus sit scribere: *hoc modo coheret inordinatus ordo Libri tertii.* Nos Commentationes nostras ad hunc Librum in 3. Partes sive Tractatus distribuimus,

mus, in I. acturi de Obligationibus, & Juribus Clericorum in communi, nec non de Juribus, ac Obligationibus Prælatorum & Capitulorum in specie. In II. de Contractibus in specie, prout illi in serie Titulorum enumerantur: item de Testamentis, & aliis ultimæ voluntatis speciebus, nec non de Successionibus ab intestato. III. Denique Tractatus in exponendis aliis juribus spiritualibus tum Clericorum propriis, tum Laicis communibus absolvetur. DEUS nostris conatibus præpotenti virtute sua assistat, cujus unius gloriæ, & honori singulos apices consecramus.

TITULUS I.

De Vita, & Honestate Clericorum.

Quamvis Reipublicæ Christianæ commoda promoveat inculpatæ in Clero vitæ tenor, morumque probitas, Concilium Tridentinum *Sess. 22. de Reform. cap. 1.* satis dilucidè explicat his verbis: *Nil est, quod alios magis ad pietatem, & DEI cultum assidue instruat, quam eorum vita, & exemplum, qui in sortem Domini vocati, se Divino ministerio dedicarunt. Cum enim à rebus sæculi in altiore sublati locum conspiciantur, in eos, tanquam in speculum reliqui oculos conjiciunt, ex illisque sumunt, quod imitentur: idè in limine hujus Libri Canones, sive Regulæ, ad quas mores suos componant Clerici, traduntur, quas antequam sigillatim exponamus, generalia quædam circa statum Clericalem præmittimus.*

§. I.

De Origine, & Varietate Clericorum.

SUMMARI A.

1. *Etymologia hujus nominis Clericus eruitur.*
2. *Nil interesse inter Clericum, & Laicum, docent Lutherus, & Calvinus, & novissime Bæbmerus.*
3. *Ex ejus argumentis plurimis unum proponitur, & ostenditur, argumentum negativum infirmi roboris esse.*
4. *Quare hoc argumento crebrius utantur heterodoxi?*
5. *Bæbme-*

E

ri

ri argumentum negativum confutatur. 6. Alia ejus subsidia, quæ conquirat, annihilantur. 7. Inter Orthodoxos est dogma certum, dari discrimen inter Clericos, & Laicos. 8. Clericus late, & strictè sumptus quis dicatur. 9. Clerici alii sunt Majores, alii Minores. 10. Alii simplices, alii qualificati. 11. Alii Regulares, alii Seculares. 12. An Novitii, Moniales, Eremitæ &c. nomine Clericorum veniant, hæc quæstio, hic § n. 13. resolvitur. 14. Dantur quoque Canonici, iique vel Regulares vel Seculares, quorum origo inquiritur.

1 **C**Lerus, & Clericus græcam derivationem habet Κληρῶς enim græca vox latine idem sonat, quod fors, ideoque Clerici quasi fors & hereditas Domini dicti, ut qui Divino Cultui consecrati, procurandæ Religionis, ac rerum sacrarum, DEO ipso jubente, Providentiam, ac sollicitudinem susceperunt. cap. 5. § 7. C. 12. Q. 1. cap. 16. de Præbend. Unde S. Hieronymus Epist. ad Nepotian. ait: Clericus interpretetur primò vocabulum suum, & nominis definitione prolata, nitatur esse, quod dicitur; si enim Κληρῶς græcè, fors latine appellatur; propterea vocantur Clerici, vel quia de sorte sunt Domini, vel quia ipse Dominus fors, id est, pars Clericorum est. Per Clericos igitur intelligimus certum genus hominum in altiori gradu constitutorum, feseque tota vitæ ratione à Laicis distinguendum. Duo enim sunt genera Christianorum (ait S. Hieronymus cap. 7. C. 12. Q. 1.) Unum genus, quod mancipatum Divino Officio, & deditum contemplationi, & orationi ab omni strepitu temporalium cessare convenit, ut sunt Clerici, & DEO devoti &c. alterum genus Christianorum sunt Laici &c.

2 Quid verò intersit inter has voces, Clericum, & Laicum? Quæstionem non esse de nomine, Calvini, & Lutheri, & eorum sequacium contradictiones ostendunt: hi enim hanc distinctionem non ferunt. Hæc appellatio (ait

Calvinus lib. 4. Instit. cap. 4. §. 9.) aut errore, aut certe ex prava affectione nata est, cum tota Ecclesia Clerus, id est, hereditas Domini à Petro dicatur. Et Lutherus, Apostolus ille supernumerarius lib. de abrogand. Miss. Hoc dixisse contenti sumus, Christianum populum esse simplicem, in quo prorsus nulla secta, nulla differentia personarum, nullus Clericus, nullus Laicus, nullus Unctus, nullus Rasus, nullus Monachus esse debeat. Nos duobus his novæ legis sanctissimis conditoribus litem inferre nolumus, veriti, ne quietem, quam in Regno mortuorum (O utinam in Regione vivorum!) quàm placidissimam procul dubio captabunt, temerè interpellemus. Bœhmero, qui etiamnum vivit, antequam ad limbum Patrum suorum descendat, quædam adhuc in aurem dicenda sunt. Defendit is mordicus in Dissertationibus ad Plinium II. & Tertullianum Dissertat. 7. per tot. differentiam illam inter Clericos, & Laicos, prout illam Ecclesia Orthodoxa accipit, nullo S. Scripturæ, aut Patrum testimonio satis esse firmatam, nec ejus in Ecclesia primis duobus sæculis aliquod vestigium extare, sed eo demum tempore invaluisse, quo Ecclesia (sunt verba Bœhmerti) in varias corruptelas ruere cœpit, tunc enim omnia prædicata, quæ in genere fidelibus in Scriptura S. tribuuntur, ad se traxerunt Clerici, sibi que propria fecerunt, quasi illi

can-

tantum essent *genus electum DEI, spirituales, sancti*, imo ipsa *Ecclesia*. Nos quidem hæc impropria jam castigavimus in nostris Commentationibus ad *Lib. I. Decretalium Tit. 9. §. 3. num. 11. & seqq.* Unum tamen adhuc ei opponendum erit. Scribit in *d. Dissert. §. 4.* per duo prima *Ecclesiæ sæcula* hæc vocabula *Clericus, & Laicus* non fuisse audita, nec hujus denominationis ullibi aliquod vestigium extare: ergo, infert, falsum est, differentiam *Clericorum & Laicorum* jam tempore Apostolorum, inolevisse, aut ab ipso Christo hanc differentiam fuisse inductam, id quod nos Orthodoxi tamen volumus. Hoc argumentum *negativum* est, & vel ideo sublestæ fidei. Scio quidem, *Launojo* eruditissimo scriptori, argumentum *negativum* in quæstionibus ex *facto, usu, aut traditione* pendentibus admodum probari, id quod peculiari quadam dissertatione ostendit: at & hoc scio, prælaudatum *Launojo* à Thiersio in *Tractatu*, quem super autoritate argumenti *negativi* edidit, quo ad nonnulla refelli. Quot enim non exceptionibus argumentum hoc *negativum* autoritatis subjectum est, ut non sine iudicio nonnemo scripserit: *Silentium hoc Authorum, ceu equivocatio potius juvenilis, quam ratio convincens frequenter habendum est.* Quare noster eruditissimus *P. Joannes Mabillon de Stud. Monast. cap. 13.* perquam sapienter notavit, *permagis rem esse momenti, ut non nisi cautissima circumspectione argumento purè NEGATIVO utamur - - - quando nihil adeo pronum est, quam ex immoderata suimet fiducia sibi imponere, dum obvius quisque sibi blanditur, omnia se legisse, omnia ob-*

servasse. Argumentum itaque *negativum* in manu Criticorum est veluti gladius anceps in manu furiosi. Quæ quidem in re funesta exempla non defunt. Ita *Dupinus* ex hoc Authorum silentio *S. Hieronymo* præfractè in faciem resistit, & quam gravi ex causa! testatur *Hieronymus Præfat. in Lib. Judicib.* eundem Librum à Synodo *Nicana* in numerum *Canonicorum* fuisse relatum. Reclamat *Dupinus*, quoniam nec *Symbolum Nicænum*, nec acta Concilii, sed nec ulli *Scriptores* coævi ullam de eo fecere mentionem. Quasi vero *Hieronymus* tanti meriti, ac *Sanctimonie* scriptor, qui factum hoc graviter asseverat, tempori suo adeo propinquum, vel se solo non omnimodam fidem mereatur.

Hoc argumentandi genere crebrius utuntur heterodoxi, quo velut quodam valido ariete *traditiones*, quibus *Ecclesia* præter verbum *scriptum* potissimum nititur, sterni posse existimant, non attendentes, quod *S. Augustinus lib. de Fide Christi.* scripsit: *Cartholica Ecclesia per orbem terrarum diffusa tribus modis probatur existere. Quidquid enim in ea tenetur, aut auctoritas est scripturarum, aut traditio universalis, aut certe propria, & particularis institutio. cap. 8. dist. 11.*

Quocirca jam patet infirmitas argumenti *negativi*, quo *Bœhmerus* in dicta Dissertatione ad annihilandam *Clericorū, & Laicorum* differentiam utitur. Sit, quod nullus scriptorum primi, & secundi sæculi hujus denominationis mentionem faciat, non continuo inferendum est: ergo illa ætate discrimen *Clericos* inter & *Laicos* nullum erat. Hæc vocabula

in ore omnium Conciliorum, omnium Patrum, totius Ecclesiæ, orbis terrarum universi, omnibus ætatibus, & sæculis fuit. *Et quidem si de Concilio- rum, & SS. Patrum Voluminibus agitur* (ait Bellarminus *lib. 1. de Cleric. cap. 1.*) *non tam querendum est, ubi CLERICO- RUM & LAICORUM nomen, & distinctio habeatur, quàm ubi non habeatur. Ita passim in singulis prope paginis tum Patrum, tum Conciliorum veterum, appellatio illa occurrit, quàm ex errore, aut pravo affectu, vel impia traditione natam esse Lutherus, & Calvinus affirmant.* Quomodo jam Bœhmerus prudenti persuadeat, in primitiva Ecclesia nullam fuisse Clericos inter & Laicos distinctionem, ex eo solo capite, quod Scriptores priorum duorum sæculorum horum vocabulorum nullam mentionem ingerant, cum tamen negare non possit, in Conciliis omnibus, & Patrum scriptis, qui posterioribus sæculis inclaruerunt, hujus discriminis frequentissimè memoriam fieri: scribit *cit. §. 4.* *Denominationem hanc eo demum tempore in Ecclesia auditam, & admissam fuisse, quo facies Ecclesiarum primæva ingentem jam passa erat mutationem, id est, quo hi, qui in CLERO esse dicuntur, SACERDOTIUM quoddam REGALE secundum imaginem veteris Testamenti affectarunt.* Hæc inquam Bœhmerus asserit, sed ubi probatio? doceat hoc ex aliquo Concilio, vel Patre, ostendat, quando cœperit hoc vocabulum *Clericus*, tanquam aliquod prædicatum *Laicis* non communicabile in Ecclesia usurpari. Testimonium Rigaltii in *Not. ad Epist. 8. Cypriani*, quod ibidem adducit, Bœhmerum movere non debuisset, ut contra unanimum sensum Patrum, & Con-

ciliorum defenderet, *Cleri* vocem perperam trahi ad personas Ecclesiasticas, hominesque sacris Ordinibus initiatos designandos. Optimè hunc Scriptorem refutavit Joannes Oxoniensis Episcopus, quem ibidem laudat Bœhmerus, dum in *Comment. ad Epist. cit. Cypriani ex Lib. Num. cap. 18. v. 20.* Ostendit, quod, quanquam à Petro universa fidelium multitudo ad exemplum trium Israëlitarum *Clerus* vocaretur, tamen hoc vocabulum ipsis *Episcopis, Presbyteris, Diaconis &c.* peculiari Titulo, & jure competat. *Alia, ait, certè res est, ut terræ portiones tribubus assignate illorum CLERI dicantur: & quod Levitæ ipsi, quos Dominus pro sua sorte agnoscit, ejus Clerus dicantur.* In eundem sensum scribit Bellarminus *cit. lib. Porro Levitis non respondent in Ecclesia novi Testamenti omnes Christiani, sed soli Sacerdotes, eorumque Ministri. Petrus igitur nomine CLERI non omnes Christianos, sed solos Ministros Ecclesiasticos intellexit.* Bœhmerus, ut hunc lapidem revolvat, omnia monumenta ex S. Scriptura, SS. PP. & Scriptoribus Ecclesiasticis conquirat, sed tanta confusione sùsque deque permiscet omnia, ut fatear, me dictam Dissertationem sæpius legisse, nec quid dicere vellet, assequi potuisse. In §. 12. scribit? *Palam est, distinctionem inter Sacerdotes & populum in Ecclesia primitiva non obtinuisse, neque enim Presbyteri erant Sacerdotes.* Ecce hic negat in primitiva Ecclesia extitisse *Sacerdotes*, à populo distinctos, admittit tamen fuisse *Presbyteros*. In §. 19. docet, fideles, qui Ecclesiam primam Hierosolymis constituebant, à Judæorum Cœtibus, & Synagogis se non separasse, quin potius ritu, & more Judaico adhuc vixisse Tem-
plo,

plo, & Synagogis interfuisse. *In hoc rerum statu*, inquit: *Nec Episcopis, nec Presbyteris opus erat, cum regimini iudaeico adhuc, etiam quoad sacra subessent, & in Synagogis & Templis instituta iudaica observarent.* En hic rursus negat, Presbyteros, contra quod in §. 12. asseruit, in primitiva Ecclesia extitisse. In Eod. §. 19. docet, Apostolos non aliud, quàm Doctorum munus sustinuisse, & hoc intuitu accepisse à Salvatore singularem solvendi & ligandi, quod Doctoribus proprium: jam autem, pergit, DOCTORES apud Iudeos, quàm tales, nec SACERDOTES, nec ex eorum numero erant, quorum DEUS se CLERUM fore promiserat. Viden' rursus contradictionem? Apostolos, quod acceperint potestatem solvendi & ligandi, adeoque potestatem in Corpus Christi mysticum, agnoscit, fuisse Doctores, ad annuntiandum Evangelium à Christo missos: quod acceperint potestatem in Corpus Christi verum, Sacerdotes, ex eo fuisse, non agnoscit, cum tamen & illam, & hanc potestatem ipsis à Christo fuisse collatam Evangelistæ memorent. In §. 20. docet contra communem Ecclesiæ, & Patrum sensum, illos septem viros, qui enumerantur. Act. 6. v. 5. non fuisse Diaconos, sed Presbyteros, rursus argumento negativo persuasus, quod ante horum septemvirorum constitutionem, nullos in Ecclesia Hierosolymitana fuisse Presbyteros constet: post hæc verò tempora passim Presbyterorum in Ecclesia Hierosolymitana mentionem injici, ideoque satis probabile esse, in hos ipsos septem viros munus Presbyterorum collatum fuisse. Mitto alia, quæ in prolixa hac Dissertatione obscuritatem, confusionem, & contradictionem, &

per consequens malignum scribendi Consilium hujus scriptoris patenter revelant: Illud de hoc scripto ausim scribere, quod S. Hieronymus Apolog. 1. in Rufinum scripsit: *Ego scripta tua relegens, quanquam interdum non intelligam, quid loquaris, & Heraclitum me legere putem, tamen non doleo, nec me pœnitent tarditatis, id enim in legendo patior, quod tu pateris in scribendo.*

Nobis subinde Orthodoxis indubitatum dogma est, Clericos inter & Laicos summum esse discrimen, idque jam in primitiva Ecclesia agnitum, in Apostolis exhibitum, à Christo Domino introductum fuisse. Unde merito Concil. Trid. Sess. 23. can. 6. illis anathema dicit, qui hanc differentiam negant: *Si quis dixerit, in Ecclesia Catholica non esse Hierarchiam Divina ordinatione institutam, quæ constat ex Episcopis, Presbyteris, & Ministris: anathema sit.* Id quod etiam patenter demonstrari potest ex Epist. ad Philipp. cap. 1. v. 1. ibi: *Paulus & Timotheus Servi JESU Christi omnibus Sanctis in Christo JESU, qui sunt Philippis cum Episcopis & Diaconis.* Ubi Cornelius à Lapide sic se ipsum interrogat, ac respondet: *Dices: in una civitate Philippensi tantum unus erat Episcopus, quomodo ergo scribit Paulus Episcopi in plurali? Respondeo, per Episcopos hic Apostolus intelligit Presbyteros.* Ita Chrysostomus Theophilactus, Oecumenius, & alii: unde Syrus ita vertit: *CUM PRESBYTERIS, ET EORUM MINISTRIS,* vult enim Apostolus bisce duobus nominibus salutare totum Clerum Philippensem, & sic Presbyteros nominat Episcopos, Diaconos verò, & Sub-Diaconos, & reliquos inferiores, digniori Diaconorum nomine complectitur.

E ;

Epi-

Episcopum autem non salutat, quia hic erat Epaphroditus barum lator litterarum. Hac laudatus interpres.

8 *Clericus* igitur, si hoc vocabulum latius sumatur, est quæcunque persona Ecclesiastica ad DEI servitium auctoritate Ecclesiæ specialiter deputata, quo nomine subinde veniunt etiam *Religiosi*, nullis adhuc ordinibus initiati. Bordonus *de Privileg. Cleric. cap. 1. n. 18. & seq.* Pressius autem accepta hæc vox *Clericus* illos duntaxat comprehendit, qui per Sacram Ordinationem in sortem Domini adlecti, ministerium speciale obeunt in Ecclesia DEI. Constat id *ex cap. 1. dist. 21. cap. 14. dist. 32. cap. 38. C. 11. Q. 1.* ubi initiatus quolibet ordine vocatur *Clericus*. Quin, quod sola *Tonsura* (si nomen *Clerici* latius accipiatur) aliquem constituat *Clericum*, patet *ex cap. 11. de atat. qualit. Ordin. cap. 6. de Transact.* Barbol. appellat. 51. n. 1.

9 *Clerici* alii sunt *Majores*, alii *Minores*. Quam denominationem sortiuntur ab Ordinibus, quorum alii *Majores*, alii *Minores* dicuntur, *cap. 1. dist. 21. cap. 14. & seq. dist. 23.* Et hanc graduum spiritualis potestatis diversitatem jam ab initio Ecclesiæ extitisse Concil. Trid. Sess. 23. cap. 2. his verbis testatur: *Nam non solum de Sacerdotibus sed & de Diaconis Sacre Litteræ apertam mentionem faciunt, & quæ maximè in illorum Ordinatione attendenda sunt, gravissimis verbis docent; & ab ipso Ecclesiæ initio sequentium Ordinum nomina, atque amiscujusque eorum propria ministeria, Sub-Diaconi scilicet, Acolythi, Exorcista, Lectoris, & Ostiarii in usu fuisse cognoscuntur.*

Clericorum alii dicuntur *simplices*,¹⁰ alii *qualificati*, sive in *personatu*, aut *dignitate* constituti. Illi quidem ideo, quod nulla peculiari honoris prærogativa insignes sint; isti, quod habeant quandam præ reliquis vel officii, vel jurisdictionis præ eminentiam. De his porro id notandum est, quod in materia odiosa, & pœnali non veniant nomine *Clerici. arg. cap. 16. de haret. & cap. 4. de Sent. Excommun. in 6.* Barbol. *1. E. V. Lib. 1. cap. 39. n. 10.* Ratio petitur, tum ex regula generali in *cap. 15. de R. 7. in 6.* quod odia conveniat restringi, favores verò ampliari, tum, quod dignitas, tanquam qualitas superaddita, ejusmodi personas honoratiores *Clericis simplicibus* parificari non sinat.

Clerici rursus alii sunt *Regulares*,¹¹ alii *Seculares*. Illi vocantur, qui certam, & ab Ecclesia approbatam regulam professi, sese Divino cultui speciali triumvotorum nuncupatione mancipant; isti nullo alio Canoni adstricti, quam quem honestas, & Ecclesiasticæ vitæ ratio præscribit, aut Divinis laudibus in Ecclesia cantandis occupantur, aut animarum salutis procurandæ invigilant, qui etiam in *cap. 31. de Rescript.* ut plenior habet lectura apud Gonzalez, *Clerici Laici* vocantur, ad distinctionem nimirum à *Clericis Religiosis.* Gonzalez *ad cit. cap. n. 2.* De Regularibus idem juris est, quod paulò antè de *Clericis* in dignitate constitutis dictum est, quod scilicet in pœnalibus, & odiosis nomine *Clericorum* non veniant. Magnif. P. König *h. t. n. 9.* P. Krimmer *eod. n. 5.* Unde, si v. g. interdicto supponantur *Clerici*, non cen-

sentur sub hac censura Religiosi esse comprehensi, nisi id verba, aut causa interdicti aliud innuerent. P. Engl *b. t. n. 2.*

12 Hic se quæstio insinuat: an Novitii, item Moniales, nec non Tertiarii, & Eremitæ nomine Clericorum veniant? Respondeo, si nomen Clerici in latiori significato accipiatur, prout nempe denotat personam quamcumque Ecclesiasticam, quæ autoritate Ecclesiastica Divinis obsequiis deputatur, omnes recensitas personas Clericis accenseri, cum æque, ac Religiosi professi per legitimam receptionem habitus fiant de statu Ecclesiastico, & deputentur Divinis obsequiis per potestatem Ecclesiasticam. Ita cum Riccio *part. 3. resol. 20. & part. 4. Resol. 239. & seq.* Bordonus *cit. cap. 1. n. 25. 27. 29. & 31.* qui *cap. 4. n. 83. & seq.* quo ad Tertiarios conclusionem ita limitat, ut, si id genus Tertiarii non vivant in aliqua communitate Religiosa, sed in propriis quisque ædibus degat, & proprium habeat, nullis amplius gaudeant privilegiis Clericalibus per Bullam Leonis X. quæ incipit: *Dum intra &c.* licet olim ex clementia Sixti IV. fuerint pro personis Ecclesiasticis habiti ipsisque privilegia Clericalia tam *fori*, quam Canonis fuerint indulta per Bullam dicti Pontificis, quæ incipit: *Sacro-sancta &c.*

13 Quo ad Eremitas notat idem Bordonus *cap. 1. n. 32.* & cum illo Magnif. P. Schmier *Lib. 3. Tract. 1. part. 1. cap. 1. n. 110.* quod ad hoc, ut Clericorum nomine, & favore gaudeant, requiri. I. Ut deferant habitum Religiosum. II. Sint sub obedientia Superioris Ecclesiastici, à quo habitum receperunt,

vel alterius. III. Ut in eremo à secularium consortio segregati, contemplationi & orationi intendant.

Denique datur quoque genus Clericorum, qui vocantur *Canonici*, & hi vel sunt Canonici *regulares*, vel *seculares*. Origo Canoniorum antiquissima est. Olim enim illi Clerici, qui in Ecclesia tam Cathedrali, quam Collegiata, vel etiam in aliqua Parochia rurali debebant, & illius Ecclesiæ matriculæ, siva Canonii erant inferti, ac infimul ejusdem stipendiis vivebant, dicebantur *Canonici*; illi verò Presbyteri, qui ruri in villis, & castris magnatum rem Divinam faciebant, *non Canonici* dicebantur, ut constat ex Concilio Arverno Anno 535. celebrato, & testantur Thomassin. *Vet. & Nov. Eccles. discipl. Part. 1. lib. 3. cap. 8. n. 3. & seq.* & Bœhmerus *ad b. t. f. 8.* Tempore verò Pipini, & Caroli Magni dici ceperunt *Canonici* non amplius ab illo Canone, sive matricula, cui inferti erant, sed à Canone, seu regula, quam Crodogangus Metensis Episcopus ex SS. Canonibus collegit, suisque Clericis in congregationes & communem vitam coactis servandam præscripsit, qua quidem regula ad solennia vota, prout hodie Religiosi faciunt, emittenda non adstringebantur, ut iidem prælaudati Thomassinus *cit. Lib. cap. 20. & part. 3. lib. 3. cap. 6. num. 3. & seq.* Et Bœhmerus *b. t. f. 12.* testatum faciunt. Cum verò spiritus fervor pedetentim remittere, ac communis vita displicere pluribus inciperet, hinc corruptio, & quæ ex ea nascitur, morum depravatio ejusmodi collegia, & Canoniorum sodalitia maximoperè deonestavit, cui subinde malo haud oport-

portuniori remedio succurri posse videbatur, quàm, si, Canonicis eiectionis, Monachi substituerentur, aut Canonici, restaurata disciplina, priori regulæ jugo subicerentur. De priori remedio videndus Mabillonius noster in *Act. Benedict. ad Saecul. V. pag. 706.* Et Aubertus Miræus *Lib. 3. Donat. Belg. cap. 25.* & alii, quos laudat Bœhmerus *ad h. t. §. 27.* Quoniam verò ejusmodi eiectionum Canoniorum nimis probrosa videbatur, ideo de altero remedio cogitatum, scilicet, ut Canonici rursus pristinae regulari observantiae restituerentur, addito insuper voto paupertatis, quo antea non tenebantur. Id quod etiam à Petro Damiani in Italia factis successibus ceptum est, & ante ipsum in Gallia ab Ivone Carnotensi Anno 1078. qui deinceps dicti sunt *Canonici regulares.* An verò hi Canonici secundum Regulam S. Augustini fuerint, disquirat Thomassia. *Lib. 3. part. 1. cap. 11. §. 8. & seq.* Sed vix ultra saeculum præclara hæc vitæ Apostolica innovatio in Ecclesiis Cathedralibus per Galliam duravit, ex ejusdem scriptoris testimonio *cit. cap. §. 10.* Hæc pro notitia historica de origine, & varietate Canoniorum retulisse sufficiat. Hodie duæ species dantur Canoniorum, ut ait Barbosa. *de Canonic. cap. 1. n. 5.* Quidam enim in claustris regulari vitæ addicti degunt, & vocantur *Canonici regulares,* quod nomen non sibi ipsi propria authoritate sumpserunt, sed à Conciliis Oecumenicis & SS. Pontificibus eodem honorati sunt, ut constat *ex cap. nullus, & cap. mandamus C. 19. Q. 3. & t. t. de Stat. Mona. b. & Canon. regul.* Alii sunt Canonici, qui in communi non vivunt,

sed suas distinctas præbendas habent, quales hodie in plerisque Cathedralibus & Collegiatis videmus. De *Canonico regulari* scribit Barbosa *cit. cap. n. 7.* quod is proprie sit Canonicus, addita ratione, quod duplici quasi obligatione vitæ Canonicali adstrictus sit, vivendi nimirum ex communi Ecclesiæ patrimonio, & non habendo patrimonium separatum. Ego verò puto nomen *Canonici* magis convenire *Regularibus* quàm *Secularibus,* ex hoc capite, quod illi Canonicè, hoc est, secundum *Canonem,* sive *regulam* vivant, non item isti: adducor ad hoc asserendum verbis Concilii *Coloniensis* Anno 1536. celebrati, ubi *part. 3. §. 4.* sic inquit: *Ut de Canonicis pauca dicamus, respondeat eorum vita titulo, respondeat nomini, sint reipsa, ut sunt nomine, CANONICI, id est, REGULARES.* Neque enim clam est, primam eorum originem monasticæ discipline fuisse &c. Respexerit procul dubio Concilium ad tempora S. Augustini, qui primus perhibetur, *Clericos* vitæ regularis legibus adstrinxisse, vel ad *Chrodogangum,* Episcopum Metensem, qui temporibus Pipini regulam es SS. Canonibus, potissimum verò ex legibus S. *Benedicti* concinnatam, suæ Ecclesiæ Cathedralis Canonicis primitus observandam præscripsit, ad quam normam deinceps reliquarum Ecclesiarum tum *Cathedralium,* tum *Collegiatarum* Canonici, cooperantibus maxime Sæculi Principibus, vitæ suæ rationes exigere instituerunt. De *Canonis secularibus,* qui hodie in plerisque Ecclesiis Cathedralibus, & Collegiatis præbendas obtinent, utilissima scribit Van-Espen. *J. E. V. part. 1. tit. 7. cap. 1. & 3. seq.* quem consule.

§. II.

Qua intentione, & mentis preparatione ad statum Clericalem accedere oporteat?

SUMMARI A.

15. *Ad SS. Ordines aspiranti prius exploranda est Divina voluntas. 16. Quae se-
tribus indiciis manifestat, conscientiae nempe puritate, intentionis rectitudine, & zelo
animarum. 17. 18. 19. Explicantur singillatim haec indicia. 20. 21. 22. 23.
Resolvuntur dubia, quae circa rectitudinem Conscientiae moveri solent.*

15 **A**D statum Clericalem accedere vo-
lenti ante omnia exploranda est
Divina voluntas, num scilicet à
DEO ad hunc statum vocatus, & ele-
ctus sit, nec ne? inconsulto enim animi
impetu se vitae Clericali addicere, non
tam levitatis, & imprudentiae nota,
quàm summæ temeritatis argumentum
est. Audiatur S. Bernardus *Tractat. de
vit. & morib. Cleric. cap. 5. Sponsa nec cu-
biculum, nec cellam ingredi, nisi rege in-
troducente præsumat, tu irreverenter irruis,
nec vocatus nec introductus. Consideremus
ergo & nos, an vocati venerimus, &
vocati à DEO, cujus nimirum haec voca-
tio est. Vis, demonstrem hoc SS. Scri-
pturae testimoniiis? Joan 15. his verbis
Christus alloquitur suos discipulos:
Non vos me elegistis, sed ego elegi vos.
Non ergo discipuli muneri Apostolico
obeundo seipsums obtrudere, sed ut spe-
cialiter à Christo vocati, illud susceperunt.
Audiatur etiam Apostolus *ad Hebraeos 5.*
ubi eos quasi Sacrilegii reos pronuntiat,
qui, non explorata Divina voluntate,
sua unius electione Sacerdotium sibi sumunt:
*Nec quisquam (ait) sumit sibi honorem, sed qui vocatur à DEO,
tanquam Aaron.* Et merito: etenim vita
Clericalis res adeo sancta est, ut nemo
alius præter DEUM in eam jus ha-*

beat. Audi etiam querelas Domini,
quas apud Oseam *cap. 8.* super illos ef-
fundit, qui non vocati Ecclesiasticis mu-
neribus se ultrò ingerunt. *Ipsi regna-
verunt, & non ex me, Principes extite-
runt, & ego non vocavi eos.* Accedit
etiam ratio, quod, cum Clerici ad Divi-
na Mysteria tractanda, & ad animarum
lucra paranda specialibus virtutis, & lit-
teraturæ adjumentis opus habeant (ne
quid dicam de lege coelibatus, quo Cle-
rici tenentur) hæc autem sine speciali-
bus auxiliis DEI non obtineantur, ma-
nifestum est, quod ejusmodi Ecclesiasti-
ca ministeria ex solius DEI vocantis nu-
tu, & imperio suscipi debeant.

Fortè petis: unde sciam, me esse
vocatum ad statum Clericalem? Re-
spondeo, tribus se potissimum indiciis
prodere internam Spiritus S. ad sacros
Ordines vocationem. I. Conscientiæ
purity. II. Intentionis rectitudine.
III. Magno fervore, & zelo subeundi
labores pro salute animarum. Quod
primum attinet indicium, ea Conscien-
tiæ purity niteat, ad Clericatum ad-
spirans, ut noxæ gravioris reatum ne-
sciat, *quoniam in malevolam animam non
introibit Sapientia (id est, DEI Gratia)
nec habitabit in corpore subdito peccatis.*
Sap. 1. v. 5. Unde audiendus est Gre-

gorius M. qui instituta paritate inter vitia animæ, & defectus corporis, qui olim à Sacerdotio arcebant Judæos, ita loquitur in *Lib. Pastor. cap. 10. Quisquis ergo quolibet horum vitio subigitur, panes Domino offerre prohibetur, ne profecto diluere aliena delicta non valeatis, quem adhuc propria devastant.* Sed de hoc argumento adhuc aliqua dicentur in §. seq.

18 Alterum vocationis Divinæ indicium diximus esse, *intentionis rectitudinem.* Et merito: *qui enim per Clericatus officium aliud quærit, quàm DEUM, nec à DEO electus est, nec DEUM elegit.* Ait Ivo Carnotensis *Serm. de excell. Sacram. Ordin.* Debet ergo vita Clericali initiandus ita animo esse comparatus, ut ad SS. Ordines, vel ad beneficia non temporalis commodi gratia, sed lucris spiritualis, & opimæ animarum messis colligendæ intuitu promoveri velit. Beneficia enim non dantur propter commoda ipsius beneficiati propria, sed propter officia in bonum Ecclesiæ impensa. *cap. fin. de Rescript. in 6. l. 52. §. 1. C. de Episc. & Cleric.* Hinc Patres Tridentini Concilii *Sess. 23. de Reform. cap. 4.* illos nequidem prima tonsura initiari volunt, *de quibus probabilis conjectura non est, eos, ut DEO fidelem cultum præstent, hoc vitæ genus e'egisse.* Hinc quoque in *cap. 7. §. inferiora de Elect. cap. 14. Eod. in 6. cap. 1. de Ætat. qua'it.* Statutum est, ut, qui dignitates, aut alia beneficia consecuti sunt. Sacros Ordines illis annexos sub amissionis pœna recipiant. Imo in *cap. 35. de Elect. in 6.* decrevit Bonifacius VIII. ut ad Ecclesias Parochiales promoti, si recipiendi Sacerdotium intentionem non habuerunt, fructus ex illis provenientes non fa-

ciant suos, sed eos restituere teneantur.

Tertium denique vocationis Divinæ indicium, ut diximus, prodit se in desiderio, quo quis flagrat, Ecclesiastica ministeria alacriter obeundi, in DEI laudem, in Ecclesiæ ædificationem, in suam, aliorumque salutem? Hoc zelo, qui accensus est, nullus dubitet, quin ad statum, & vitam Clericalem à DEO vocatus, & electus sit: Econtra, qui in Clericatu delicias & divitias quærit, aut ideò huic vitæ se dedit, ut vitam in otio, & quiete agat, tantum abest, ut hunc à DEO vocatum esse existimemus, ut potius in tali locum habeat illa Davidis sententia *Psal. 72. In labore hominum non sunt, & cum hominibus non flagellabuntur: ideo tenuit eos superbia, operi sunt iniquitate, & impietate sua.* Sed hæc innuisse tantum sufficiat. Plura de hoc argumento vide apud S. Bernardum *Tract. de Vit. & morib. Cleric. per tot.* Jam lubet aliqua dubia, quæ circa secundum Divinæ vocationis indicium, scilicet *rectitudinem* intentionis moveri solent, resolvere.

Dubitabis I. An liceat v. g. alicui nobili, ut obtineat Canonicatum in aliqua Ecclesia, *tonsuram*, aut *minores ordines* recipere, sine intentione tamen in Clericatu permanendi, & DEO in Ecclesia serviendi? Respondeo id non licere, nec talem intentionem culpa vacare. Colligo id ex Concil. Trident. *Sess. 23. de Reform. cap. 4.* ubi prima tonsura initiari prohibet eos, *de quibus probabilis conjectura non est, ut DEO fidelem cultum præstent, hoc vitæ genus e'egisse.* Videtur enim tali modo Ecclesiæ illudere, & sic extra culpam non esse. Barbof. *ad cit. loc. Concil. n. 7.* An verò hic

reatus culpæ gravis sit, num levis tantum? in utramque partem disputatur, ego in mitiorem partem inclino, quia grave præjudicium Ecclesiæ per ejusmodi inconstantiam non videtur inferri, nec Clericalis ordinis dignitas multum dehoneſtari, imò, si sermo sit de tali, quem fors parentum vota magis, quam propria inclinatio Canonicali destinârunt, cum ab omni culpa immunem fore crederem, quia non levitate animi ductus Ordines minores recipit, sed metu reverentia concussus, qui subinde intentionem non permanendi in Clericatu à pravitate purgare videtur.

21 Dubitabis II. An, qui beneficium Parochiale obtinuit, nec tamen absolute, & simpliciter intendit recipere intra Annum Sacerdotium, & in statu Clericali perseverare, sed sub conditione hac vel simili: nisi frater meus sine prole mascula decesserit, aut nisi opulentum ad conservandam familiam, aut ad extinguenda odia se offerat matrimonium. An inquam talis, si conditione postea existente, matrimonium contrahat, peccet, & fructus interea perceptos teneatur restituere? Respondeo quo ad utrumque negativè. Imprimis non peccat, quia hæc intentio conditionata non est irrationabilis, nec ab Ecclesia reprobata, utpote, qui ex similibus causis (ut ait P. Wiestner *h. t. num. 19.*) factas beneficiorum renunciationes sine difficultate admittit, quod iis non rarò magna bona promoveantur. Non tenetur etiam ad fructuum restitutionem, quia hæc obligatio in *cap. 35. §. ceterum de Elect. in 6.* iis duntaxat imposita est, in pœnam commissæ fraudis, qui absolute non intendebant recipere Sacerdotium, & in statu Clericali per-

severare, ibi: *Teneris ad fructuum eorum restitutionem, cum eos receperis fraudulenter.*

Nec dicas: Beneficium Parochiale confertur sub hac conditione: Si intra annum se in Sacerdotem promoveri fecerit: ergo, qui hanc conditionem non adimplet, fructus tenetur restituere, cum illi non sint absolute quæſiti, sed sub conditione recipiendi Ordinis sacri. Respondeo, distinguendo antecedens: Beneficium Parochiale confertur sub hac conditione, si intra annum receperit SS. Ordines, nec aliqua causa rationabili ab eorundem receptione excusetur, concedo, si ex causa rationabili, eaque Ecclesiæ probata non receperit, nego antecedens. Condicio illa collationi beneficii à jure in eum duntaxat finem est apposita, ne quid fraudis à collatario admittatur: nam si absolute, prout jacet, hæc conditio intelligenda foret, Pontifex in *cit. cap. 35.* restitutionem fructuum non restrinxisset ad eum tantummodo casum, quo collatarius *fructus recepit fraudulenter.*

Dubitabis III. An, qui accipiunt 22 Prælaturam aut Canonicatum, neque tamen intendunt suscipere SS. Ordines eidem annexos, peccent mortaliter, & ad fructuum restitutionem teneantur? Respondeo, tales omnino peccare graviter, esseque in Conscientia obstrictos ad fructus perceptos Ecclesiæ restituendos. Ratio primi membri assignatur à Navarro *de Orat. cap. 21. n. 51.* quod quisque curare debet, ut munus, quod suscipit, exercere valeat. Ratio secundi membri petitur ex supra allegato *cap. 35. §. Ceterum de Elect. in 6.* ubi de beneficiis Parochialia obtinentibus id statutum legitur. Et licet hæc Consti-

tutio pœnalis esse videatur; adeoque extra casus expressos non extendenda sit per *cap. 15. § 49. de R. J. in 6. cap. 18. dist. 1. de Pœnit.* quia tamen ratio in *cit. cap.* expressa etiam in præsentî hypotthesi obtinet, scilicet *fraudulenta receptio fructuum*, eadem quoque obtinebit dispositio. Est equidem inter DD. communiter receptum, quod lex pœnalis ad eum quoque calum extendatur, in quo eadem ratio legis reperitur. V. Panormit. in *cap. fin. de Rescript. n. 10. § seq. Thom. Sanchez. de Matrim. lib. 3. disp. 42. n. 4.* Imo, ut notat Garzias de *Benefic. part. 3. cap. 4. n. 40. cit. cap.* non est Constitutio nova, sed juris veteris Divini, & naturalis duntaxat declarativa, quo jure fraus omnis taliter prohibita est, ut exinde oriatur obligatio justitiæ ad restituendum, quod fraudulenter, adeoque sine titulo, & jure receptum est.

23 Dubitabis IV. An, qui beneficium eo animo acceptat, ut illud tamdiu retinere velit, quoad pinquius eidem obvenit, aut, si non habeat animum residendi, peccet, & teneatur dimittere beneficium? Hoc dubium proponit.

Panormitanus in *cap. 4. de Cleric. non resid. num. 7.* Et sic resolvit: Malignam omnino esse ejusmodi intentionem, ait, & consequenter talem beneficium peccare, utpote, qui non minus suæ Ecclesiæ, cum qua quodammodo contrahit matrimonium spirituale, perpetuo cohabitare tenetur, atque maritus suæ uxori in matrimonio carnali per *cap. fin. de Condit. apposit. & cap. 39. C. 7. Q. 1.* & contentus suo beneficio esse debet, sicut maritus sua uxore; nam quisquis, ait Apostolus, *debet esse contentus ea vocatione, qua vocatus est.* Beneficium tamen propterea dimittere non tenetur, sed potest hoc peccatum ambitionis per pœnitentiam rursus eluere, instar illius, qui per *simoniam mentalem* beneficium obtinuit; taliter enim delinquens potest *per solam pœnitentiam suo satisfacere Creatori*, ut loquitur Pontifex in *cap. ult. de Simon.* Et hanc resolutionem notari vult Panormitanus, quia, inquit, *in multis casibus praticari potest, maxime in juvenibus, qui assumunt beneficia, non quod habeant animum clericandi, sed ut ex eis vivant in juventute.*

§. III.

In quo vite, morumque honestas Clericis præscripta consistat?

S U M M A R I A.

24. Cur Clerici singulari morum honestate ornati esse debeant, ratio exponitur. 25. Ea est duplex interna, & externa. 26. Internam præprimis conciliat puritas Conscientiæ. 27. Propterea olim etiam publicè pœnitentes ad SS. Ordines non admittebantur. 28. Interna mentis puritas etiam meditatione, & lectione SS. Scripturarum pascitur. 29. Externa morum honestas in tribus consistit. 30. Fugentur Clerici à crapula, & ebrietate sibi cavere. 31. Vitare popinas, & tabernas publicas. 32. Ab histrionum spectaculis abesse. 33. Aleas, & alios lusus, qui

qui fortuna magis, quam arte reguntur, fugere. 34. Arma quoque portare, nisi defensionis gratia ipsis non convenit. 35. Honestas Clericorum etiam commendatur per decentem habitus gestationem. 36. In quibus casibus non gestare habitum Clerico fraudi non est? 37. Potest subinde Laicis prohiberi, ne adinstar Clericorum vestiantur. 38. Clericos non decet nutrire comam, & prolixam ferre barbam, & quare? 39. Quid de Capillitio fito? 40. Debent abstinere, ab omni eo, quod fastum, & seculi pompam redolet. 41. Officium Clericorum proprium est, statis horis Divinas Laudes dicere. 42. Quando horarum Canoniarum usus coeperit? 43. Bæbmerus vitam Canonicorum libere carpit. 44. De Emancipatione Canonicorum, unde ortum habeat? 45. De initiis Ordinum militarium remissivè.

24 **Q**uoniam Clerici specialiter in sortem Domini adlecti sunt, & tanquam duces & magistri laicorum constituti; ideo præprimis convenit, ut morum honestate, vitæque integritate resplendant, quatenus laicorum exemplo ad Christianæ pietatis, virtutisque studia incitati, meliora (monente Apostolo 1. Cor. 12.) semper charismata æmulentur: nam, ut ait S. Augustinus: *Vita Clericorum est eruditio aliorum, & assidua salutis prædicatio.* Quapropter etiam Concil. Trid. Sess. 14. de Reformat. in Procem. gravi oratione hortatur Episcopos, ut frequenter Clericos suos moneant, quatenus conversatione, sermone, & scientia commisso sibi populo præeant, memores ejus, quod scriptum est: *Sancti estote, quia ego sanctus sum.* Et juxta Apostoli vocem 2. Corinth. 6. *Nemini dent ullam offensionem, ut non vituperetur ministerium eorum, sed in omnibus exhibeant se, sicut ministros DEI &c.* Et sanè, sicut præposterus foret ordo, si servus esset major domino suo, & discipulus supra magistrum; ita ignominia res plena foret, si Clerici se à laicis morum honestate, vitæque probitate vinci paterentur. Audiatur S. Hieronymus in cap. 21. C. 8.

Q. 1. Qualis edificatio erit discipuli, si se intelligat magistro esse majorem? Unde non solum Episcopi, & Presbyteri, & Diaconi debent magnopere providere, ut cunctum populum, cui præsident, conversatione, sermone, & scientia præcedant, verum etiam & inferior gradus: Exorcista, Lectores, Aeditui, Acolythi, & omnes omnino, qui domui DEI serviunt, quia vehementer Ecclesiam DEI destruit, meliores esse laicos, quam Clericos.

Ut porro Clerici vocationi suæ ex æquo satisfaciant, duplici motum honestate præfulgere debent, interna, inquam, & externa. Illa veluti extremè odit peccata, ita studiosè declinat, & fugit, quidquid conscientiam vel leviter temerare, & inquinare potest. Otiosa nunquam est, sciens scriptum esse Eccl. 33. v. 29. *Multam malitiam docuit otiositas.* Sed cum venerabili BEDA Presbytero sanctioribus studiis occupata, semper legit, semper scribit, semper docet, semper orat, non ignara, quòd amator scientiæ salutaris vitia carnis facillè superet. Hæc externo homini ad regulas honestatis formando, & componendo tota intenta est, memor illius moniti Apostolis, & in ipsis universo Clero à Christo dati. Matth. 5. v. 14.

Sic luceat lux vestra coram hominibus ut videant opera vestra, & glorificent Patrem vestrum, qui in cœlis est. Et, quod monet Apostolus ad Tit. cap. 2. v. 7. & 8. In omnibus præbe te ipsum exemplum bonorum operum - - - verbum sanum, & irreprehensibile, ut is, qui ex adverso est, vereatur, nihil habens malum dicere de nobis.

26 Et quidem, ut de utraque morum honestate in particulari loquamur, ante omnia studendum est Clerico, habere conscientiam à peccatorum sordibus mundam, & nitidam. Fuga peccati, & occasionum, quibus in illud delabi contingit, Clerico suprema lex esse debet, nè alias, si in hoc studio socordem se præbeat, illud Prophetæ dictum in eo impleatur: *Sacerdotes ejus polluerunt sanctum, injustè egerunt contra legem. Sophon. 3. v. 4.* Et quæ non corruptio timenda in populo, vitiis corrupto Clerico? Audiatur Concilium *Aquisgranense* Anno 816. celebratum: *Nemo amplius nocet in Ecclesia (sunt verba Concilii) quàm qui perverse agens nomen, vel Ordinem sanctitatis habet: delinquentem namque hunc nemo redarguere præsumit, & in exemplum culpa vehementer extenditur, quando pro reverentia Ordinis peccator honoratur.*

27 Eapropter Majores nostri tam in Oriente, quàm Occidente peccata in Clero aded detestati sunt, ut illos quoque à SS. Ordinibus arcerent, qui sua delicta pœnitentia publica eluissent. Post pœnitentiam (ait Siricius Epist. 1. cap. 14.) ac reconciliationem nulli unquam Laico liceat honorem Clericatus adipisci, quia, quamvis sint omnium peccatorum contagione mundati, nulla tamen debent gerendorum Sacramentorum instrumenta

suscipere, qui dudum fuerint vasa vitiorum. Hoc ipsum decreverunt PP. in Concilio *Nicano I. Can. 9. & seq.* In Concilio *Illyberitano Can. 30. & Tolitano IV. Can. 19.* Et, quanquam hic rigor primitivæ Ecclesiæ jam Sæculo X. remisisset, teste Ivone Carnotensi Epist. 225. & S. Anselmo Cantuariensi Lib. 1. Epist. 56. & hodieum admittantur, qui condigna, eaque secreta pœnitentia crimina sua purgaverint, illud tamen nec hodie remissum est, ut, qui pluribus antea spurcitiis animam suam inquinârunt, peracta levi pœnitentia, se mox Episcopaliū manuum impositioni subijcere, & recenter è vitiis emerſi thuribulo manum admove-re audeant. Non enim satis est (scribit S. Bernardus ad Brunonem, qui reus occultorum scelerum ad Archi-Episcopatum Colonienſem promotus fuerat) peccatorum venia, ut quis ad SS. Ordines, vel ad regimen animarum promoveatur, sed insuper ea morum probitas requiritur, quæ tum pœnitentiæ, tum aliis pietatis operibus aucta, probatave fuerit. Recensebo ipsius S. Bernardi verba, quæ objectioni horum impurorum ad SS. Ordines, vel dignitates Ecclesiasticas temere adspirantium reponit: *Aliud est, celerem adipisci veniam peccatorum, aliud & de ipsis sceleribus ad infulas provehi dignitatum.* Responsum hoc duplici exemplo confirmat: *Video, inquit, Matthæum de telonio ad Apostolatus culmen assumptum: sed hoc me rursum conturbat, quod non prius audierit cum cæteris Co-Apostolis suis, ite in orbem universum, prædicare Evangelium omni Creaturæ, quàm egerit pœnitentiam, multo labore sequendo Dominum, quocunque iret, permanens cum eo in tentationibus suis.* Si
de

de seculo quoque factus repente Paulus, repente vas electionis, repente Doctor gentium, in exemplum adducitur: hoc exempli evacuat similitudinem, quod ideo ille misericordiam consecutus sit, quia ignorans, ipso teste, peccavit, manens in incredulitate, quanquam, si tale quippiam quandoque bene, & utiliter factum fuisse agnoscitur, de quo veraciter dici possit: hæc est mutatio dextera excelsi, non tam exemplum, quam miraculum asferre debeat. Quodsi igitur peccatorum turpitudine Patribus primitivæ Ecclesiæ tam abominabilis visa est, ut nequidem eos ad SS. Ordines admitterent, qui salutari poenitentiae lavacro admittas noxas jam eluissent; facile quisque perspiciet, quantæ abominationis sit, videre Sacerdotem, aut alium de Clero peccatis infordescere. Hæc satis, nec plura ad-jicimus.

28 Alterum, quo interna morum honestas paratur, est frequens in Divinis laudibus, mentis occupatio, SS. Scripturarum studium, & sedula SS. Patrum, aliorumque spiritualium librorum lectio, & devota ruminatio. His quippe armis vitia expugnantur, virtutes animo implantantur, & denique mortificato veteri, novus homo confurgit, ad imaginem DEI perfecte effigiatus. Unde Innocentius III. in cap. 15. b. t. omnibus Clericis præscribit, ut se in officiis Ecclesiasticis, & aliis bonis studiis exercent diligenter. Et PP. Concil. Trid. cit. Sess. 14. in Procem. Ut conversatione, sermone, & scientia commisso sibi DEI populo præeant. Neque enim nascimur spirituales (ut de Poëtis dici solet) sed id multa lectione, meditatione, ac (quod factu optimum est) multa, eaque ferventi rerum spi-

ritualium exercitatione demum consequimur. Hinc S. Leo I. ad Marcianum, & Faustum Presbyteros scribens, ait: Bonorum operum, & spiritualium studiorum DEI M auctorem esse, non dubium est, qui, quorum inclinat mentes, adjuvat actiones. Ejusmodi ergo studiis, piisque exercitationibus innutriatur animus Clerici necesse est, ut internus animi nitor etiam in actiones externas prodeat, hæcque Clericus lucerna ardens, & lucens, quæ non sibi solum, sed aliis quoque ardeat, & luceat. Lucernas quippe in manibus tenemus (sunt verba Gregorii homil. 13. in Evang.) cum per bona opera proximis nostris lucis exempla monstramus. Quo verò animus Clerici instar lucernæ forinsecus luceat, opus omnino est, ut is hominis quoque externi curam habeat assiduam, vitam, morésque suos omnes taliter componat, ut (sicut loquitur Concil. Trid. Sess. 12. de Reform. cap. 1.) habitu, gestu, incessu, sermone, aliisque omnibus rebus nil, nisi grave, moderatum, ac religione plenum præferat; levitia etiam delicta, quæ in ipso maxima essent, effugiat, ut ejus actiones cunctis afferant venerationem.

Consistit autem hæc externa mo-²⁹rum honestas potissimum in tribus I. in abstinentia ab illis actionibus, quæ status Clericalis honorem vel leviter contaminare possunt. II. In decenti vestitu, & habitu. III. In exercitio officiorum statui Clericali convenientium.

Quod primum attinet, Clerici obligantur I. non tantum castè, sed etiam cautè & extra omnem suspensionem incontinentiæ vivere. Cap. 13. b. t. de qua tamen materia pluribus in tit. seq. agemus.

Et

30 Et quia crapula, & ebrietas vel maxime libidinis incentivum provocat. *Prov. 10. & ad Ephef. 18.* & mentis inducit exilium *Osée 4.* Hinc II. ab utroque diligenter abstinere, Clericos & vinum sibi, seque vino temperare jubet Innocentius III. in *cap. 14. b. t.* Illum vero abusum penitus decernit abolendum, quo in quibusdam partibus ad haustus æquales potatores se obligare solent, & ille iudicio talium plus laudatur, qui plures inebriat, & calices fecundiores exhaurit *d. cap. 14.* apposita etiam pœna suspensionis ab officio, & beneficio, si quis à superiore communitus non respuerit. Interim hanc constitutionem pro Germanorum genio nimis rigidam ita attemperat Zypæus in *Analyfi Jur. Pontif. ad b. t. n. 8.* Ut scribat, posse ejusmodi haustus honoris, aut votivæ salutationis gratia (modo adhibeatur hæc cautela, ne quis inebrietur) licite institui. Quæ circa hoc punctum Bœhmerus nostris Canonicis in *§. 69. & seq.* impropere, erubescere referre. Parco interim temulento ejus calamo, dum crapulam exhalaverit. Quæ verò Italus ille Germanis ob innatam ad pocula sympathiam vel per jocum, vel per sarcasum objectavit, sine scrupulo recensco. Sic ergo ille:

Germani possunt magnos tolerare labores.

O utinam possent tam benè ferre sitim!

Huic tamen è vestigio, nec minori acumine Germanorum nonnemo respondit:

Ut nos dulce merum, sic vos Venerus improba vexat.

Lex posita est Veneri Julia, nulla mero.

III. Prohibetur etiam Clericis pinnarum & tabernarum frequentatio, nisi itineris causa illuc divertere oporteat *cap. 15. b. t.* non enim sine dedecore status sui, & scandalo populi ejusmodi loca frequentantur à Clericis. Hodie enim tabernæ, prò dolor! factæ sunt loca intemperantiæ, & fomenta incontinentiæ. Arg. l. 29. C. ad leg. Jul. de Adult. cum Gloss. ibid. l. 4. §. 2. ff. de his, qui notantur infam. l. 43. §. 5. ff. de Rit. nupt. quæ olim necessitatis causa institutæ fuerunt. l. 6. §. 3. ff. Nautæ cauponæ &c. Unde Boëtius Epo ad *dist. cap. 17. n. 11.* deplorandus, ait, Clericorum, etiam Presbyterorum mos invaluit, in tabernis publicis, tum cerevisiariis, tum viniariis comptandis, quæ magna præter alias populo rudi occasio fuit, vituperandi status, ac ordinis Ecclesiastici vilipendendæque disciplinæ Ecclesiasticæ. Plura circa hoc punctum vide apud Bernard. Van-Espen *J. E. V. Part. 1. tit. 2. §. 4. & seqq.*

IV. Interdicitur Clericis in *cap. 15. b. t.* ne mimis, jocularibus, histrionibus, & id genus aliis hominibus vilissimis, gesticulationibus, nugis, & jocis suis quæstum facientibus, intendat, quia solent frequentius ludicra, & obscœna exercere, quapropter in *cap. 37. dist. 5. de Consecr.* Jubentur Clerici, si similia spectacula in conviviis exhibentur, de mensa surgere, & abire. Quin etiam in *cap. 12. b. t.* prohi-

hibetur, ne in Ecclesiis ludi theatrales fiant, ipsique Clerici *insaniae suae ludibria exerceant*. Quod tamen intelligendum est de ludis inhonestis; honesti & pietatem concitantes etiam in loco sancto fieri posse, autumat P. Layman ad *cit. cap. num. 1.* Vide tamen Gonzalez ad *d. cap. n. 6.* ubi exponit, quomodo fideles olim Sanctorum solennia non solum Divinis Laudibus in Ecclesia celebrant, sed etiam ludis, & aliis lætitiæ argumentis. De ludis quibusdam inhonestis, olim à Clericis exercitis, videri etiam possunt statuta *Concilii Andegavenfis cap. 6.* quæ reperiuntur. *tom. 19. Concil. edit. Vinst.* Ex eodem capite jubentur Clerici evitare illa convivia, in quibus aut amatoria cantantur, aut obsceni motus corporum choreis, & saltationibus efferruntur. *cap. 19. dist. 34.* Item ipsis sub pœna privationis privilegii Clericalis gravissimè interdicitur, ne artem joculariorum exerceant. *cap. 1. b. t. in 6.*

33 V. Prohibentur in *cit. cap. 15.* Clerici ad *aleas*, & *taxillos* (per quos omne genus lusus, quod magis fortuna, quam arte regitur, & jure quoque civili, saltem propter abusum, & alià vitia, quæ eundem comitari solent, prohibitum legitur in *l. 1. § 3. C. de Aleat.*) ludere, sub pœna suspensionis ab officio, & beneficio in *cap. 11. de Excess. Prælat.* Decreta; lusus tamen *Sebaccorum* sive *Latrunculorum*, ut vocant, & alios, qui arte, & ingenio diriguntur, sub hac prohibitione non contineri, resolvit *Panormit. ad d. cap. 15. n. 4.* modo ludatur non voluptatis, aut avaritiæ, sed recreationis causa; & ne longius tempus in ludendo inutiliter conteratur: Literatis tamen viris ne hos quidem lusus

convenire, arbitratur *Barbof. J. E. V. lib. 1. cap. 40. n. 69.* eò, quod mentem litterarum studiis jam fatigatam cessatione magis, & quiete recreare, quam novo meditationis labore gravare oporteat. Quam acriter S. Petrus Damiani quemdam Episcopum, latrunculis ludentem, corripuerit, lege apud *Schilterum Prax. Jur. Rom. Exercit. 21. §. 21.*

Denique cum honestate Clericali 34 non convenit, gestatio armorum, quia Clericorum arma sunt dolor, fletus, orationes, & lachrymæ *cap. 3. § 23. C. 23. Q. 8.* quia vero temporibus Ludovici Imperatoris, ut refert *Aymonius*, Episcopi, & Clerici passim armati incedebant, hinc in *cap. 2. b. t.* ipsis arma gestare sub anathematis interminatione interdictum est. Quod etiam Monachis interdictum legitur in *Clem. 1. §. quia verò de Stat. Monach.* hoc solo discrimine, quod Monachi, si contraverint huic Statuto, sint ipso facto excommunicati; Clerici verò per Sententiam excommunicari jubeantur in *cit. cap. 2. b. tit.* Interim hæc Lex non stringit in casu necessitatis, aut periculi (ut in obsidione, aut si iter per loca latronibus infesta faciendum sit) ubi & Clericis, & Monachis arma portare, iisque se defendere impunè licet.

Alterum, quod externam morum 35 honestatem in Clericis commendat, est statui conveniens habitus & tonsura: Statutum quippe est in *cap. 15. b. tit. Clem. 2. Eod.* *Trid. Concil. Sess. 14. de Reform. cap. 6.* ut Clerici in *sacris* constituti, & beneficiarii, tametsi *Minoribus* tantum Ordinibus initiati sint, vestem, & coronam Ordini suo congruentem deferant, pœna suspensionis à Beneficio, Officio, & Ordinibus in

G

trans-

transgressores, imò privationis etiam in correptos, & non emendatos decreta. Ratio redditur à Concil. Trid. *cit. loc. ut per decentiam habitus extrinseci morum honestatem intrinsecam ostendant.* Primis quidem sæculis non legitur, Clericos quoad vestimenta à Laicis fuisse discretos, sed morem hunc à Monachis, maximè illis, qui ad Episcopales infulas fuerunt assumpti, pedetentim traductum fuisse ad Clericos, perhibent Thomassin. *Vet. & Nov. Eccl. Discipl. part. 1. lib. 2. cap. 43. & seq. & Alexander Natalis Histor. Eccles. tom. 4. Sacul. 4. cap. 5. art. 7.*

Circa ipsa vero Clericorum vestimenta, cum certa forma in jure determinata non reperiatur (ut testatur Glossa *penult. in Clem. 1. de Elect.*) usui, & consuetudini Provinciae, in qua commorantur, deferendum esse, cum aliis existimat Barbosa *J. E. V. lib. 1. cap. 40. num. 20.* modo vitetur nimia brevitatis. *cap. penult. h. t.* quia, nisi usus contrarium habeat, vestis Clerici ex Constitutione Sixti V. quæ incipit: *Sacrosancta Sc. 18. Jan. 1589.* Talaris esse debet, & insuper color non alius, quam niger servetur; *rubeus* enim color *Cardinalibus*, & *viridis*, aut *violaceus* Episcopis tantum est permissus. Menoch. *de A. J. Q. Q. cas. 392. n. 12.* Præterea, ut à vestimentis Clericorum omnis mundana absit vanitas, præscribitur, in sæpe *cit. cap. 15. h. t.* ut vestes ipsorum non sint virgatæ hoc est, non diversicolores, aut flores panno intextos, vel per artem superinductos habentes, quia, ut inquit Anicetus Papa, sicut discreti esse debent in conversatione; ita & in omni habitu apparere debent.

Cæterum, quia nec vestis Clericum, nec habitus Monachum facit, cultusque corporis, ac vestimentorum ex se indifferens est; imò Clericorum honestati convenit, ut vestitu decenti Ordinis sui dignitatem tueantur, prædicta non eo rigore accipienda sunt, quasi omnis nitor honestus in Clericis improbetur, sed potius ornatus tantum superfluus, sæculi vanitatem redolens. Quapropter in hoc passu (ut notat Zypæus in *Consult. Canon. h. t. in fin.*) potissimum ad consuetudines locorum attendendum est, quidnam mores, & æstimatio populi pro indecenti habeant; aut, num fortasse Episcopi certum vestimenti genus huic vel illi loco conveniens sub dictis pœnis determinaverint.

Cum superius dictum fuerit, Clericos in sacris constitutos, aut beneficia, dignitatesque Ecclesiasticas obtinentes, si habitum Clericalem non deferant, incurrere pœnas à Concil. Trid. *cit. Sess. 14. cap. 6.* statutas, quaeritur jam, an dicta Constitutio pro omni casu obtineat, num verò aliqui reperiantur excepti, in quibus Clerico impunè sit habitum non gestare? Respondeo, nec hanc Regulam (ut nulla alia) tam firmam esse, quia suas patiatur limitationes, & fallentias. Fallit igitur I. in eo, qui rarius vestes Clericales deponere solet; etenim Constitutio hæc pœnalis de eo Clerico exaudienda est, qui quasi constanter sine habitu Clericali incedit, ita, ut passim, & communiter habeatur pro Laico. Fallit II. in Clerico, quem egestas adeo premit, ut vestem Ordini suo congruentem sibi comparare nequeat, sed Laicalibus do-

no sibi oblati contentus esse debeat. Fallit III. qui domi suæ, adeoque quasi in occulto vestes Clericales non gestat. Fallit IV. si ob instans grave periculum habitum mutare, & Laicum simulare cogatur. Fallit V. in Missionariis Apostolicis, qui, ne impediatur in negotio conversionis, quandoque personati incedere debent, uti contingit in Anglia, Hollandia, & aliis quoque Provinciis Germaniæ heterodoxæ. De his fallentis consulendi sunt Zypæus in *Analyf. Juris Pontific. lib. 3. ad tit. present. Pialetius in Praxi Episcop. part. 2. cap. 3.* & alii à Barbof. ad *cit. cap. Frid. relati.*

37 Hinc rursus alia quæstio exoritur: An laicis prohiberi possit usus illius habitus, quem solum Clerici, non autem laici deferunt? Hanc quæstionem proponit Card. de Luca in *annot. ad Concil. Frid. Discurs. 24. n. 24.* & affirmative resolvit, adeo quidem, ut, si ejusmodi habitus etiam ex alio capite de jure scripto laicis esset concessus, uti v. g. *vestis talaris* Doctoribus competit, in illa tamen Religione hoc privilegio Doctores laici non utantur, sed instar aliorum locorum vestes breviores deferant, & soli Clerici talariter incedant, eo inquam casu rectè prohibeatur laicis usus vestimentorum Clericalium. Hujus suæ resolutionis duplicem reddit rationem. I. Quod pro more illius regionis usus vestis talaris non amplius obtineat, sed jus scriptum hac in parte per consuetudinem contrariam jam sit abolitum. II. Ut avertatur scandalum, quod laici, maxime, qui de infima plebe sunt, ejusmodi antiquæ eruditionis ignari, facile sibi fumerent, videndo laicum, qui in eo habitu faciat eos actus, qui laicis licent, Clericis autem omnino il-

liciti sunt. Tale scandalum, inquit, fermè omnes patiuntur advenæ, qui Romæ, de consuetudine urbis nondum informati, vident medicos, procuratores, aliosque curiales, vestibus ad similitudinem Clericalium indutos cum mulieribus, & adolescentulis palam incedere, aut curru vehi, ideoque scandalizantur, opinantes hos esse Parochos, vel in aliqua dignitate Ecclesiastica constitutos. Unde hæc prohibitio in illis locis non obtinet, ubi periculum ejusmodi scandali non versatur.

Ad externam Clericorum honestatem & illud spectare videtur, ut nec promissam barbam ferant, nec capilli capitis muliebriter desuant. Ita equidem statutum legimus in *cap. 5. h. t. Clerici nec comam nutriant, nec barbam.* Miraris fortasse hoc statutum, ac ex me quæris: quid ad honestatem Clericalem confert, barbam & comam dimittere, aut nutrire, cum utrumque sit unum ex adiophoris, & indifferentibus? imo, quis nescit, barbam promissam antiquis Philosophis præcipuum decus fuisse: Unde Persius Socratem Philosophum laudaturus *Satyra 4. vers. 1.* ita cecinit:

**BARBATUM HOC CRE-
DE MAGISTRUM DICERE.**

Quin si primorum Christianorum mores spectemus, indubium est, ipsum servatorem nostrum, ejusque Apostolos barbam non rasisse, teste Nicephoro *lib. 1. cap. 40. & lib. 2. cap. 37.* Quod etiam Successorum Pontificum imagines vetustæ, teste Ciaconio, ostendunt, & orientalium consuetudo, de qua Baronius ad Annum 58. luculenter confir-

mat; unde videri posset, hujus statuti utilitatem, & rationem in *l. 20. ff. de LL. esse quærendam*, ubi scriptum est: *Non omnium, quæ à majoribus nostris statuta sunt, ratio reddi potest.* Sed vehementer falleris, qui præcipiti adeo iudicio hunc Canonem damnas. Audi rationem, eamque positivam. Canon hic fuit editus in Concilio *Cartaginensi*, ut patet ex inscriptione, propter Eutycharum, & Massilianorum Hæreticorum sectas, qui negabant, operandum esse manibus propriis, intonsi prolixam comam, & barbam alebant, ut testatur Epiphanius *Hæres. 80.* & eos faceret carpit S. Augustinus *de opere Monach. cap. 30.* Ne igitur Christiani cum Hæreticis istis facerent, prudentissimè statuit, barbam esse tondendam. Interim, dum & comam, & barbam nutriendam Concilium vetuit, excessum duntaxat prohibuit, ne scilicet Clerici (ut ait Canisius *ad b. t. n. 9.*) modo plane muliebri, & effœminato eam nutrirent, mediocriter ali posse non interdixit, id quod ex variis Conciliis ostendit eruditissimus SS. Canonum interpretes Gonzalez *ad cit. cap. 5. b. t. n. 5.*

39 Sed quid de crinibus supposititiis, sive *Berruca*, ut vocant, quam hodie passim à Clericis gestari videas, num usus iste probari, vel potius reprobari debeat? Respondeo, si id fiat ex justa, & rationabili causâ, puta valetudinis conservandæ gratiâ, usus comæ fictitiæ non videtur esse reprobandus, cum sit res prorsus indifferens, gestare, aut non gestare ejusmodi capitis tegumentum. Poterit tamen vitium contrahere, si id fiat vanæ gloriæ, aut ostentationis gratiâ, & sub hoc respectu omninò Clericis usus *Berrucæ* vetitus est. Interim

omnes Clerici, etiam in dignitate constituti, interdictum sibi esse noverint, ejusmodi crine supposititio uti, dum saceris operantur. Id quippe nemini fas esse citra dispensationem Apostolicam, resolutum fuisse à Sacra Rituum Congregatione *31. Jan. 1626.* & mandato novissimo Innocentii XII. confirmatum refert P. Reiffenstuel *ad b. t. §. 3. n. 92. & seq.*

Ad conservandum præterea in Clero morum honestatem illud maximo-pere conducere videtur, ut earum rerum usu abstineant, quæ fastum, pompam, ac vanam ostentationem præferunt. Eapropter in *cap. 15. b. t.* cautum fuit, ne Clerici gestent annulos in digitis, nisi quibus ex officio competit, ut Prælati, Doctoribus &c. Panorm. *ibid. n. 7.* quia annuli, utut ad signandas litteras principaliter adhiberi soleant, tempore tamen Innocentii III. qui hujus Canonis auctor est, jam comperit fuit, quod ad ornatum duntaxat, & vanam ostentationem annulorum usus inter Clericos invaluerit. Ex eodem capite dictus Pontifex in *cit. cap. fibularum*, & corrigiarum ex auro, vel argento usum Clericis interdixit, quin, si equo iter facerent, ne calcaria deaurata adhiberent, quia ejusmodi apparatus superfluitatem, & vanitatem redollet. Vid. Gonzalez *ad cit. cap. 15.*

Tertium, quod vitam, & honestatem Clericalem apprime commendat, est, Divina Officia cum gravitate, & reverentia sedulo obire, ac præterea ab exercitio ejusmodi officiorum, & negotiationum, quæ statui suo dehonestamento esse possunt, abstinere. Quæ officia in specie, quâsque negotiatione Clerico exercere vetitum sit, ex parte

te jam in superioribus libris dictum est, & in sequentibus, maximè *tit. ult.* hujus Libri adhuc dicitur. Interim consulendus est Barboſa *J. E. V. lib. 1. c. 40. per tot.*

41 Quod attinet Divinum Officium, in quo Clericos jugiter occupatos esse convenit, illud cum primis declarare oportet. I. Quid intelligatur per Divinum Officium? II. Quando cœperit in Ecclesia frequentari? III. Quare statis per diem vicibus? IV. Quid Myſterii lateat in septenario Horarum Canoniarum numero? V. Quare Clericis præ Laicis studium, & exercitium hujus Orationis magis commendatum esse debeat. VI. Quando, & quo jure ad Divina Officia persolvenda Clerici obligari cœperint. De singulis breviter.

42 Per *Divinum Officium* intelligimus certas preces, quas non muta duntaxat animi voce, sed linguæ quoque ministerio quotidie ad DEUM effundimus. Hunc sibi cultum à creatura rationali exposcit DEUS, non modo, ut auctor & principium ejus est, aut ut ab eo largitatis munificentia locupleta, & in benedictionibus dulcedinis præventa est, sed ut is in se ipso bonus est, adeoque laudabilis, & gloriosus, & superexaltandus in sæcula. Dicuntur autem istæ preces *Divinum Officium* per quandam eminentiam, quatenus nempe illæ continent verba à Spiritu S. immediatè dictata, quibus mens suaviter irrorata *Hostiam laudis, fructum laborum consentientium nomini ejus* offert. Dicuntur etiam hæ preces *Officium Ecclesiasticum*, quatenus ab Ecclesia ordinatæ, & mirabili modo dispositæ fuere. Vocantur *hora Canonice*, quia certis horis

juxta præscriptum SS. Canonum recitandæ. Denique *Breviarium* indigantur, eo quod sint brevis summa, & compilatio eorum, quæ ad laudem DEI, gratiarum actionem, & nostram institutionem pertinent. Castropala *Tom. 2. disp. 2. de Orat.* Giribaldus in *decem Præcept. Decal. Tract. 5. cap. 3. dub. 1. num. 1.*

Divinæ laudes, quibus adoleverint incunabilis, si scire aveas, dico, eas cum ipso mundo initia habuisse, cultumque hunc ab Adamo, Protoparente nostro cœpisse, teste Cyrillo Alexandrino *lib. 3. in Julian.* Id quod etiam Paraphrastes Chaldæus indicare videtur, qui Psalmo 91. hunc titulum præfixit: *Laus, & canticum, quod dixit homo primus in die Sabbati.* Quod Divinæ cultus Studium deinceps per Patriarchas, & Prophetas usque ad Christum fuit propagatum, prout id ipsum fufius exponit Cardin. Bona *Tract. de Divin. Psalm. cap. 1. §. 3.* Sed ut fieri amat, ut nihil, quamprimum natum est, protinus politum, perfectumque sit, sed res omnes certa habeant principia, certos progressus, certasque ætates; ita quoque Divina Laus suis in initiis adhuc rudis, & imatura, decursu temporum nonnihil politior, & orta demum Ecclesia suam consecuta est perfectionem. Debent ergo sua primordia *hora Canonice*, prout sunt certæ preces ad laudandum DEUM certis horis institutæ, ipsis Apostolis, velut id ex Tertulliano *lib. de Jejun. cap. 10.* demonstrat Thomassinus *vet. & nov. discipl. Eccles. part. 1. lib. 2. cap. 73.* Act. enim 3. legitur: *Petrus, & Joannes ascendebant ad horam orationis nonam.* Qui ritus colendi, & laudandi DEUM continuatæ

saeculorum ferie in Ecclesia semper retentus, & usque ad nostra tempora propagatus fuit, ut mox laudatus Card. Bona *cit. cap. §. 4.* erudito calamo prolixè demonstrat. Et quidem, si officii hujus primam institutionem attendimus (ait Van-Espen *F. E. V. part. 2. tit. 17. cap. 2. §. 9.*) illud non tam in Clerici, quàm Laicorum ædificationem, & gratiam institutum intelligitur. Id quod etiam asserit laudatus Thomass. *cit. cap. 73.* Videatur S. Thomas *2. 2. Q. 83. art. 12.* & Joannes Gersonius in *Alphabeto Lit. N.*

Cur verò Divinæ Laudes statis in Ecclesia horis persolvantur, plurimæ rationes à Patribus afferuntur. Nos, qui pagellarum harum angustiis arctati, prolixius hic & nunc excurrere prohibemur, remittimus cupidum Lectorem, ad sæpe laudatum pientissimum, & literatissimum Cardinalem Bona in *d. tract. cap. 2. §. 2. §. seqq.* cujus præterea Ascetica opera Clerico cuicumque familiaria vehementer cupimus, ac pro quotidiana spiritali lectione maximo perè commendamus. Hujus interpolatæ Orationis rationem illam duntaxat assignamus, quam in simili S. Leo M. *Serm. 4. de Fejun. septimi Mensis* reddit, ut scilicet anima, quæ terrenis adhuc desideriis implicatur, & curis Secularibus impeditur, ex intervallo saltem ad Divina respiret.

Similiter Mysteria, quæ septenarius horarum *Canonicarum* numerus complectitur, fusè declarat antedictus Card. Bona *cit. Tract. à cap. 4. usque ad cap. 11.* inclusivè, & Durantus *de Rit. Eccles. lib. 3. à cap. 3. usque ad cap. 12.* Nec non Concilium Aquisgranense Anno 816. celebratum *lib. 1. cap. 126. §. seq.* commu-

niter dicitur, has septem horas esse institutas, ut redemptionis nostræ beneficium ad memoriam reducamus, quæ septem præcipuè Mysteriis continetur, quæ à Glossa *ad cap. 1. de Celebr. Miss.* his versibus exprimuntur:

*Hæc sunt septenis, propter quæ
psallimus horis;*

*Matutina ligat Christum, qui crimi-
na purgat,*

*Prima replet sputis, causam dat
Tertia mortis,*

*Sexta cruci neclit, latus ejus No-
na bipertit.*

*Vespera deponit, tumulto Comple-
ta reponit.*

Jam ratio quoque reddenda est, cur Clericis Divinæ Psalmodiæ studium magis, quàm laicis commendatum esse debeat, quæ hæc est, quod Clerici, utpote specialiter in sortem Domini adlecti, & de Christi Sacerdotio participantes, mediatores inter DEUM, & hominem sint constituti; quapropter ad eos multò magis pertinet jugiter orandi obligatio, quàm ad laicos, quippe qui etiam spem salutis suæ magnam in Clericorum pietate, & apud DEUM intercessione collocatam habent. Quod confirmatur ulterius ex eo, quod, cum S. Ambrosius, S. Augustinus, & alii Patres, prout videre est apud Thomassin. *cit. cap. 73. n. 4. §. seq.* Populum ad laudes Divinas in Ecclesia cantandas crebrius adhortati sint, idem Divinæ servitutis pensum à Clericis exegisse tanto minus dubitandum est, quanto certius ipsis constabat, Apostolos omnes à se abjecisse sollicitudines, & occupatio-
nes,

nes, ut uni incumberent, seque totos dederent orationi, & prædicationi: & quidem orationi ante, quam prædicationi. Unde dicebant: *Orationi, & ministerio verbi instantes erimus. Act. 6. v. 4.* Ab hoc Apostolorum exemplo habent Clerici, quod sumant documentum, omnes sacerdotales functiones postponendas esse orationi, hancque ipsi inter primas curas esse debere præcipuam, ut actionibus suis omnibus, & Præsidentem, & comitem semper adhibeant orationem, ut eas regat, illustret, & novo, cœlestique semper vigore vegetet. Id quod non tam de oratione privata, quam de publicis precibus, quas Clerici in Ecclesia ad adificationem populi, & devotionis incitamentum fundunt, intelligendum est. Videatur S. Thomas *loco supra cit.*

Initium obligationis, qua Clerici ad Horas Canonicas sive in Choro cum aliis, sive privatim dicendas adstricti suere, refert Thomassius *cit. lib. cap. 75. & seqq.* Ad sæculum VI. idque probat ex variis Conciliorum Constitutionibus, & Patrum Sententiis, ex quo subinde consuetaneum est, quod pensum Officii Divini Clericis non Jure Divino, sed duntaxat Ecclesiastico impositum fuerit. Hujus quippe præcepti nullum in Jure Divino vestigium reperire est, nec etiam ex *traditione* peti potest, siquidem ex jure hoc non scripto habemus, quod Laici æque, ac Clerici ad Laudes in Ecclesia dicendas convenierint, neque tamen propterea quisquam dixerit, Laicos ad *Horas Canonicas* dicendas esse obligatos. Est ergo hæc obligatio juris tantum positivi, & Ecclesiastici, ut communiter docent Theologi Scholastici, & Morales cum

Bellarmino *lib. 1. de bonis operib. cap. 19.* & Bonacina *Q. 1. punct. 2. n. 2.* hæcque obligatio se non porrigit ad quoscunque Clericos, sed tantum, qui in majoribus Ordinibus sunt constituti. *cap. 1. & 9. de Celebr. Miss. & cap. 9. dist. 92.* & ex antiquissima, ac receptissima Ecclesiæ consuetudine, quæ utpote legitime præscripta, habet vim legis obligantis. Giribaldus *cit. Tractat. cap. 3. dub. 2. §. 1. n. 13.* Sub qua obligatione Canonici Cathedralium, & Collegiatarum Ecclesiarum ad Horas Canonicas teneantur, dicitur in *tt. seqq.*

Sed ubi Bœhmerus noster? dormit-⁴³ ne? Non, dormit, sed, cum dormiant homines, venit inimicus homo hic, & superfeminat Zizania: excussis quippe SS. Canonibus, quos in §§. antecedentibus pro norma Clericalis honestatis adduximus, occasionem arripit, Clericorum, maxime autem Canonicorum nostratium mores, vitamque carpendi. Exprobrat ipsis luxum in vestibus. §. 55. intemperantiam in conviviis §. 69. effrenatam in lusu licentiam §. 72. usurariam in negotiationibus pravitatem, cuius principaliter Aulam Romanam consuetis convitiis redarguit §. 73. oscitantiam in Divinis, neglectumque piarum exercitationum §. 78. Ego, cum hic, Rubrica agat de *honestate*, putida ejus verba referre erubescio. Id duntaxat convitianti Bœhmero repono, quod apud Epictetum in *Enchiridio cap. 10.* lego: *Alios accusare in calamitate sua, hominis est ineruditi: seipsum; ejus, qui erudiri coepit: nec se, nec alium; eruditi.*

Illam imprudentem crisi dissimulare nequeo, quam de Horis Canonicis facit, dum & illud reprehendit, quod stans horis preces Canonice persolvantur,

tur, & quod latino tantum idiomate recitentur; cum tamen pro ædificatione populi magis expediret, eas in vernacula dicere. De primo sic scribit, §. 93. *Judæi in precibus suadendis rationem habebant LOCI, & TEMPORIS.* Christus verò non adeo superstitiosè bis insistendum esse, apertè docet Lucæ 18. v. 1. Joan. 4. v. 23. *Quod etiam Apostolus confirmat, docetque, SEMPER, hoc est, non præcisè statis horis orandum esse.* Rom. 12. v. 12. Ephes. 6. v. 18. Coloss. 4. v. 2. 1. Thessalon. 5. v. 17. *Imo crederem, tum Christum, tum etiam Apostolos ideo SEMPER, & UBIQUE orandum esse docuisse, ut occurrerent opinioni inveteratæ, & ex Judaicis institutis à quibusdam adhuc retentæ, præcisè HORIS STATIS, quibus Judæi orabant, orandum esse.*

Hæc oppositio, quæ Bœhmeri ingenium non sapit (ut aliorum Patrum sensa præteream) sola auctoritate S. Augustini refellitur; hic equidem S. Doctor Epist. 130. ad Probam honestam viduam scribens, quid sit *semper orare*, & cur statis horis preces reassumere conveniat, his verbis docet: *In ipsa ergo Fide, & Spe, & Charitate continuato desiderio semper oramus.* Quod amplius sic exponit S. Thomas 2. 2. Q. 83. art. 14. C. de Oratione, inquit *dupliciter loqui possumus, uno modo secundum seipsam; alio modo secundum causam suam, causa autem orationis est desiderium charitatis, ex quo procedere debet oratio: quod quidem in nobis debet esse continuum vel actu, vel virtute; manet enim virtus hujus desiderii in omnibus, quæ ex charitate facimus, sed ipsa oratio secundum se considerata non potest esse assidua, quia oportet aliis operibus occupari.* Cur verò statis horis conveniat orare, sic consequenter Augusti-

nus explanat: *sed ideo per certa intervalla horarum, & temporum, etiam verbis rogamus DEUM, ut illis rerum signis nos ipsos admoveamus, quantumque in hoc desiderio (Fidei, Spei, & Charitatis, de quo supra locutus est) profecerimus, nobis ipsis innotescamus, & ad hoc augendum nos ipsos acrius excitemus: dignior enim sequetur effectus, quem ferventior præcedit affectus.* Et post pauca: *sed ideo ab aliis curis, atque negotiis, quibus ipsam quodammodo desiderium tepescit, certis horis ad negotium orandi mentem revocamus, verbis orationis nos ipsos admonentes, in id, quod desideramus, intendere, ne, quod tepescere cœperat, omnino frigescat, & penitus extinguatur, nisi crebrius inflammetur.* Dic jam Bœhmere, quid superstitionis habet, quod per statas temporum vices laudes creatori nostro persolvamus, & piè semel concepta ad DEUM vota, & desideria spiritali hoc pabulo nutriamus, foveamus, conserveamus? Quid judaizat oratio nostra, quod hac in parte imitetur veteris Synagogæ ritum sanctissimum? An in manibus orthodoxi propterea cythara male sonat, quia eam pulsâsse Davidem legimus? Næ tu mihi superstitiosissimus mortalium sis, si bis in die refici nolis, quia id à Judæis factum fuisse legis. Si virtus in hoste laudanda est, cur non etiam imitanda? Sed de hoc satis: pergamus ad alterum.

Bœhmerum pessimè habet, quod nos orthodoxi non vernacula lingua Psalmodiæ pensum persolvamus, sed latino duntaxat idiomate. Quid autem hic mali subest? *interfuit Pontificis (reponit §. 101.) ne patrio idiomate horæ Canonice canerentur.* Hoc quippe eo sine factum esse, ait, ut Pontifex

Hie-

Hierarchicum imperium tanto magis dilataret, & stabiliret, obligando alias Ecclesias omnes, ut se ad ritum Ecclesie Romanæ componerent. *Interim misera plebecula* (pergit cit. §.) *bisce ludibriis Cleri delusa, ab omni fere exercitio cultus Divini excluderetur, & Horas Canonicas desererebat.* Carpit propterea Carolus M. quod Clerum omnem se ritui Romano conformare iusserit, subjungens §. 99. *Rectius sine dubio fecisset, si neglectis bisce minutis, modum cantandi Psalmos, aliisque cantus, IDIOMATE PATRIO singulis Ecclesiis prescripsisset, ut ab omnibus intelligi, simulque antiquo more hi, qui sunt ex plebe, huic Officio interesse potuissent.* Infructum sane fuit, eum cantandi modum in Ecclesia stabilire, cujus sensum pauciores habuerant, adeoque per indirectum ab hoc Officio quotidiano excludi debere. Neque enim Cultus Divinus tantum pro Clericis, eruditisque est institutus, sed pro omnibus, & ita rationi, & Scripturæ S. conveniens, ut non in alia, quam ea fiat lingua, que omnibus in Ecclesiis familiaris est. Laudat propterea Maximilianus II. studia, qui in Constitutione de Anno 1575. prout apud Goldastum legitur tom. 3. *Constitut. Imperial. fol. 576.* vehementer optabat, ut cantus Choralis vernaculo Carmine compositus ad pietatem, & Laicorum edificationem, & devotionem in templis personaret. Sed huic voto paritum non est. Quid Lutherus de nostra Psalmodia senserit, ex Bœhmiero refero: *Unsere Geistliche, inquit, die weder betten, lehren, noch lehren Gottes Wort, sondern mit Menschen-Gesäzen sich marnen, und im Chor marnen und heulen, thäten besser, daß sie die weil der Sau hüteten im ehelichen*

Stand. Tom. 2. Jen. Germ. fol. 292. Hæc satis latine, quamvis patrio sermone ex suili Scrophipascus declamavit Martinus Lutherus. Nos jam Bœhmieri, qui ejusdem haræ, & aræ socius est, grunnitus compescamus.

Quod Ecclesia Catholica preces Canonicas, & Officium Divinum non vernacula cujuslibet gentis lingua, sed sermone duntaxat latino psalli, & decantari jubeat, id haudquaquam sine ratione statuit; & si nulla alia ratio positiva suppeteret, illa sufficeret, quod universalis, & antiquissima Ecclesie consuetudo sic habeat: contra id autem, quod universa Ecclesia facit, disputare, insolentissima insaniam est, ait S. Augustinus Epist. 118. aut si id ipsum, quod universalis Ecclesia tenet, damnare non erubescis, damna etiam Apostolos, & Evangelistas, quod, quanquam variis nationibus predicaverint, & Ecclesias constituerint, Evangelium tamen, & Epistolas, non idiomate cujuslibet nationis proprio scripserunt (id quod tamen facile facere potuissent, cum haberent donum linguarum) sed aut Hebraico, Græco, aut Latino: scripsisse autem non alio idiomate, quam uno ex his recensitis, patet ex eo, quod hætenus nullum alicujus Apostoli scriptum, quod non Græce scriptum esset, produci potuerit: nec ullus veterum tradat, Apostolos alia lingua, præter jam nominatas, Epistolas suas exarasse. Id quod luculenter ostenditur in Apostolo Paulo, qui Romanis græce scripsit, cum tamen eorum lingua vernacula non esset Græca, sed Latina. Sic etiam Petrus, & Jacobus Judæis per orbem terrarum dispersis duntaxat græce scripserunt, non obstante, quod Judæi id temporis illius

H

tan-

tantum nationis idioma callerent, quæ cum vivebant, & conversabantur, ideo, dum Jerofolymis sacro Pentecostes die ex omni regione convenissent Judæi, ac, quæ Apostoli græco sermone prædicabant, quisque in sua lingua intelligeret, vehemens eos admiratio incessit. *Nónne isti, qui loquuntur, Galilæi sunt* (ex se mutuo quærebant) & *ecce nos audivimus eos loquentes nostris linguis?* Quod si verò ab Apostolis id temere factum non est, quod Epistolas suas, aut ipsa Evangelia non vernaculo cujuslibet nationis idiomate scripserint, etiam Ecclesiæ impropere non debet, quòd Psalmodiam in Ecclesia non alio, quàm latino sermone perfici decreverit. Sit, ut per hoc Ecclesia Romana *Hierarchicum* imperium magis firmare intenderit, nihil propterea fraudis ei objici potest: nam ad Ecclesiæ unitatem conservandam, & decorem Cultus Divini quàm maximè conducit, ut publicus usus scripturarum; adeoque etiam Psalmodiæ, quæ potissimum ex S. Codice composita est, in aliqua lingua communissima habeatur, quæ etiamnum, & pluribus retro sæculis alia non est, quam lingua latina.

Quod autem per hoc rudior populus ab Officiis Divinis, unà cum Clero decantandis, videatur excludi, ad quæ tamen olim invitabatur, id inanis est objectio. Docuerunt posteriora sæcula, quanti periculi res sit, si promissæ hominum faci accessus pateat, ad intelligentiam scripturarum. Unde enim hæreses hæctenus natæ sunt, quam ex fortuita SS. Litterarum lectione, & temeraria earundem interpretatione. Non quilibet *Oedipus* est, ut *Mysteria* in SS. Bibliis recondita suo

unius duntaxat intellectus acumine securè referet. *Davi* sunt plerique, & tu unus ex illis *Bœhmere*, quod tuæ interpretationes hæctenus à nobis castigatæ, satis superque ostendunt. Quod ergo Ecclesia nolit, Officia Divina vernacula decantari, sapientissimo consilio facit, nè populus ruminando, quod non intelligit, inde sumat errandi occasionem, tum in doctrina fidei, tum in præceptis vitæ, & morum; unde fructum capere sub pietatis Schemate sperabat. Neque tamen per hoc fructu SS. Scripturarum defraudatur, cum sint, qui ipsis sine erroris periculo earundem sensum exponant; ideo Patres Concilii Tridentini in simili de Sacrificio Missæ decreverunt *Sess. 22. de Sacrificio. Missæ cap. 6.* ut Sacrosanctum Missæ Sacrificium non vulgari lingua, sed latina celebretur, mandat tamen insimul Pastoribus, & singulis curam animarum gerentibus, *ut frequenter inter Missarum celebrationem vel per se, vel per alios ex his, quæ in Missa leguntur, aliquid exponant; atque inter cætera Sanctissimi hujus Sacramenti Mysterium aliquod declarent, diebus præsertim Dominicis, & Festivis.* Veluti ergo populo de fructu Sacrificii nihil decedit, quanquam, quæ ibi latinè à Sacerdote dicuntur, non intelligat; ita nec Orationum Canonicarum fraudantur emolumentis, ut ut eorum, quæ psalluntur, ignari existant. Quod verò *Maximilianus II.* vehementer optaverit, ut cantus Choralis in vernacula perfolveretur, nihil roboris habet, nec intentum *Bœhmeri* confirmat. Quid enim non egit pientissimus ille Imperator, ut Germaniæ, in sectas turpiter scissæ, unitatem restitueret? & fortassis votorum suorum damnatus fuisset, si sperari pruden-

denter potuisset, hac via sectarios ad pacem & unitatem Ecclesiæ fore reducendos. Verum Hæreticis illius temporis, cum nollent intelligere, ut bene agerent, hunc cantum indulgere frustra visum est.

Hactenus à nobis dicta egregiè confirmat praxis Ecclesiarum Cathedralium, & Collegiatarum, quas protestantes Ecclesiæ Catholice primitus per spoliū Sacrilegum ereptas, post multas demum lites, multo etiam sanguine madentes, per pacificationes publicas, dum amicabile compositis sequatur, possidere permittuntur: in his quippe protestantium Ecclesiis hodiernum non alius cantus auditur, quam *Romanus*; nec alio idiomate psallitur, quàm *latino*. Et quanquam Bœhmerus hanc praxin ex eo legitimare velit, quod in plerisque Ecclesiis Canonici Catholici cum Protestantibus commixti sint; adeoque Principes Protestantes ritum Romanum reformare nequeant, eò quod Anno 1624. ibidem observatus fuerit, ut cautum est in Instrumento Pacis. §. 31. Miramur tamen, quomodo protestantes potuerint salva conscientia, aut etiam salvo honore suo, super hoc puncto taliter nobiscum transigere, ut eum cultum in suis Ecclesiis admitterent, qui *superstitionem* fovet, *Judaismum* olet, cum ratione, & S. Scriptura non convenit, prout his prædicatis ritum Romanum in horis Canonicis dicendis pro sua scribendi modestia exornat Bœhmerus. Itaque palam faciunt protestantes, quod ne quidem in ipso sanctissimo Religionis negotio decori rationem habeant. Possum proinde sine injuria Bœhmeri, quod S. Augustinus Juliano, ob-

dicere: *Es in disputatione loquacissimus, in contentione calumniosissimus, in professione fallacissimus. Nihil enim, quod dicas, inveniens, inania multa dicis. Lib. 4. Oper. imperf.*

Agit etiam Bœhmerus in *b. r. §. 38. 44* & seq. de *Emancipatione* Canonicorum, quæ in variis Cathedralibus Ecclesiis Germaniæ obtinet, dum scilicet Canonici juniores absolutis in aliqua Academia litterarum studiis (quod studiorum tempus vel ad Triennium, vel ad Biennium juxta cujuslibet Ecclesiæ morem, vel statutum extenditur) non prius Canonicorum numero censeri, nec ad capitula admitti solent, quam solenni ritu (qui pro varietate Ecclesiarum variat) fuerint *emancipati*, seu à nexu scholæ liberati. Ritum hunc originem suam à scholis capitularibus, in quibus olim juniores Canonici à Magistro, seniore quodam Canonico, qui propterea *Scholasticus, Dom. Scholaster* dicebatur, ducere, ex variis scriptoribus Ecclesiasticis probat §. 80. Unde jam quæri potest: an, si aliquis *domicellaris* absolutis studiis, ad quæ ex statutis Ecclesiæ suæ tenetur, in Doctorem Juris promoveatur, ac insuper suæ eruditionis publica specimina edat, legi *emancipationis* subjaceat, & si eidem se subicere renuat, propterea ex albo Canonicorum expungi, vel à capitulo excludi queat? Bœhmerus negativè respondet; & mea quidem opinione, bene: si enim originem hujus emancipationis spectes, illa duntaxat locum habuit in Canonicis juvenibus, qui prius examinabantur à *scholastico*, & ubi inventi fuerunt habiles, cum testimonio habilitatis præsentabantur capitulo, ut ab eo emancipati, sive à nexu scho-

scholæ liberati, dehinc ad Capitulum admitterentur, quæ ratio cum adæquatè cesset in Canonico Doctorato, de cujus doctrina non modo publicum Universitatis testimonium extat, sed domestica quoque monumenta fidem faciunt, etiam hæc odiosa dispositio cessare debet. Præterea, talis Canonicus, qui per doctrinam suam jam inclaruit, plenè satisfecit SS. Canonibus, litterarium profectum à Canonicis exigentibus, ideóque similia statuta Capitularia tanquam odiosa potius restringenda ad casus communiter contingentes, quàm ad hunc casum extraordinarium extendenda esse videntur. Pluribus aliis argumentis, quæ non desunt, congerendis consultò supersedeo.

45 Denique in hoc tit. à §. 107. usque ad finem Bœhmerus instituit agere de Ordinibus *Militaribus*, quorum præcipui sunt *Templariorum*, *Hospitaliorum*, & *Teutonicorum*, quorum initia, & progressus inquirat, & dicit, hos Ordines sua primordia debere *superstitioni*. Et tamen, quod mireris, huic superstitioni addicti esse amant *protestantes*, dum passim videas, eos *Balivias* vulgò *Baleyn* possidere, petere avidè horum Ordinum alumnis adscribi, cum tamen non nesciant, nullos admitti, nisi, qui Monasticis tribus votis emissis Ecclesiæ & Religioni fidem, & subjectionem spondent, ipsùmque S. Pontificem ceu caput Ordinis, & Ecclesiæ reverentur. Unde Voëtius, ex protestantium schola *part. 2. Polit. Eccles. lib. 4. tract. 4. cap. 6.* inter cætera ait, Evangelicos bona conscientia ad hos ordines adspirare non posse, quod nefas sit, Monachatum, qui his Ordinibus intextus est, nomen dare, aut Papæ se subicere, militiamque

Papæ profiteri. Quid autem Bœhmerus? levi brachio excutit motiva Voëtii. Nam, quod Ordines hi (ait §. 125.) ex instituto quodam Papali, *bierarchiam sapiente, descendant, protestantes haud ferit*, utpote, qui non eadem intentione Ordinibus hisce se adjungunt, ut *Papatum stabiliant, defendant, aut se eidem conforment, cum ab eo recesserint*. Pulcherrimè. Ergo Ordinem illum, qui principaliter in defensionem Ecclesiæ institutus est, quique milites suos non aliter in societatem admittit, nisi sub hoc pacto, ut Ecclesiam, ejusque caput defendant, eisque obedientiam spondeant, sic licet circumvenire? aut, hanc intentionem intentioni Ordinis è diametro oppositam excusa à fraude, si potes? Pergit ulterius: *Nec ferit nos quòd sodalitia hæc scopum, à vobis reprobatum habeant; sufficit, quod eum non habeant intuitu protestantium, qui ad hæc accedunt, quippe, qui non dependent à Papa, nec independentiam quandam à Magistratu involvunt. Quæ ceremoniis, in us usitatis, adherent superstitiones, toleranda sunt, cum mutari non possint, & in plerisque aliis ceremoniis non desunt abusus, qui tamen boni publici causâ dissimulari debent. Vota, quæ hisce Ordinibus adherent, ad incommoda merito refero; sed si opinionem meriti adimis, quam protestantes utique fugiunt, ferenda, non absolute reprobanda sunt.* Quæro jam ex te, Bœhmere, si sodalitia hæc, ut asseris, à vobis reprobata sunt, qua conscientia vestrum aliquis, ejusmodi societati se adjungere ausit? Scripsisti in tua dissertatione *de Jure circa Libertatem Conscientiæ*, quod quis secundum principia, quæ agnoscit reprobata, *salva conscientia agere non possit.* Quomodo

do jam protestantium illorum conscientiam ab errore absolvas, qui Ordini illi se adjungunt, qui falsis, & *superstitiosis* principiis regitur, & quorum falsitatem & superstitionem illi anteceder agnoscunt? Quomodo ceremonias illas, quas ex lege Ordinis observare necesse est, illi tuta conscientia servant, quas sciunt esse *superstitiosas*? Quomodo vota Religionis placebunt DEO, quæ

superstitiosis ritibus inquinata sunt, quæ tamen absolutè reprobanda non esse asseris? Ecce sic DEO, sic tuis illudis. Recanta, si sapias, quæ perperam hic scripsisti. *Secundas habe partes modestie, quia primas non potuisti habere sapientie: Et quia non valuisti omnia non pœnitenda diligenter dixisse, pœniteat, quæ cognoveris, dicenda non fuisse.* Hæc tibi Augustinus Epist. 141.

§. IV.

Quibus Privilegiis gaudeant Clerici? Et quomodo Clericatus probari possit?

SUMMARI A.

46. Quatuor sunt præcipua privilegia Clericorum. 47. Quomodo acquirantur cum suis illationibus? 48. 49. 50. Tria dubia circa privilegium fori moveri solita resolvuntur. 51. Casus enumerantur, in quibus Clerici privilegio fori excidunt. 52. Quid sit privilegium Canonis, Et quæ occasio eidem causam dederit? 53. 54. Hoc privilegio gaudent omnes Clerici, Et Religiosi. 55. Ad incurrendam pœnam Excommunicationis in d. cap. latam quid requiratur? 56. Qui in specie hanc pœnam incurrunt, recensentur. 57. Et qui non. 58. Quis possit ab hac censura absolvere? 59. Quomodo probetur Clericatus? 60. Quisnam iudex sit competens in discutienda questione Clericatus?

46 **I**nter varia privilegia, quæ Clericis à Jure leguntur concessa, quatuor eminent, videlicet privilegium fori, privilegium Canonis, privilegium competentie, privilegium immunitatis, ab oneribus tum *personalibus*, tum *realibus*. De privilegio fori, quatenus Clericum tam quo ad suam personam, quàm quo ad res suas eximit à foro, & jurisdictione judicis Laici, egimus in *lib. 2. tit. 2. §. 7. n. 44. Et seq.* Pro cujus materiæ complemento hic quædam adhuc dubia resolvemus. De privilegio competentie in *Tit. de solutionibus*, & de privilegio immunitatis in *Tit. penult. b. l.*

pleniori manu differemus. Igitur in præsentî §. privilegium Canonis specialiter expendendum proponitur, cui tamen generalia quædam circa acquisitionem privilegiorum recensitorum præmittimus.

Dico: Recensita privilegia acquiruntur illis omnibus, qui vel per sacram ordinationem, vel per specialem deputationem, autoritate Superioris Ecclesiastici factam, Divinis obsequiis mancipantur: Ratio est, quod hac duplici via aliquis à statu *Laicali* transferatur ad statum *Clericalem*, ut supra in §. 1. n. 8. docuimus. Unde

H ;

En-

Inferes I. His privilegiis gaudere non tantum Clericos in *Sacris*, aut *Minoribus Ordinibus* constitutos *Caus. 11. Q. 1. ferè per tot. cap. 4. § 8. de Jud. Cap. 1. § 2. de for. Compet. Cap. 4. § 7. de Immunit. Eccles. Cap. 1. § 3. eod in 6.* Sed etiam prima tonsura duntaxat initiatos, quia per primam tonsuram ex *Laico* quis fit *Clericus*, & perspicuè probatur ex Pontificali Romano *tit. de Clerico faciendo*, ubi Episcopus post collationem primæ Tonsuræ Tonsuratos his verbis monere jubetur: *Filii charissimi animadvertere debetis, quod hodie de foro Ecclesie facti estis, & privilegia Clericalia sortiti estis. Cavete igitur, ne propter culpas vestras illa perdatis, & habitus honesto, bonisque moribus, ac operibus DEO placere studeatis.* V. Fagnan. ad cap. 11. de *Ætat. qualit. n. 112. § 128.* Circa privilegium fori id insuper à Concilio Tridentino *Sess. 23. de Reform. cap. 6.* statutum est, ut aliter eodem Tonsurati non gaudeant, nisi beneficium Ecclesiasticum habeant, aut Clericalem habitum, & Tonsuram deferentes, alicui Ecclesie ex mandato Episcopi inserviant, vel in seminario Clericorum, aut in aliqua schola, vel Universitate de licentia Episcopi quasi in via ad majores Ordines suscipiendos versentur. Qualia debeant esse beneficia? Quis titulus vel possessio in iis requiratur? Item qualis habitus esse debeat, ad effectum hujus privilegii obtinendum? Per distinctas *Q. Q.* resolvit Card. de Luca in *Annot. ad Concil. Trident. Discurs. 24. n. 12. § seq.* Et Bordon. de *Privileg. Cleric. cap. 6. n. 15. § seq.*

Inferes II. Religiosos professos, item Religionis Novitios utriusque sexus, nec non Tertiarios & Eremitas, juxta limitationes *§. 1. n. 12. § seq. po-*

fitas, in dictorum privilegiorum participationem venire, quia autoritate Ecclesie cultui Divino specialiter deputantur, & se, suæque DEO offerunt, & consecrant. Vid. Bordonum de *Privileg. Cleric. cap. 4. n. 18. § seq.*

Inferes III. Etiam illicitè ordinatis privilegia Clericalia conferri, quia, tametsi culpâ non vacent, validè tamen sunt ordinati, & consequenter recipiunt characterem, & cum eo privilegia Clericalia, quæ eidem cohærent, consequuntur. Nec quidquam in contrarium facit, quod Concilium Tridentinum *Sess. 7. cap. 10. de Reform.* decernat, ut, qui vacante sede infra annum, citra quod beneficii, vel recepti, vel recipiendi necessitate arctentur, etiam obtentis à Capitulo litteris dimissoriis illicitè ordinantur, sic ordinati, si in minoribus Ordinibus constituti fuerint, **NULO PRIVILEGIO CLERICALI, præsertim in criminalibus gaudeant.** Nam ut benè observat Bordonus *cit. loc. n. 13.* *Ly gaudere* importat usum privilegii jam habiti, consequenter supponit, illud personæ jam esse collatum: Sensus ergo conciliaris hujus constitutionis est, quod ejusmodi illicitè ordinati non gaudeant privilegiis Clericalibus, hoc est, sint privati privilegio jam acquisito quo ad usum, quod tamen in habitu adhuc penes illos manet. Subjicienda sunt modo aliqua dubia, quæ privilegium fori concernunt. Et quidem

Dubitatur I. An Clericus munus aliquod, aut administrationem, v. g. tutelam ex commissione judicis Laici suscipiens, ad rationes reddendas coram eodem judice conveniri valeat? Negativa de jure videtur esse certa ex textibus in *cit. tit. 2. lib. 2. §. 7.* à nobis alle-

gatis eò quod exemptio Clerici jure Divino stabilita sit, nec Clerico huic foro pro quocunque casu renunciare fas sit. Estque hæc sententia omnium fermè Theologorum, & Canonistarum punctis confirmata. De praxi verò contraria, si quæ alicubi obtinet, quæritur, an illa ut legitima defendi, & sustineri possit? Card. de Luca de *Jurisd. discurs.* 49. n. 6. ei in tantum patrocinator, ut rationes suæ administrationis quidem à Clerico exigì posse censeat in foro judicis Laici, hac tamen cum cautela, ut ne procedatur ad executionem, ab eodem judice, vel in personam Clerici, vel in ejus bona, sed hoc judici Ecclesiastico relinquatur. Rationem prioris membri petit ex paritate à feudo desumpta, dum constat in causa feudali Clericum judici feudali, etiam Laico, subjici, ut constat ex *cap. 5. de Judic. Cap. 6. & 7. de Foro compet.*

49 Dubitatur II. An Clericus venditor teneatur emptorem Laicum, facta denunciatione, evictionis nomine in foro Laico defendere, num vero hanc causam ad forum Ecclesiasticum trahere valeat? Respondeo, teneri simpliciter emptori in foro Laico assistere. Ratio est, quod in hoc casu Clericus vicem rei non sustineat, nec judex in eum sententiam ferat, sed in emptorem, tanquam reum conventum; venditor enim non vocatur, ut subeat personam rei, sed ut eidem assistat, & defendat, consequenter hic cessat motivum prohibitionis, in *cap. 2. de For. compet.* Accedit textus in *l. 49. princ. ff. de Jud.* ubi Paulus ad hunc casum ita respondit: *Venditor ab emptore denunciatus, ut eum evictionis nomine defenderet, dicit, se privilegium habere sui judicis. Queritur, an*

possit litem ab eo judice, apud quem res inter petitorum, & emptorem cæpta est, ad suum judicem revocare? Paulus respondit, venditorem emptoris judicem sequi solere. Ita Barbosa *J. E. V. lib. 1. cap. 39. n. 116.* cum aliis ibidem à se allegatis, qui etiam *n. seq. ad opposita respondet.*

Dubitatur III. An Laicus conveniens Clericum ex *l. diffamari*, possit facere eundem citari ad suum forum, scilicet judicis Laici, isque ibidem comparere teneatur? Resp. affirmativè. Ratio est, quod Clericus diffamans non vices rei, sed actoris sustineat, quippe, qui jactando in alterum convitia, litem quasi intentare videtur, unde in hoc casu subintrat regula ex *cap. 8. de For. compet. & l. ult. C. ubi in rem act.* quod actor forum rei sequatur. Card. de Luca de *Jud. disc. 2. n. 7. & 8.* Mitto alia dubia quam plurima, quæ in pagellarum harum angustias cogere non possumus, dispuncta reperies apud laudatos AA.

Quamquam vero forum Clericorum adeo sit privilegiatum, ut pro nulla causa, civili, vel criminali (sola feudali causa excepta) ad judicem Laicum trahi valeant, nec ipsi Clerici eidem renunciare possint, per *cap. 12. de For. compet. cap. 18. eod.* Sunt tamen casus, in quibus Clerici sua culpa hoc privilegio excidunt. Meretur enim is privilegio privari, qui eodem vel abutitur, vel indignum se reddit. *cap. 7. dist. 47. cap. 63. C. 11. Q. 3. cap. 18. de Regul. cap. 11. de Privileg.* Inter hos casus est I. si Clericus habitum & Tonfuram non gestaverit, tunc ex constitutione Concilii Tridentini *Seff. 23. cap. 6.* Fori privilegio est ipso jure privatus, quamquam spectato jure antiquiori primum per sententiam, & quidem præ-

ce-

cedente trina admonitione, ex constitutione Clementis V. quæ incipit: *Ad reprimendas* &c. privatus fuerit, id quod de Clericis non conjugatis intelligendum est; nam quo ad Clericos conjugatos Concilium Tridentinum *cit. loc.* nihil immutavit, sed illi jam jure antiquo, si habitum & tonsuram non gestarunt, nec alicui Ecclesiæ deservierunt, aut beneficium non habuerunt, ipso jure *fori* privilegio excidebant, per *cap. unic. de Cleric. conjugat. in 6. V. Vincent. Petra in Comment. ad Constit. Apostol. tom. 4. pag. 445. n. 10. & seq. II.* Amittunt hoc privilegium Clerici *bigami*, sive verè, sive interpretativè, non verò similitudinariè tales, per *cap. un. de Bigam. in 6. Bordon. de Privileg. Cleric. cap. 8. n. 51. & 58.* III. Clerici joculariores, ludicram & probrosam hanc artem per annum integrum exercentes, sunt ipso jure *fori* privilegio privati; infra annum vero, si iter moniti non respuerint, per sententiam privari jubentur. *cap. un. b. t. in 6.* IV. Clericus factus miles, si is in *majoribus* constitutus tertio à Prælato suo commonitus, arma deponere noluerit, de privilegio Clericorum subsidium aliquod habere non debet. *cap. 25. de Sent. Excomm.* V. Assassinus *cap. 1. de Homicid. in 6.* Non tamen amittunt hoc privilegium irregulares, aut censura quadam innodati, quia nullibi hæc pœna statuta legitur, cum tamen ad amissionem hujus privilegii requiratur, ut id in jure expressè cautum sit. *Barbos. ad cap. ult. de Jur. Patron. Bordon. cit. Tract. cap. 9. n. 4. & n. 25. cum seq.* Jam de privilegio *Canonis* scitu magis necessaria lubet exponere.

Privilegium *Canonis* ex eo sic dicitur, quod per specialem Canonem, nempe *cap. si quis suadente 29. C. 17. Q. 4.* ab Innocentio II. in Concilio Lateranensi Anno 1139. editum, Clerici ab omni violenta percussione, aut alia gravi, & injuriosa læsione immunes pronunciantur, statuta pœna Excommunicationis in ejusmodi temeratores, ipso facto incurrenda. Tenor hujus Canonis sic se habet: *Si quis suadente diabolo hujus sacrilegii reatum incurrerit, quod in Clericam, vel Monachum violentas manus injecerit, anathematis vinculo subjaceat, & nullus Episcoporum illum præsumat absolvere, nisi mortis urgente periculo, donec Apostolico conspectui presentetur, & ejus mandatum suscipiat.* Occasionem huic Canoni condendo dedisse circumstantias illorum temporum scribit *Vanspen Comment. ad II. Part. Decret. Grat. ad b. l.* dum scilicet *rei* ad Ecclesias, tanquam ad asylum confugientes, sæpius à dominis suis per vim, & armata manu fuerunt abstracti, non sine cæde etiam Clericorum, & Sacerdotum, ut patet *ex l. 4. C. de bis, qui ad Eccles.*

Hoc privilegio gaudent omnes Clerici, & Religiosi, & quidem I. etiam illi Clerici, qui, quod habitum, & Tonsuram ex præscripto *Concil. Trid.* non gestaverint, privati sunt privilegio *fori*, cum enim istæ privationes sint pœnales, & Concilium tantum loquatur de *fori* privilegio amittendo, ideo ad privilegium *Canonis* extendi non debent. *V. Bordon. cap. 21. sect. 1. ubi n. 11. & seq.* contrariis satisfacit. II. Etiam Clerici censura aliqua irretiti, quia manent adhuc veri Clerici, item *Irregulares, Depositi*, imo etiam *Heretici* quousque degradentur, quia hæc privationis

pœna nullibi legitur expressa. Amittunt econtra hoc privilegium Canonis I. Clerici Bigami. *cap. un. de Bigam. in 6.* II. Enormibus criminibus se coinquinantes, supposito tamen, quod ea, dimisso habitu perpetraverint, nec moniti ad frugem redierint. *cap. 14. § 23. cap. 25. § 45. de Sent. Excomm. cap. 27. de Privil.* III. Clerici joculariores, Buffones, Goliardi *cap. un. b. t. in 6.* IV. Clerici arma prohibita post trinam monitionem non deponentes. *cap. 25. de Sent. Excomm.*

54 Quo ad Religiosos gaudent privilegio *anonis*, non tantum regulam expressè professi, sed etiam Novitii *cap. 21. §. quamvis de Sent. Excomm. in 6.* *Donati*, & *Oblati*, tametsi nunquam ad professionem Religionis admittantur, quia sunt veræ personæ Ecclesiasticæ, ad cultum Divinum deputatæ. Item Clerici, aut Laici *bigami*, intrantes Religionem, quia *cap. un. de Bigam. in 6.* tantum loquitur de Clericis in statu seculari existentibus. Insuper hoc privilegio non exuuntur Religiosi apostatæ, aut à Religione ejecti, quia adhuc manent sub jugo regulæ, nec ullibi legitur hæc pœna privationis in ipsos statuta. Num invalidè professus gaudeat privilegio Canonis? Affirmativè resolvit Bordon. *cit. cap. n. 51. ex ratione*, quod etiam talis habitum Religionis autoritate publica assumpserit, ob cuius honorem privilegium *Canonis* videtur esse concessum. Quæ contra opponuntur à Sanchez, Bonacina, & aliis, ibidem vide. Denique etiam privilegio *Canonis* gaudent omnes Religiosi *ordinum militarium*, professi, & Novitii, ex eadem ratione, quam supra de Religiosis aliis dedimus; item Eremitæ,

& Tertiarii juxta explicationem in §. 1. datam.

Hæc de privilegio *Canonis*, prout illud tanquam *Clericis*, & *Religiosis* favorabile est. Jam etiam illud expendendum est, in quantum contravenientes pœna Excommunicationis plectit. Potest autem desuper duplex quæstio institui. I. Quinam in pœnam dicti Canonis incidant, & qui non? II. Quis ab incurfa Excommunicatione hujus privilegii violatores absolvere valeat? Utraque quæstio per distinctos casus resolvenda est. Prius tamen notare 55 oportet, quod pœna Excommunicationis non ob quamcunque compulsionem injuriosam incuratur, sed quæ fit *permanuum injectionem*, adeoque non sufficit, Clericum per *metum* fuisse compulsam, aliquid facere, sed debet accedere *lesio corporalis*, quæ fit per contactum *realem*, & *physicum*. Nam verba *cit. cap. si quis suadente*, ibi: *violentas manus injecerit* (cum Canon hic sit pœnalis) non possunt impropriari, sed debent in suo significato stricte tali accipi, per vulgatos juris aphorismos, quod lex odiosa, & pœnalis non sit extendenda ad casum, quem propria verborum significatio non comprehendit, Barbof. *axiomat. 221. n. 4.* Unde ulterius notandum est, quod ad hoc, ut violenta manuum injectio in Clericum, *suadente diabolo* facta, violatorem excommunicationi subjiciat, tres concurrere debeant conditiones I. est, ut manuum injectio facta sit cum læsione corporali, & simul violenta: aut cum læsione sine violentia, aut cum violentia sine læsione. Primus modus castigatur in dicto Canone *si quis suadente*. Secundus modus punitur Excommunicatione *ferenda sententia*

tie in cap. 36. de sent. Excommun. Tertius demum modus eadem censura vindicatur in *cap. 29. d. t.* Videatur Barbosa *J. E. V. lib. 1. cap. 39. §. 1. n. 15.* & pluribus *seq.* ubi hanc doctrinam per casus particulares declarat. Hoc prænotato

56 Respondeo ad Quæstionem I. & dico, excommunicationem dicti Canonis: si quis suadente incurrere omnes utriusque sexus personas, violentas manus in Clericam injicientes, modo tamen baptizati sint, quoniam hæc pœna Ecclesiastica est, afficiens solos Baptizatos: & ideo Judæus percutiens Clericum non incidit in excommunicationem Canonis. Nec interest, an per se, num per alium injuriosè lædant Clericum, & ideo hanc pœnam non effugit mandans per *cap. 6. §. illi verò de Sentent. excommun.* nisi mandatum ante percussio- nem revocaverit, ac mandatarium prohibuerit illud exequi, ut eum excusat Suarez de Censur. *sect. 1. n. 55.* Similiter non effugit consulens, aut consentiens, secuto effectu per *cap. 47. de Sent. Excom.* Neque ratum habens. *cap. 13. eod. in 6.* Neque etiam percussio- nem non impediens, si sit talis, qui tenetur eam ex officio impedire, quia non potest se hoc casu habere merè negativè, ut alia persona privata, consequenter præsumitur in eam consentire, prout colligitur ex *cit. cap. 47. de Sent. excommunic.* quin nec ille pœnam hanc evadit, qui se ipsum ex iræ, & impatientiæ vehementia graviter percutit, quamvis Barbosa *ad cit. cap. si quis suadente* conetur illum ab hac censura eximere, eò, quod textus loquatur de percussione facta à persona distincta, & privilegium hujus Canonis magis videatur esse lata in odium

percutientium, quam favorem status Clericalis: sed reverà finis hujus Canonis fuit, ut honori status Clericalis confuleretur, quem æquè dehonorat Clericus, seipsum verberando, atque si verbera ab alio sibi inferantur; unde consequitur, quod etiam percutiens Clericum consentientem excommunicationem incurrat per textum clarum in *cap. 36. de Sent. Excommunic.* Num vero percutiens violenter, & injuriosè corpus Clerici mortui, hac pœna percellatur? probabiliter in utramque partem disputatur. Tu consule Bordonum *cit. cap. 21. n. 88. & seqq.*

Vidimus, in quibus hæc pœna Canonis locum habeat; jam quoque inquirendum est, in quibus locum non habeat. Sunt autem plurimi casus excepti, quos recensent Bordonus *cit. cap. 21. sect. 4. per tot.* Barbof. *d. lib. 1. cap. 39. n. 55. & seqq.* Nobis singulos casus referre non vacat, sed, ut sciri possit, quinam ab hæc pœna eximii sint, sequentes tres Regulæ notandæ sunt I. Non incurrit is excommunicationem Canonis, cujus percussio non fuit mortaliter mala: quia excommunicatio, cum una sit ex gravissimis pœnis, debet proportionari culpæ, ut docent Covarruv. in *cap. Alma Mater part. 1. §. 9. num. 2.* Gratian. *discept. forens. cap. 559. num. 7.* Barbof. *d. cap. n. 26.* II. Qui laborat ignorantia juris, aut facti probabili, ut, si quis probabiliter ignoravit, hanc pœnam à Canone latam fuisse; quæ quidem ignorantia pro foro externo vix præsumitur, cum hæc censura hodie plerisque, etiam jurium ignaris nota sit. Sæpius tamen ignorantia facti aliquem excusare potest, ut, si Clericum, qui nec ex tonsura, nec ex habitu talis

apparet, putans esse laicum, verberet, aut, si noctu, ubi facile Clericus à Laico discerni nequit, percussio contingat. III. Si Clericus ob propriam culpam est exutus hoc privilegio, & Laicus justam causam percutiendi habeat. Placet has Regulas uno, alterave exemplo illustrare. Sic qui subito iræ motu Clericum fortè conviciantem percutit, aut si id faciat ad defensionem vitæ, vel honoris, vel facultatum suarum, & quidem in continenti, servat moderamine inculpatæ tutelæ, non incurrit excommunicationem. Ratio est, quod talis percussio vel non fiat deliberate; sed in motu *primo* primo, aut certè non *suadente diabolo*, sed ex justa causa defensionis; adeoque citra culpam gravem. Item, infantes, pueri nondum puberes, non incurrunt hanc excommunicationem, tum quod nondum habeant usum rationis satis expeditum, ad discernendam ætus malitiam; tum, quod ob ignorantiam *juris & facti*, quæ in ipsis permittitur, veniam mereantur. Denique, ut tertiæ quoque Regulæ subjungamus exemplum, is, qui percutit Clericum cum uxore, matre, sorore, aut filia propria turpiter agentem, pœnam *Canonis* non incurrit per *cap. 3. de Sent. excommun.* uti nec puella ad turpia sollicitata Clericum verberans, quia utroque casu Clericus se dicti *Canonis* privilegio indignum reddit, & is, qui turpiter agentem cum recensitis propinquis suis verberat, justo dolori suo indulget, & puella sollicitata, quod facit, jure defensionis facit.

58 Jam quod ipsam absolutionem ab Excommunicatione propter violentas manus in Clericum injectas incurfa conernit, statutum est in *d. cap. Si quis*

suadente, ut (excepto solo mortis articulo) nemo alius præter S. Pontificem eam impertiri valeat. Ubi tamen advertendum erit, an percussio fuerit *levis*, *mediocris*, aut *gravis & enormis*. Dicitur autem percussio, præcis aliis circumstantiis aggravantibus, illa *levis* secundum se, quæ quidem graviter peccaminosa est, hoc ipso, quod fulmine Excommunicationis percussatur, attamen statui Clericali non graviter probrosa esse videtur, ut si quis Clericum pugno, baculo, aut lapide taliter percutiat, ut maculam tamen nullam, aut cicatricem relinquat. *Mediocris* illa dicitur, quæ mediat inter levem, & atrocem, & tunc fieri censetur, quando maculam in corpore relinquit, aut sanguinis effusionem causet; ut si dentes excutiantur, capilli quasi manipulatim evellantur, aut sanguis ex naso v. g. inflicto verberare eliciatur. *Enormis* demum ex se talis illa audit, ubi membrum aliquod Clerici mutilatur, aut ita debilitatur, ut ad functiones suas inutile reddatur. Potest tamen contingere, ut percussio ex se *levis* ob circumstantiam loci, personæ, temporis, ac modi percussionis evadat *gravis*, & *enormis*. Sic si quis in Ecclesia Clericum percutiat, aut in foro publico, aut, si pugno leviter cædat Prælatum, Magistrum, Patrum &c. aut si percussorem comitetur grave scandalum &c. tali casu percussio ex se *levis*, evadit *gravis*. His prænotatis

Dico I. Cardinales legati à latere possunt absolvere ab Excommunicatione *Canonis* ob enormem percussorem contracta tam subditos intra provinciam suam existentes, quàm extraneos ad se venientes, hæcque potestate gaudent

dent à die, quo recedunt à curia, usque ad diem, quo rursus ad urbem regressi sunt. Textus sunt in *cap. 20. § 58. de Sent. Excomm. cap. 9. de Officio legat.* Ex quo ultimo textu desumitur argumentum à contrario, dum ibidem dicitur, quod *legati missi* tantum possint absolvere suos subditos, quamdiu sunt in provincia: ergò à contrario Cardinales legati etiam possunt absolvere non subditos, nec intra suam provinciam degentes, quia, ut ait Innocentius IV. in *cap. 1. de Offic. legat. in 6.* Cardinales legati, *sicut honoris prerogativa letantur, sic eos auctoritate fungi volumus ampliori.* Legatis Natis (nisi aliunde id ex speciali Apostolica sedis gratia ipsis indultum sit) hæc potestas nullo modo est concessa. Castropalao *disput. 3. de Censur. part. 23. §. 4.*

Dico II. Episcopi possunt absolvere ab hac censura propter levem, & modicam percussorem incursum indiscriminatim omnes. Est textus expressus in *cap. 17. de Sent. Excommunic.* Et quidem etiam per alium, quia hæc potestas competit eis jure ordinario. Quæ conclusio ampliatur, & ad læsionem quoque *mediocrem* extenditur, quia in *cap. 37. de Sent. Excomm.* tantum excipitur percussio *gravis, & enormis*: ergò subintrat regula, quod exceptio firmet regulam in casibus non exceptis. *cap. 6. C. 32. Q. 7. cap. 2. de Conjug. leprof. & passim alibi.* Et exemplum habemus in *cap. 9. de Vit. & Honest. Cleric.* ubi Clericos in communi viventes, & se mutuo cadentes, Episcopo licentia absolvendi legitur esse concessa.

Dico III. Episcopi à censura Excommunicationis ob læsionem *gravem* inflicta absolvant, etiam pro foro ex-

terno. I. Impuberes, mulieres, servos, filiosfamilias, & alias personas, quæ sui juris non sunt. *cap. 6. § ult. de Sent. Excomm.* II. Qui ex legitimo impedimento non possunt adire S. Pontificem, *cap. 11. de Sent. Excomm. cap. 58. eod.* Vide Bordonum *cit. cap. 21. n. 287. § seq.* Barbof. *cit. loc. n. 102. § n. seq.* Quæ absolutio in dictis casibus pro utroque foro procedit. Si tamen Excommunicatio incuratur ob percussorem, aut occisionem occultam, nec ad forum contentiosum deductam, possunt quidem Episcopi vigore Concilii Trid. *Sess. 24. de Reform. cap. 6.* ejusmodi percussores absolvere, sed pro foro conscientia tantum. Excipitur casus, quo percussio Clerici quidem est notoria, aut ad forum contentiosum jam deducta, ipse tamen percussor legitime impeditus est, quo minus Romam ire, & absolutionem à Papa impetrare valeat. Bordon. *cit. cap. n. 286.* Quomodo autem censeatur delictum ad forum contentiosum deductum, vide Barbof. in *Collect. ad Concil. Trid. Sess. 24. de Reform. cap. 6. n. 41.* & quos ibi refert.

Dico IV. Si Religiosi ejusdem monasterii incidant in pœnam *Canonis*, absolventur à Prælato suo proprio. *cap. 2. cap. 32. § 50. de Sent. Excomm.* nisi percussio atrox foret, quo casu absolutio pertinet ad S. Pontificem *cc. ff.* Quod si verò Religiosi fuerint diversi monasterii, Religiosus percutiens absolvitur quidem à proprio suo Prælato, præsentem tamen Prælato ipsius percussi, qui injuriam remittat, ac pœnam pro satisfactione definiat, ut colligitur ex *cit. cap. 32. §. Si verò claustralis &c.* Quod si demum Religiosus percutiat Clericum,

cum, ab Episcopo percussi poterit absolvi, si percussio levis, aut mediocris duntaxat fuerit; *cap. 21. de Sent. Excomm. in 6. secus, si enormis, ubi S. Pontifex adiri debet. cap. 32. de Sent. Excomm.* Bordonus tamen docet, posse Prælatum ipsius percussoris proprium in omnibus prædictis casibus solum absolvere, nec opus esse recursum vel ad S. Pontificem, vel ad Episcopum. Probat hoc per Bullam Clementis VIII. quæ incipit: *Santissimus &c.* Vide laudatum Doctorem *cit. cap. 21. n. 327. § seq.* Hæc de privilegio Canonis.

59 Ut etiam aliquid dicamus de probatione Clericatus, sciendum est, quod aliquando minus plena probatio sufficiat, nonnunquam etiam plena, & exacta desideretur, & quidem iis casibus, ubi agitur de conferendo beneficio, aut SS. Ordinibus, propter magnum præjudicium, quod hic vertitur. Potest autem plena, & exacta probatio Clericatus fieri per *formatam*, ut vocant, sive per Litteras authenticas ipsius Episcopi, testificantis, à se huic Clerico SS. Ordines collatos fuisse. Idque probatur ex *l. 22. C. de Episcop. & Cleric.* ubi dicitur, quod, qui talibus litteris non est munitus, pro Clerico non habeatur. Secundò potest etiam plena probatio fieri ex testimonio duorum, aut trium testium, qui deponunt, hujus Clerici Ordinationi se interfuisse. Quæ probatio, si litteræ *formatæ* sint amissæ, locum habet. *cap. 2. § 3. de Cleric. peregr.* Probatio minus plena variis modis fieri potest. I. Ex diuturna possessione, si constet, talem semper pro Clerico habitum, Missas publicè celebrasse, aut aliis Officiis spiritualibus in beneficio *deservisse.* Et hæc probatio quidem

non sufficit, ut beneficium, si fors lis desuper mota fuisset, eidem adjudicetur, in tantum tamen ei proficit, ut in possessione beneficii interim manuteneatur, possitque ad functiones Clericales admitti. Mascard. *de Probat. conclus. 304. à n. 18.* Menoch. *lib. 6. præsumpt. 76. num. 25.* II. Per famam, & existimationem publicam, aliisque adminiculantibus indiciis, quæ singula, quantam vim probandi habeant, prudentis judicis arbitrio expendendum relinquitur. Mascard. *Conclus. 105. n. 7. § 11.* III. Ex deportatione habitus, & Tonsura, sed hæc probatio duntaxat ad declinandum forum laicale proficit, ut scilicet, qui in veste laicali deprehenditur, à Curia sæculari detineri nequeat, sed ad forum Ecclesiasticum remittendus sit, ubi dein Clericatus quæstio ventilari debet, ita decedente Bonifacio VIII. in *cap. 12. de Sent. Excomm. in 6.* IV. Probatur etiam Clericatus in defectum aliarum probationum per juramentum, supposito, quod de nullius alterius præjudicio agatur. Magnif. P. König *h. tit. num. 10.* V. Confessione partis adversæ, si adversarium suum de beneficio secum collitigantem Clericum esse asserat, quæ ipsa tamen confessio tanti roboris non est, ut adversarius in *petitorio* obtineat, eique beneficium adjudicetur, cum de Titulo Canonice institutionis ex hac sola confessione sufficienter non constet, juvabit tamen in *possessorio*, ut interim in possessione beneficii relinquatur, & contenti silentium imponatur; nam in *judicio possessorio* tam exactæ probationes non desiderantur, sed leviores admittuntur. P. Wiestner *h. t. n. 12.*

Denique notanda est doctrina Card.

I ;

de

de Luca in *Annotat. ad Concil. Trident. discurs. 24. num. 48.* quod in iis casibus, ubi agitur de præjudicio totius status Clericalis, atque immunitatis Ecclesiasticæ, plena probatio non desideretur, bene vero, ubi agitur de commodo ipsius Clerici quæstionati.

60 Quæstio jam connexa resolvenda est: quis nempe sit iudex competens, si probatio Clericatus fieri debeat? Hæc quæstio jam decisa fuit à Bonifacio VIII. in *cap. 12. de Sent. Excom. in 6.* ubi Pontifex iudicem duntaxat Ecclesiasticum competentem agnoscit, & ad eum cognitionem status Clericalis *privativè* spectare asserit. Subinde, si Clericus malefactor in habitu Clericali à iudice Laico capiatur, mox ad iudicem Ecclesiasticum deducendus est. per *cit. cap. 9. hoc idem est*

consendum, quia talis, cum existat in possessione Clericatus, iudicis Laici jurisdictioni non subiacet. Quodsi verò dubium sit, an sit Clericus, fortè, quod non appareat, habere omnes conditiones à Concilio Tridentino *Seff. 23. de Reform. cap. 6.* præscriptas, tunc quidem iudex Laicus non statim tenetur remittere Curia Ecclesiasticæ, quia, ut ait P. Reiffenstuel ad *tit. de foro compet. §. 10. num. 276.* stante illo dubio, iudex sæcularis est in possessione malefactoris capti, quâ ob nudam assertionem Clerici spoliari non debet. Interim cognoscere de Clericatu debet iudex Ecclesiasticus, vocato tamen iudice illo sæculari, omnibusque, quorum interest per *d. cap. 12. §. fin.* Vid. P. Reiffenstuel *cit. §. à n. 274.* P. König *b. t. n. 11.*

TITULUS II.

De Cohabitatione Clericorum, & Mulierum.

Quoniam nihil magis vitæ Clericalis honestatem dehonore stare potest, quam incauta cum mulieribus conversatio, juxta illud *Eccles. cap. 42. v. 13. In medio mulierum noli commorari; de vestimentis enim procedit tineæ, & à muliere iniquitas viri.* Et rursus *cap. 19. v. 2. Vinum, & mulieres apostatate faciunt sapientes,* ideò præcedenti Titulo, in quo actum est *de vita, & honestate Clericorum,* recto ordine subjungitur præsens rubrica *de cohabitatione Clericorum, & mulierum.* De duobus autem hic potissimum agitur: de cohabitatione & conversatione mulierum, ut illa Clericis per SS. Canones vetita est; & de poenis, quibus incontinentia Clericorum castigatur. Sit igitur

§. I.

§. I.

An, & qualiter Clericis permissum sit, habitare, vel conversari cum mulieribus?

SUMMARI A.

1. Jure antiquo Clericis non nisi cum mulieribus proxima necessitudine conjunctis sub eodem tecto morari fas erat. 2. Afferuntur in hanc rem duorum SS. Patrum Sententia. 3. Quomodo consuetudo, quæ hodie extraneas quoque feminas ad ædes Clerici admittit, ab iniquitate defendi possit? 4. Quam cauti debeant esse Clerici in conversatione cum altero sexu.

1 **A**D hoc quæsitum aliter respondendum est secundum antiquos Canones, aliter secundum morem hodiernum, & consuetudinem. De rigore antiquorum Canonum, quos Gratianus collegit in 1. parte sui Decreti. dist. 81. Clericis non nisi cum matre, & sorore (idque cum magna sollicitudine cap. 21. d. dist. 81.) avia, matertera, amita, aliisque ad 2. usque gradum conjunctis. cap. 27. d. dist. 81. in quibus naturale sœdus (ut loquitur Innocentius III. in cap. 9. b.t.) nihil permittit sevi criminis suspicari, habitare licebat, minimè verò cum extraneis, quas Græci Agapetas vocabant. cap. 27. dist. 81. aut etiam consanguineis, in quibus suspicio potest esse, quia instigante diabolo (sunt verba Concil. Mogunt. in cap. 1. b.t.) & in illis scelus perpetratum reperitur, aut etiam in pedissequis earum. Hinc Gregorius relatus in cap. 25. d. dist. 81. ait: Legitur, quod B. Augustinus nec cum sorore habitare consenserit, dicens: quæ cum sorore mea sunt, sorores meæ non sunt. Docti ergo viri cautela, magna nobis debet esse instructio. Notentur etiam verba S. Bernardi Serm. 65. in Cant. sic inquit: Cum femina semper esse, & non cognoscere feminam, nonne plus est, quam

mortuos suscitare? Quod minus est, non potes, & quod majus est, vis, credam tibi? Quotidie latus tuum ad latus juvencule est in mensa. Lectus tuus ad lectum ejus in Camera. Oculi tui ad illius oculos in colloquio, manus tuæ ad manus ejus in opere, & continens vis putari? Legatur etiam Thomassinus Vet. & Nov. discipl. Eccles. part. 1. lib. 2. cap. 61. ubi variorum Conciliorum Canones in hanc rem accumulatur.

Hodie tamen passim cernimus, feminas etiam extraneas pro administranda œconomia assumi à Clericis, & maximè Parochis coquas, & ancillas citra scrupulum, deservire, quæ consuetudo, nè potius corruptelæ nomen mereatur, & peccandi occasionem præbeat, in tantum limitanda videtur, ut, si rationabilis suspicio in aliquam mulierem, Clericis cohabitantem, cadere possit, fortè propter formam, juventutem, levitatem, procacitatem &c. omnino eam amovere debeant, tum propter proprium peccandi periculum, tum propter scandalum, & peccatum alienum, ne scilicet oves sibi commissas, quas verbo pascere, & opere ædificare obligantur, pravo exemplo suo potius ad peccata inducant, juxta illud D.

Gre-

Gregorii: *Cum pastor per abrupta graditur, consequens est, ut grex in precipitium feratur.*

Hinc nec illa *cap. 20. § 26. saepe allegat. dist. 81.* monitio tanquam antiquata contemenda est, qua Clericus domos foeminarum, locis aut temporibus suspectis accedere prohibetur, ne quidem sub religionis, aut charitatis praetextu, visitando forte agrum, nisi assumpto socio. *d. cap. 26. § 32.* Imò in *cap. 2. b. t.* Eugenius Papa decrevit, quòd Clericus ob nimiam familiaritatem cum foemina suspectus, si tertio

monitus, adhuc cum ea conversari, & fabulari inveniatur, excommunicationi subdi, ipsa verò foemina canonicè judicari debeat, propter contumaciam videlicet, ac vehementem inordinati amoris praesumptionem. Specialiter etiam in *cap. 1. b. t.* prohibentur foeminae ad altare accedere, aut Presbytero ministrare, aut intra cancellos stare, sive federe, quia talia munia per foeminas obire, ut ait Soter. Papa in *cap. 25. dist. 23. reprehensione plenum esse, & vituperatione nulli rectè sapientum dubium est.*

§. II.

Quae poenae in Clericos concubinarios, & fornicarios Statutae sint?

S U M M A R I A.

6. *Quaedam quaestiones preliminares de Concubinato enumerantur.* 6. *Quid concubinitus de jure Romano?* 7. *Erat frequentissimus in veteri testamento, adveniente tempore gratiae extinctus, sed Christianorum vitio rursus receptus.* 8. *Explicantur aliqua loca, quae videntur concubinitatum approbare.* 9. *Concubinitus, utut jure civili antiquo fuerit permissus ex causis probatis, nunquam tamen, matrimonio exaequatus.* 10. *Concubinitus etiam Clerum infecit, qui ferme usque ad tempora Concilii Tridentini non poterat penitus extinguere.* 11. *Boetius notatur.* 12. *Concubinitus jure Divino, naturali, & Ecclesiastico reprobatus, nec jure civili amplius permissus est.* 13. *Qui hodie Clerici dicantur concubinarii de jure Canonico?* 14. *§ 4. seqq. Enumerantur poenae Canonicae à Concilio Tridentino in concubinarios statuta.* 19. *Fructus ante sententiam declaratoriam non tenentur restituere.* 20. *Nec sunt ipso jure suspensi.* 21. *Nec in Divinis à fidelibus vitandi.* 22. *Quomodo puniendi Clerici fornicarii.* 23. *Clerici concubinarii ad abjurandas concubinas ab ordinario cogi non debent.*

Antequam de Clericorum concubinarios poenis agamus, juvat ipsius concubinitus indolem, compendiosa narratione describere, & quidem I. quomodo apud Romanos ob-

tinuerit? II. Quando, & qua ratione inter Christianos invaluerit? III. Quare jure Civili permissus fuerit? IV. Quomodo ad Clericos transiverit. V. Quibus mediis eidem à Conciliis,

&

& SS. Pontificibus obviatum fuerit? & quo effectu? VI. Quo jure concubinatus reprobus sit?

Concubinatus de jure Romano consistebat in eo, quod Patroni plerumque thori consortio sibi adjungerent libertas suas, aut etiam ingenuas vilioriduntaxat loco natas, non aliter tamen, quam testatione præcedente, hoc est, qua sibi invicem promittebant, quod sobolis procreandæ causâ coire vellent, talis *concubina*, non vero *uxor* dicebatur. *l. 3. C. de Concup.* Et quidem *uxoris* nomine ex hoc capite non insigniebatur, quod *sine solennibus nuptiis, & affectione maritali* à Patrono assumpta fuerit, apparuit tamen in concubinato similitudo quædam, & umbra matrimonii in eo, quod concubina, si se alteri prostituerebat, æque, ac *uxor* in legitimo matrimonio adulterii accusari poterat. *l. 13. princ. ff. ad leg. Jul. de adult.* Deinde, quod cœlibatus tantum inter solutos, & cœlibes locum habebat, nec, qui uxorem legitimam duxit, ea vivente, concubinam sibi adjungere permittebatur, ut constat ex *l. 121. §. 1. ff. de V. O.* Quæ tamen si à viro in conjugio constituto fuit assumpta, *pellex*, non *concubina* vocabatur. *l. 144. ff. de V. S.* Quamquam hodie hæc vocabula promiscuè sumantur. Item liberi ex concubina nati non erant *spurii*, sed *naturales*, extra patriam tamen potestatem constituti. Et demum concubinatus non minus solvi poterat, ac ipsum matrimonium, quod apud Romanos vinculum indissolubile non induxit. Hæc ex Gregorio Tholosano *Syntagm. Jur. lib. 10. cap. 1.* Et ex Bœhmero *ad b. t. §. 11. & seq.*

Antequam Evangelica veritas illucesceret, apud omnes fere nationes *concubinatus* erat frequentissimus prolis habendæ, vel explendæ libidinis causâ. Prout laudatus Gregor. Tholos. *cit. lib. 10. cap. 1. n. 11. & seqq.* pluribus variarum nationum exemplis confirmat; orta autem Ecclesia, & luce veritatis illucescente, ac Evangelio per orbem disseminato, concubinatus, pessimum Zizaniorum genus, evulsus, & suffocatus fuit. Verum refrigescente pedetentim fervore Christianorum primogenio, lilia hæc rursus succrescere cœperunt, & tam altas in animis fidelium, paganorum moribus admodum corruptis, radices egerunt, ut eas nec Patres suis decretis, nec Imperatores suis constitutionibus penitus evellere, & exterminare potuerint. Videatur Bœhmerus *ad b. t. §. 11. & 3. seqq.*

Nec quenquam offendat, si forte in S. Augustino *lib. de bono conjugali cap. 5.* legerit, quod concubinatus *non absurde possit vocari connubium*, aut, quod Concilium Toletanum I. concubinarios à S. Communionem arcere noluerit, aut, quod S. Isidorus (cujus verba Gratianus refert in *cap. 5. dist. 34.*) scripserit: *Christiano non dicam plurimas, sed nec duas simul habere licitum est, nisi unam tantum uxorem, aut loco UXORIS, si conjux deest, CONCUBINAM.* Non inquam hæc quemquam offendere debent, quasi Patres, & Concilia concubinatum, tanquam socialitatem licitam defendere voluissent; sciendum quippe est, concubinas olim duplicis fuisse generis: quasdam ad tempus adhibitæ, quarum concubitus semper turpis apud Christianos est habitus & lege

K

na-

naturali prohibitus. Alias fuisse concubinas, quæ pone iustar uxorum erant, hoc solo discrimine, quod illæ minus solenniter ductæ fuerint, sine instrumentis dotalibus, & cæteris, quæ leges tum Ecclesiasticæ, tum Civiles, ad hoc, ut aliqua fieret legitima uxor, postulabant. In his autem concubinis tria fuere necessaria I. ut uterque esset solutus. II. Ut mutuam sibi fidem darent, quod alteri nollent jungi, neque abhorrerent à procreatione liberorum. III. Quod usque ad mortem in ea vitæ conjunctione manendum sibi proponerent. Talis convictus poterat esse matrimonium clandestinum, quod eo tempore nondum erat irritatum. Et in hoc sensu intelligi debet S. Augustinus, quando scripsit, posse aliquo modo nuptias esse, & connubium. Cæterum ille talem concubinatum pro vero matrimonio absolute non habuit, sed tantum præsumptivè, ut patet ex ejus verbis *d. cap. 5. Adulteram quidem (inquit) fortassis facile appellare non audeam, non peccare tamen quis dixerit, cum eam viro, cujus uxor non est, misceri sciat?* Quod verò Concilium Toletanum Concubinariis usum S. Cœnæ permiserit, id non fecit, quasi concubinatum, tanquam rem honestam approbaret, sed ut cederet temporum illorum iniquitati, dum pauci reperiebantur, qui hoc crimine non sorderent. Unde S. Augustinus hujus disciplinæ testis *Serm. 2. in Dominicam 22. post Pentecosten*, dum concubinatus turpitudinem multis, iisque gravissimis verbis esset infectatus, subjunxit: *ideo tantum scelus a Sacerdotibus non vindicatur, quia à multis admittitur, si enim unum, aut duo, aut quatuor, aut quinque mala ista facere præjurerent, & poterant, & debebant non*

solum à Communione suspendi, sed etiam à convivio, & colloquio Christiani populi separari. Quod S. Isidorus attinet, ille dictis verbis, quibus asseruit, quod Christiano liceat habere unam uxorem, aut, ea deficiente, concubinam, non intellexit Christianum, qui secundum legem Evangelij vivit, & prout opponitur homini vitii immerito, sed locutus est de Christiano, ut opponitur *Judeo.* Etenim S. Isidorus *lib. de different. vet. & nov. Testam.* ex quo hunc locum Gratianus laudavit, omnes differentias recensens, quæ inter utrumque intercedunt, hanc unam inter alias retulit, quod judæis in lege veteri uxorum, & concubinarum esset permessa multitudo; Christianis autem in lege nova illicitum sit, etiam in foro exteriori, pluribus commisceri, vel uxoribus, vel concubinis. Non docet igitur S. Isidorus, licitum esse homini Christiano concubinatum jure cæli, ut S. Augustini verbis utar, sed jure fori in eo, quod una concubina sine pœna exteriori haberi possit, & non plures, ut in lege veteri, cujus ante meminerat. Vid. *Alexand. Natal. Hist. Eccles. tom. 3. sæcul. 1. dissert. 29. pag. 279.*

Concubinatum Jure Civili olim permillum, & extra pœnam fuisse, constat *ex l. 3. ff. de Concubin.* Ex ratione, ut malo hoc tolerato, majus pelleretur. Ut enim evitarentur aliorum adulteria, & plurium scortationes, Concubinatum tanquam malum minus in Republica permisit, & pœnam dissimulavit. Cæterum concubinatum, quomodocunque spectatum, matrimonio neutiquam exæquavit, sed eum viliori & depressiori loco semper habuit, nec jura uxoribus propria ad

con-

concubinas transferri voluit. Vid. Francisc. Mendoza lib. 2. ad Clementem VIII. pro confirmando Concilio Illiberitano ubi tredecim differentias inter uxores ex vero matrimonio tales, & concubinas ex veterum jurisconsultorum responsis, & Imperatorum constitutionibus recenset.

10 Denique Concubinatus turpitudinem etiam Clerum invasisse legimus, id quod Victor III. apud Mabillonium in *Actis Benedictinis sæcul. 4. part. 2. pag. 451.* His verbis dolenter exponit: *Itaque cum vulgus Clericorum per viam effrenatæ licentiæ, nemine prohibente, graderetur, cœperunt ipsi Presbyteri, ac Diaconi, qui tradita sibi Sacramenta Dominica mundo corde castoque corpore tractare debebant, laicorum more uxores ducere, susceptosque filios hæredes testamenti relinquere.* &c. Non poterat ab hac lue per plura sæcula purgari Clerus, ut ut SS. Pontifices omnem movissent lapidem, nec quidquam intentatum reliquissent, quo serpens, & altè radicatum hoc malum extirparetur. Plura in hunc finem habita Concilia tum particularia, tum œcumenica, gravissimæque in concubinarios Clericos pœnæ constitutæ, ut constat ex Concilio Sabin. cap. 8. Toletan. II. cap. 9. Concil. Lateran. III. in append. tit. de Cleric. conjug. cap. 7. & seqq. Concil. Oxoniens. cap. 27. & seq. Concil. Londin. II. cap. 17. Concil. Mogunt. IV. cap. 102. Et denique ex Concilio Tridentino Sess. 25. de reform. cap. 14. De quo plura inferius. Hodie (quæ DEI est benignitas) Concubinatus vitium in Clero penitus extinctum est, & si alicubi titiorem fortè adhuc fumantem, aut carbonem noxium sub cine-

re gliscentem deprehendas, non continuo flammam toti Clero minaces proclamam. Erunt in qualibet communitate peccantes, quamdiu in mundo homines. Ut duo quoque verba de Bœhm-^{II}mero faciam, illud consilium, quod pro reformando Clero Concubinatio suggerit §. ult. in fin. b. t. referre placeat. Scribit ibidem, quod SS. Pontifices facillè hoc vitium valuissent eradicare, si Clericis legitimas nuptias indulgissent. Erras Bœhmere, & vehementer erras. Vitia carnis non per indulgentiam carnis curare oportet, maxime in iis, qui non secundum carnem, sed Spiritu DEI vivere debent. Sed condonandum est tibi, qui carnalis homo cum sis, non percipis ea, quæ sunt Spiritus DEI.

Concubinatum utroque jure, tum ¹² Pontificio, tum Cæsareo damnatum esse, constat tum ex b. t. de cohabit. Cler. tum ex SS. Patrum gravissimis sententiis, quas prælaudatus Franc. Mendoza pag. cit. collectas exhibet, tum ex Nov. 91. Leonis, qua, quod Justinianus in l. ult. C. commun. de manumiss. male concessit, repressum fuit. Merentur verba dictæ Novellæ ex integro huc transcribi: *Neque minus ea lex (inquit Leo Imperator) quæ probrose cum concubinis immisceri non erubescitibus id permittendum judicavit, honestatem susque deque habuit. Ne ergo hoc legislatoris erratum dedecore nostram rempublicam afficere sinamus, itaque lex illa in æternum fileto. Ab illa enim non modo Religionis, verum nature injuria secundum Divina, Christiani que convenientia præcepta prohibemur. Et quidem, si, cum fontem habeas, sobrie inde haurire Divino præcepto moneris: qua ratione, cum puras aquas*

haurire liceat, lutum tu mavis? tum, tamen si fontem non habeas, rebus tamen vitis uti non potes. Ceterum vitæ consortem invenire, difficile non est. Denique Concubinatus etiam jure naturali, & Divino reprobatus existit, *Exod. 20. Deuter. 23.* & probat S. Thom. *part. 3. in Supplem. Q. 65. Art. 3. § 5.*

13 Ut porro ad Clericos concubinariorum, eorumque pœnas Canonicas deveniamus, notandum est, Clericos concubinariorum hodie dici, qui cum fœmina, quam vel domi suæ, vel etiam extra illam alibi instar uxoris retinent, assiduam consuetudinem habent, qualis fœmina, etiam *focaria* dicitur, à *foco*, quia prætextu ut plurimum artis coquinariæ, cujus principale instrumentum est focus, hujusmodi mulieres per illecebras, ut loquitur Baldus, ad instar *foci* animas denigrare solent. Lotter *de re benefic. lib. 3. Quest. 33. n. 137.* Clericos proinde atro hoc carbone notatos sequentibus pœnis subjicit Concil. Trid. (quod jus circa Clericos concubinariorum ex Bulla Pii V. edita 1566. potissimum attendi debet) *Sess. 25. de reform. cap. 14.*

14 I. Declarat ipsos tertia parte fructuum, proventuum, & obventionum suorum beneficiorum ipso facto esse privatos, eosque fructus fabricæ Ecclesiæ, aut alteri pio loco pro arbitrio Episcopi applicandos; modò tamen illi Clerici verè concubinarij sint, hoc est, consuetudinem cum muliere lasciva habeant, *cit. cap. 14.* & insuper, ut ab hac prava consuetudine desistant, præviè, & quidem specialiter admoniti fuerint, quia, ut notat Gallemart in *Declarat. ad cit. cap. Trid. n. 2.* generalis admonitio, quæ fortè in Synodo, aut per edi-

ctum Generale ad omnes Clericos facta est, non sufficit.

II. Quòd si in eodem delicto cum eadem, vel alia fœmina perseveraverint, nec secundæ quidem monitioni paruerint, non tantum fructus omnes ipso facto amittant, sed etiam à beneficiorum suorum administratione, prout Ordinarius, etiam tanquam Apostolicæ Sedis Legatus arbitrabitur, suspendi debent. *Trid. cit. loc.*

III. Quòd si nè sic quidem resipuerint, sed priorem continuant cum puellis consuetudinem, tunc beneficiis, pensionibus, & officiis quibuscunque Ecclesiasticis perpetuò priventur, ac indigni quibuscunque honoribus, dignitatibus, & officiis imposterum reddantur, donec post manifestam vitæ emendationem ab eorum superioribus cum iis ex causa visum fuerit dispensandum.

IV. Si, postquam eas semel dimiserunt, earum consortium iterum repetere, vel alias hujusmodi scandalosas mulieres sibi adjungere ausi fuerint, præter dictas pœnas excommunicationis etiam gladio feriantur. Nec quæcunque appellatio, aut exemptio prædictam executionem impediatur, aut suspendatur: cognitio tamen supradictorum non ad Archidiaconos, nec ad Decanos, aut alios inferiores, sed ad Episcopos ipsos pertineat, qui sine strepitu, & figura judicii, sola facti veritate inspecta, procedere possint.

V. Demum Clerici beneficia Ecclesiastica, aut pensiones non habentes, quibus privari possint, juxta delicti, & contumaciæ perseverantiam, & qualitatem ab ipso Episcopo carceris pœna, suspensione ab ordine, ac in-

inhabilitate ad beneficia obtinenda, aliisque modis juxta SS. Canones puniantur. Hæc Concil. Trid. cit. *Seff.*

19 Quæres I. An dictam privationis pœnam Clerici concubinarij taliter incurrant, ut fructus, etiam non expectata sententia declaratoria criminis, mox restituere teneantur? Resp. non teneri, ex principiis nostris in *lib. 1. Tit. 3. de constit.* jactis, ubi docuimus, leges pœnales, si temporales, & positivæ fuerint, non obligare ad subeundam pœnam ante sententiam declaratoriam criminis. arg. *cap. 15. de Hæret. in 6. & ratione ibidem adducta.*

20 Quæres II. An Clericus concubiniarius ipso jure incurrat suspensionem propriè dictam, quæ scilicet censura sit, & Clericum irregularem efficiat? Resp. cum Barbof. ad *cap. fin. h. t. n. 4.* & aliis ibidem cit. negativè. Probat. Nullus Canon assignari potest, qui hanc pœnam expressis verbis Clericis concubinariis irroget; ergo nec nostrum est, eandem irrogare: irregularitas enim, ut constat ex *cap. 18. de sentent. Excomm. in 6.* non nisi in casibus jure expressis inducitur. Antec. probatur. Si quis assignari posset, foret præcipuè *Canon. 6. dist. 32.* Ubi Alexander II. expressè Clerico concubinario notorio interdicit, *ut missas non cantet, nec Evangelium, aut Epistolam ad missam legat &c.* Quibus verbis Pontifex satis clarè videtur innuere, eundem ab officio suspensum esse *suspensione* strictè dicta, sed ex hoc textu intentum non eruitur. Ergo. min. probatur. *Li interdico*, non idem sonat, quod *suspensio*, sed prohibitionem duntaxat indicat, non censuram, maximè quod benignior in pœnalibus interpre-

tatio sit facienda per *cap. 45. de R. F. in 6.* Interim non diffiteor, Clericum talem quoad se esse suspensum, hoc est, propter peccatum mortale sine sacrilegio Missam celebrare non posse, non verò suspensum quo ad alios. Quæ suspensio strictè talis non est per *cap. 20. de V. S.* Accedit praxis, quæ constat, quod Clerici concubinarij, post peractam pœnitentiam, absolutionem super irregularitate petere non soleant, id quod tamen aliàs fieri deberet per *cap. 1. de rejud. in 6.* P. Wiestner *h. t. n. 13.* Reiffenstuel *eod. n. 41.* P. König *ibidem n. 10.* Qui cum aliis testantur, ejusmodi suspensionem ab Ecclesia non agnoscere.

Quæres III. An non saltem Clerici concubinarij in Missis, & Divinis officijs à reliquis fidelibus vitandi sint? Resp. sub distinctione: si delictum sit occultum, ut si Clericus concubinam clam tantum habeat, vel ita in statu fornicationis vivat occultè, ut evidenter convinci nequeat, vitandum non esse, per *cap. 7. & ult. h. t. fin.* verò concubinitus, vel fornicatio notoria sit, vel per propriam Clerici confessionem, vel per evidentiam rei, quæ tergiversatione aliqua celari non possit, ut si domus Parochialis quotannis nova prole augeatur, spectato jure antiquo, *cap. 5. & 6. dist. 32. & cap. fin. h. t.* expresso, omnino vitandum esse. Hodie autem post *Extravagantem Martini V.* quæ incipit: *ad evitanda scandala &c.* Possunt fideles ejusmodi Sacerdotum Missis, & aliis Divinis officiis interesse, tametsi fornicationis, aut concubinitus crimen notorium sit, modò ipsi delinquentes nominatim, & expressè excommunicati, suspensi, aut interdi-

cti, aut notorii Clerici percussores non fuerint, utpote quos casus solum in *d. Extrav. Pontifex exceptit.* P. Reiffenstuel *b. t. f. 1. n. 39.*

22 Qualiter puniendi sint Clerici simpliciter fornicantes, citra quod sint concubinarij? Fornicatio quippe per hoc differt à concubinato, quod dicitur esse lapsus carnis cum soluta, cum qua quis consuetudinem non habuit. Respondeo, varias jure tum antiquo, tum novo decretas esse pœnas, prout videre est in *Canon. 12. § 13. dist. 81. Can. 6. § 15. ead. dist. cap. 4. § 6. b. t. cap. 14. tit. preced. cap. 13. C. 17. Q. 4. Concil. Trid. Sess. 25. de Reform. cap. 14. f. Clerici autem.* Unde judicis arbitrio videtur esse relictum, ut is pensatis circumstantiis, putà, qualitate personæ, gravitate scandali, consuetudine patriæ, ac hujusmodi, fornicantes Clericos jam mitius, jam acerbius puniat, jam depositione, jam suspensione, jam privatione beneficii, jam incarceratione. P. Reiffenstuel *b. t. f. 2. n. 50.* ubi in fine monet, ut judex in coercitione hujus delicti in mitiorem semper declinet partem, quia pauci sine vitio incontinentiæ reperiuntur, ut inquit Gregorius in *cap. 16. dist. 50.* & quia melius est, redargui de misericordia, quàm de severitate, juxta mentem Chrysofomi in *cap. 12. C. 26. Q. 7.*

23 Illud fortassè adhuc quæres: An Clerici, qui concubinatus crimen amplius celare nequeunt, ab Ordinario ad abjurandas concubinas cogi possint? Respondeo nequaquam id fieri debere, sed potius ad abjiciendas ejusmodi pellices per censuras compellendos esse. Rationem reddit Alexander III. in *cap. 3. b. t. Ne in eandem fornicationem insinuetu*

diabolica fraudis redeuntes, perjurii reatum incurrant. Unde Navarus, Menochius, Tiraquellus, & alii, quos Barbosa ad *d. cap.* allegat, communiter docent, non esse deferendum juramentum alicui cum probabili periculo, & timore perjurii per *cap. 5. C. 22. Q. 5.* Sic in simili Justinianus in *l. 2. C. de Indict. viduit. toll.* prohibet mulieres abjurare secundas nuptias, ne, ut ibi loquitur, *ex necessitate legis, & Sacramento colorato perjurium committatur, & quia inhumanum est, per leges, quæ perjuriam puniunt, viam perjurii aperiri.*

Sic etiam Panormitanus ad *d. cap. 3. n. 2.* reprehendit morem quarundam Universitatum, quo studiosi tempore immatriculationis jurare debent de omnibus statutis observandis, quia per juramenta tam latè patentia probabili admodum perjurii periculo exponuntur, proinde in gravioribus, uti de *nihil machinando contra civitatem, vel Universitatem &c.* rectè quidem juramentum exigitur; quotidianis verò, & levioribus excessibus meliùs per statuta pœnalia occurritur.

Ergo (audio opponentem unum aliquem) si periculum committendi perjurii sufficiens causa est, ne alicui deferatur juramentum, malè factum est, quod in casu *cap. 2. qui Cleric. vel vov.* delatum sit juramentum Clerico, qui matrimonium de facto contraxit, ad abjurandam uxorem suam: item in *cap. 9. de Heret.* Hæretico ad abjurandam hæresin; cum utrobique periculum perjurii prudenter timeri potuerit. Respondeo resolutionem nostram eo casu procedere, quo aliud remedium æquè efficax adhiberi potest, quale remedium sunt censuræ Ecclesiasticæ, quibus

bus Clericus concubinarius ad relinquendam concubinam compelli potest. Quando verò alia remedia efficacia non suppetunt, ibi etiam juramentum deferri potest. *cap. 26. V. sic & juramentum.* Et ideò, cum in casu *cap. 2. qui Cleric. vel vov.* aliud remedium æquè opportunum non succurrerit, quippe, dum matrimonium, quod consensu contractum fuerat, dissensu distrahi debebat, & de hoc commodissimè per juramentum constare poterat (quia dissensus internus à nemine cognosci po-

test *cap. 11. dist. 32.*) meritò illud exactum fuit. Idem responderi potest ad *cap. 9. de Heret.* quamvis enim ad coërcendum crimen hæresis qua talis non deficerent alia etiam efficaciora remedia, ad excludendum tamen errorem intellectus, quem Hæreticus, vel de hæresi suspectus habuit, non apparet remedium opportunius, quàm abjuratio, qua hæresin, de præterito commissam, publicè, & solenniter detestatur, & in futurum fidelitatem promittit.

TITULUS III.

De Clericis Conjugatis.

Quia in Clericorum conversatione Cythara malè concordat cum Psalterio, ut loquitur Innocentius III. in *cap. 5. b. t.* nam, *qui cum uxore est* (ait Apostolus 1. Corinth. 2. *solicitus est, quæ sunt mundi, quomodo placeat uxori, & divisus est.* *Qui autem sine uxore est, sollicitus est, quæ sunt Domini, quomodo placeat DEO,* ideò cœlibatus, sive vita à conjugio libera, à Clericis exigitur. De hoc cœlibatu, cum annexis eidem obligationibus sub rubrica præsentis Tituli agitur.

§. I.

Quo jure cœlibatus sit introductus? Et quibus de Clero hæc lex imposita sit?

SUMMARIA.

1. Sunt, qui cœlibatum Clericis Jure Divino impositum esse asserant, quorum duo argumenta referuntur.
2. Attamen solo Jure Ecclesiastico id statutum fuisse, probatur.
3. Ratio hujus legis affertur.
4. Resolvuntur Argumenta AA.
5. Hac lege cœlibatus tenentur in Majoribus constituti.
6. Clerici in minoribus Matrimonium contrahentes beneficiis privantur.
7. Matrimonium cum una & Virgine contrahens, soluto per mortem Matrimonio licitè ad SS. Ordines promovetur.
8. Cie-

8. Clerici Minoristæ Matrimonium contrabentes beneficiis suis sunt ipso jure privati. 9. Satisfit Contrariis. 10. Possunt donata suis Ecclesiis rursus repetere. 11. Non tamen vacat beneficium Clerici ipso jure, si Matrimonium invalide fuerit Contractum. 12. An Episcopus cum Clerico in minoribus constituto in ordine ad beneficium dispensare possit? Resolvitur negativè. 13. An Clerici conjugati gaudeant Privilegiis Clericalibus? 14. In Criminalibus gaudent Privilegio fori, non etiam in Civilibus.

1 **N**on paucis, quos referunt Sal-
manticenses *Tract. 8. de Sacram.*
Ord. cap. 6. n. 9. visum est, cœli-
batum in Clericis fuisse *Jure Divino* in-
troducendum. Argumenta, quibus suam
suffulciunt opinionem, congesta exhi-
bet Clericatus *de Sacram. Ord. decis. 27. à*
num. 5. usque ad num. 14. Duo dunta-
taxat celebriora referre placet. I. Tex-
tum ex *Apocal. cap. 2. v. 14.* ubi Chri-
stus per Joannem inducitur, reprehenden-
dens Episcopum Pergami his verbis:
Quia habes illic tenentes doctrinam Ba-
laam, qui docebat, Balac mittere scanda-
lum coram filiis Israël, edere, & fornicari;
ita habes & tu tenentes doctrinam Nico-
laitarum, atqui doctrina Nicolai (qui
unus ex primis *7. Diaconis* erat) doce-
bat, sibi licere uxorem, ante ordinatio-
nem in Matrimonium ductam, retine-
re, & cum illa commercium habere: ut
sumitur ex *Clemente Alexandrino lib. 3.*
stromat. & ex *S. Epiphania Heres. 29.*
ergo cum Christus sequentes hanc do-
ctrinam Nicolai, in *d. text.* reprehend-
derit, sequitur, Matrimonium Clericis
in sacris constitutis *Jure Divino* esse in-
terdictum. II. Omnes Apostoli erant
Cœlibes, excepto S. Petro, qui juxta
S. Hieronymum lib. 1. contra Jovinian.
& *Tertull. lib. de Monagamia circ. med.*
solus ante conversionem uxorem ha-
buisset legitur. Unde sic licet inferre:
si Christus elegit Apostolos cœlibes,

quos dein consecravit Sacerdotes, se-
quitur in Ministros sacros, eorumque
Successores hanc cœlibatus obligatio-
nem ex *Jure Divino* dimanasse. His
tamen non obstantibus

2 Dico cœlibatum solo jure *Ecclesia-*
stico fuisse Clericis præceptum. Est
communior Theologorum, & Cano-
nistarum. *S. Thom. 22. Q. 88. Art. 11.*
C. Sanchez de Matrim. lib. 7. Disput. 27.
n. 5. *Fagnan. in cap. 3. n. 110. de Bap-*
tism. *Gonzalez ad cap. 3. h. t. num. 3.*
Clericat. d. decis. à n. 14. Probatur I.
Nullus scripturæ textus adduci potest,
in quo matrimonium Clericis prohi-
beatur, nec Canon alicujus Concilii,
aut constitutio Pontificis, quæ declaret,
cœlibatus obligationem esse *Juris Divi-*
ni, ergo juris duntaxat *Ecclesiastici* est.
II. Si esset *Juris Divini* cœlibatus ob-
ligatio, nullo unquam casu circa eun-
dem cum Clericis posset dispensari, at-
qui non desunt exempla, vetera in *cap. 6.*
h. t. cap. 1. dist. 31. c. 8. dist. 28. Et recentia,
quæ refert Eminent. Card. *Lauræa*
Disput. 5. de Sacram. Ord. n. 204. Ubi le-
gitur Pontifex ex justa causa cum Cle-
ricis in ordinibus sacris constitutis di-
spensasse, ut matrimonium inire, vel an-
tea contracto licite uti potuerit ergo &c.
III. Ab initio nascentis Ecclesiæ, & per
subsequentia sæcula varii conditi sunt
canones, prohibentes ministris sacris
matrimonia contrahere, vel antea con-
tra-

tractis uti, prout videre est in *cap. 1. § 8. dist. 27. cap. 8. § 9. dist. 28. Clem. Unio. de consang. & affinit. Extravagan- te Unio. de voto, & voti.* Ergo ab Eccle- sia inducta est obligatio continentiae, & castitatis. IV. Patet id ex verbis expressis Conc. Trid. *Sess. 24. de Matrim. Can. 9. Ibi: Si quis dixerit, Clericos in SS. Ordinibus constitutos vel regulares castita- tem solenniter professos, posse matrimonium contrahere, contractumque validum esse, non obstante lege ECCLESIASTICA, vel voto &c. anathema sit.*

3 Si quæras, cur Ecclesia coelibatum Clericis indixerit? non unam fuisse rati- onem respondeo, factum quippe hoc est, tum, ut cum majori puritate, & integritate cultus, & ministerium Do- mini peragatur, *cap. 3. § 5. h. t.* tum ut major Clericis apud populum ex coeli- be eorum vita reverentia conciliaretur. *Trid. Sess. 25. de reform. cap. 14.* Tum, quod indignum videatur, bona Eccle- siastica, quæ patrimonium Christi, & proprietas pauperum dicuntur in *cap. fin. C. 16. Q. 1. § cap. 16. de Prebend.* in uxores, & liberos profundi. Vide Bel- larm. *de Cleric. lib. 11. cap. 19. V. Proba- tur quinta ratione.*

4 Jam binis AA. argumentis respon- dendum est. Ad I. igitur dico, Chri- stum ideo reprehendisse Episcopum *Pergami*, quod quasi conniveret suo- rum sibi subjectorum luxuriæ, qui *Balaam*, fallacissimi arioli, consiliis in- ducti, ad instar *Nicolaitarum*, hæreti- corum, qui ventri, & veneri supra mo- dum indulgebant, ac promiscuum mu- lierum, etiam conjugatarum, usum li- citum esse contendebant, turpissimam hanc consuetudinem æmulati sunt, & hoc *Jure Divino* prohibitum esse, haud

inviti concedimus, ex quo tamen non sequitur, quod *Jure Divino* Sacerdoti- bus conjugium interdictum sit. Ad II. Respondeo, ex illo argumento, non plus probari, quam quod Apostoli summe congruum esse agnoverint, ut quia ipsos Christus numere Apostola- tus, & Sacerdotii dignatus est, pro- pter officii sanctitatem à conjugii ab- stinerent, quæ congruentia deinceps in legem transivit, non *Divinam*, sed *Apostolicam*, ab ipsis nempe Apostolis latam. Vid. Bellarm. *de Cleric. lib. 1. cap. 18.* Et Clericatum cit. *Decis. 27. de Sacram. Ord. n. 19.*

Dico II. Clericis in *Majoribus* or- 5 dinibus constitutis vetitum est matri- monium contrahere, ac consequenter lege coelibatus omnes teneri, sive *Græci*, sive *Latini* illi fuerint *cap. ult. dist. 27. cap. 1. § 11. dist. 32.* plurimos alios Canones in hanc rem collegit sæ- pe laudatus Clericatus cit. *decis. 27. a num. 22.*

Dico III. Clerici in *minoribus* con- 6 stituti, si matrimonium contraxerint, Ecclesiastica beneficia, si quæ antece- denter habuerint, amittunt. *cap. 1. 3. § 5. h. t.* Ratio est, quod benefi- cium detur propter officium, *cap. fin. de rescript. in 6.* Hoc autem ordinariè *SS. Ordines* requirit, vel saltem propositum illos aliquando suscipiendi, quod con- jugatis non convenit, propter votum continentiae *SS. Ordinibus* annexum. Hinc ex eodem capite in *cap. 2. h. t.* Clerici conjugati non tantum ad bene- ficia Ecclesiastica, sed etiam ad *SS. Ordines*, aut administrationes Eccle- siasticas admitti prohibentur, nisi (ut ibidem limitatur) fortè castitatem vo- veant perpetuam, & unam, eamque vir- 7 gi-

ginem habuissent uxorem, quæ juxta *cap. 5. de convers. conjugat.* non tantum in votum mariti consentiat, sed ipsa quoque aut Religionem ingrediat (si juvenis, & periculo incontinentiæ exposita fuerit) aut saltem votum perpetuæ continentiæ emittat. Aliàs autem conjugato nequidem prima tonsura conferri debet *cap. fin. de Tempor. Ord. in 6.* Et si defacto SS. Ordines susceperit, habitu, & dignitate Clericali privandus, atque ad uxorem redire compellendus est, quamvis matrimonium illud necdum consummaverit, quia hoc privilegium Professioni tantum Religiosæ datum est. *Extravag. Unic. de Voto & pluribus traditur in Tit. de Convers. conjugat.*

7 Dico IV. Matrimonium antecedenter cum una, eaque virgine contractum statui Clericali non repugnat, quominus matrimonii vinculo, per mortem uxoris dissoluto, Maritus ad SS. Ordines promoveri valeat. Ratio est, quod talis cœlibatum servare possit, ac præterea nullam labem, SS. Ordinum impedivam, contraxerit. Aliud esset, si viduam, vel ab alio corruptam, vel secundam uxorem duxisset; tunc enim SS. Ordinum susceptioni obstaret impedimentum *Bigamiæ*, de quo in *lib. 1. Tit. 21.* jam dictum est. Hæc circa materiam hujus Tituli certiora sunt. Nunc dubia quædam resolvenda restant.

8 Dubitabis I. An Clericus in *Minoribus* constitutus, si matrimonium contrahat, *ipso facto* beneficiis suis privatus sit, vel primum per sententiam judicis privari debeat? Pro posteriori facit I. quod pœnæ non obligent in conscientia ante sententiam judicis. II. Quod in *cap. 1. 3. & 5. b. t.* Clerici

conjugati beneficiis Ecclesiasticis per Episcopos privari debere dicantur, atque adeo ibidem supponitur, non esse *ipso jure* privatos. His tamen non obstantibus verius videtur, eos beneficiis Ecclesiasticis *ipso jure* privatos esse, ita, ut Canonicus v.g. deinceps nec redditus Canonicatus sui amplius percipere, nec, si Religionem ante consummatum matrimonium ingrederetur, aut uxor ante consummationem moreretur, ad Canonicatum redire, nec eundem in favorem alterius resignare posset. Ratio est, quod matrimonium & beneficium sunt duæ res incompatibiles *cap. 3. & 5. b. t.* consequenter uno electo, alteri hoc ipso renunciatum videtur per assumptionem status incompatibilis. *arg. cap. 9. C. 32. Q. 5. & cap. 3. de Renunt.* Censetur enim omnis beneficii collatio hanc conditionem subintellectam habere: si Clericus in eodem statu permanferit, adeoque deficiente conditione, sub qua beneficium collatum est, ipsum beneficium vacare necesse est. *cit. cap. 3. b. tit. & ita tenent Panormit. ad cap. 1. b. t. num. 14. Barbof. ibid. num. 2. Garzias de Benefic. part. 11. cap. 8. n. 1. Magnificus P. Schmier lib. 3. tractat. 1. part. 1. cap. 2. num. 52.*

Ad fundamenta in contrarium allata Respondeo, & quidem ad primum, negando suppositum, quod hæc privatio beneficiorum pœna sit, cum actus de jure permissus, scilicet matrimonii contractus, utique pœna dignus non sit, sed hanc privationem inducit ipsa status incompatibilitas. Ad secundum Respondeo, capitula illa intelligenda esse de privatione facti, vel possessionis, sive actuali expulsionem, quia Clerici officia inique detinebant. Non verò de pri-

vatione *juris*, sive *tituli*, quod vel maxime probatur ex *cap. 1. b. tit.* malè pro sententia contraria allegato, dum ibi dicitur, Episcopum Clericos conjugatos ad relinquenda officia compellere debere, quibus scilicet ipso facto jam privati erant, non vero nova sententia privatoria opus esse, ut benè advertit Glossa *ad cit. cap.*

- 10 Illud adhuc notandum ex *d. cap. 3. b. t.* quòd si Clerici aliqua Ecclesiis, quibus intitulati fuerant, de possessionibus, aut aliis bonis donasse noscuntur, ea sine contradictione recipere debeant, cum ab earundem Ecclesiarum ministerio, & officio fuerint sequestrati, non obstante, quòd aliàs donatio semel legitime facta non statim revocari possit. Ratio est, quod ejusmodi bona Ecclesiis fuerint collata sub conditione, & quasi accessorie ad ipsam personam, ut eousque ibidem durarent, quoad Clericus ibidem perseveraret, eo verò recedente, ipsius personam sequerentur. Glossa *ibid.* est autem noto notius, quod accessorium sequatur suum principale, & conditio suspendat actum. *cap. 42. de R. J. in 6. l. 213. ff. de V. S. Vivian. ad cit. cap. 3. b. t.*

- 11 Dubitabis II. An Clericus in minoribus constitutus etiam tunc amittat beneficia Ecclesiastica, si matrimonium, quod de facto contraxit, reapse invalidum fuit? Videtur affirmandum arg. *cap. 4. de Bigamis*, ubi is, qui mortua uxore ad SS. Ordines promotus, secundam de facto superinduxit, poenas *bigamie* incurrit, tametsi matrimonium secundum nullum, & invalidum fuerit, addita ratione: *Quod in matrimoniis contrahendis non juris effectus, sed*

animi destinatio attendatur. Ergo etiam ille Clericus privationem sui beneficii incurret, qui matrimonium contraxit, tametsi illud invalidum fuerit. Similis tenoris argumentum desumi potest ex *cap. 18. § 32. de præbend. in 6.* ubi dicitur, quod beneficiatus curatus, se intrudens in aliud beneficium curatum, etiam primo ipso jure privatur, licet adoptio secundi irrita fuerit, cum beneficium sine Canonica institutione obtineri non possit. Ergò à pari &c. quibus tamen non obstantibus

Dico, beneficia Clerici propter matrimonium invalidè contractum ipso jure non vacare, sed, si culpabiliter illud inire attentavit, potest in poenam delicti beneficio suo per sententiam judicis privari. Probatur ex *cap. 1. b. t.* ubi mandat Alexander III. Episcopis, ut Clericos, qui infra *Sub. Diaconatum*, adeoque in *Minoribus* constituti, uxores duxerunt, ad relinquenda sua beneficia, & retinendas uxores suas Ecclesiastica districtione compellant, quod utique de matrimonio *valido* intelligendum est. Ergò à contrario, ubi matrimonium non est validum, Clerici ad relinquenda sua beneficia compelli non debent. Casus enim capituli habet se per modum exceptionis, consequenter firmat regulam in casibus non exceptis. II. Si in thesi proposita ex parte Clerici induceretur privatio beneficii, tunc hæc vel contingeret ob tacitam renuntiationem, vel ob assumptionem status impossibilis, vel ob claram Juris dispositionem; atqui neutro modo hoc potest ostendi: ergò. Non primo modo, quia nec renuntiatio expressa tenet, nisi coram legitimo superiore facta fuerit

cap. 8. de Renunc. Ergò multò minus tacita, quæ certò majoris efficaciar esse nequit, quàm expressa. Non secundo modo, quia supposito matrimonio invalido non assumitur status incompossibilis, nec sola voluntas contrahendi sufficit, quia ex regula Juris *cap. 5 2. de R. J. in 6.* Non præstat impedimentum, quod de Jure non sortitur effectum, & quod nullum est, nullum potest producere effectum *l. 4. §. 6. ff. de re judic.* Non demum ob juris dispositionem, quæ nullibi apparet, sed potius contrarium ex *cit. cap. 1. h. t.* ostenditur.

Ad argumentum desumptum ex *cap. 4. de Bigam.* Hæc datur disparitas, quod privatio beneficii inducatur propter assumptionem status incompatibilis, Bigamia verò interpretativa propter attentatum iniquè matrimonium: justè ergo hic pœnam Bigamiæ patitur, quia peccavit, & alter beneficio privari non meretur, quia contrahendo matrimonium invalidè, statum incompatibilem non assumpsit. Nec ratio in *cit. cap. 1.* opposita officit, quod scilicet in matrimoniis contrahendis non Juris effectus, sed destinatio animi attendatur. Debet enim non generaliter, sed juxta subjectam materiam intelligi. Ne quid dicam, quòd illa dispositio *cit. cap. 4. de Bigamis* sit odiosa, adeoque etiam ex paritate rationis non extendenda. Ibi Gloss. *fin. ad cap. 1. h. t.* Garzias *cit. cap. 8. n. 17.* contra Abbatem in *cap. 1. h. t. n. 7.* aliosque plures.

12 Dubitabis III. An Episcopus cum Clerico conjugato, & in Minoribus constituto dispensare possit, ut obtineat beneficium sive curatum, sive simplex? Rationem dubitandi suggerit *cap. 12. de homicid.* Ubi dicitur, quòd

Episcopus possit dispensare cum homicida, & irregulari ad beneficium simplex, & cum deposito ab ordine, & officio *cap. 24. dist. 63.* Ergò etiam poterit dispensare cum Clerico conjugato, quia, cui plus licet, non debet negari minus. *l. 21. ff. de R. J.*

Attamen respondendum est, non posse Episcopum dispensare, eo ipso, quòd in *cap. 5. h. t.* Præcipiatur Episcopis, ut tales Clericos beneficiis privent, nisi fortè scienter ipsis beneficia contulerint: tunc enim per superiorem privandos esse decernit S. Pontifex, atqui, si Episcopus possit dispensare, tunc eo ipso, quòd scienter Clerico conjugato beneficium contulerit, censeretur dispensasse, & per consequens collatio firma foret, nec beneficio tali per superiorem privari deberet Clericus, quem privandum ibidem dicit S. Pontifex. Accedit quòd Episcopus extra casus à jure permisos in SS. Canonibus, ceu in legibus superioris, dispensare nequeat, consequenter nec cum Clericis conjugatis, qui in *cap. 1. §. 2. h. t.* dicuntur *beneficium Ecclesiastici incapaces.* Ita tenet Gloss. *fin. ad cap. 7. h. t.* Panorm. *ibid. n. 7.* Garz. *part. 3. de Benef. cap. 5. n. 41.*

Argumentum, quòd pro ratione dubitandi opponitur, nihil roboris habet, siquidem materia dispensationis una ex materiis exorbitantibus est, utpote in qua jus commune limitatur, & restringitur, adeoque à casibus permisis ad non permisos, tametsi illi majores sint, haudquaquam legalis est illatio per *cap. 28. de R. J. in 6.*

Qualiter autem Episcopus cum Clerico in majoribus constituto, & matrimonium de facto contrahente, post per-

peractam pœnitentiam, & vitam laudabiliter in continentia ductam dispensare possit, ut SS. Ordines denuò exercere, quin ad Sacerdotium quoque promoveri valeat, docetur in *cap. 4. b. t. & cap. 1. qui Clerici, & vovent. ubi interpretes.*

13 Dubitabis IV. An Clerici conjugati in minoribus constituti gaudeant privilegiis Clericalibus? ut huic dubio congrua detur resolutio, certa ab incertis separanda sunt.

Certum igitur est I. quod ejusmodi Clerici gaudeant privilegio Canonis ex *Cap. si quis suadente. C. 17. Q. 4.* Et fori in causis criminalibus, si I. cum una, & virgine contraxerint. (*Bigami enim omni privilegio Clericali exuti sunt cap. unic. de Bigam. in 6.*) 2. si habitum Clericalem, unà & Tonsuram deferant per *cap. un. b. t. in 6.* Tertiam conditionem addidit Concil. Trident. *Sess. 23. de reform. cap. 6. ut tales Clerici alicujus Ecclesie servitio, vel ministerio ab Episcopo deputati, eidem Ecclesie serviant, aut ministrent.*

Certum est II. Quod tales Clerici in rebus & bonis suis nullo gaudeant privilegio Clericali, ac proinde, sicut alii uxorati, teneantur Principibus secularibus præstare consuetas exactiones, tributa, & alia servitia. Ita *cit. cap. un. b. t. in 6.* Non tamen quo ad onera personalia, si illa sint fordida, & dignitate Clericali indigna, Card. de Luca in *annot. ad Concil. Trid. Discurs. 24. n. 44.* Ratio prioris est, quòd Clerici ducentes uxores se negotiis secularibus expressè immiscere videantur, eapropter privilegiis Clericalibus in rebus suis justè privantur. *Arg. cap.*

ult. de Vita & Honest. Cleric. Grannanietto ad cap. penult. b. t. n. 2.

Incertum autem & multum inter DD. controversum est, an privilegio exemptionis, sive fori Clerici conjugati æquè in causis civilibus gaudeant, veluti in criminalibus? Qui extensionem hujus privilegii propugnant, fundant se in illis verbis *cit. cap. un. b. t. in 6. trahi non posse neque criminaliter, aut civiliter ad judicium seculare.* Quasi sensus verborum hic esset, quòd neque in criminalibus causis, neque in civilibus ad judicium seculare trahi valeant. Verum hoc dubio non obstante, probabilius est, Clericos conjugatos hoc privilegio duntaxat in causis criminalibus criminaliter, aut civiliter intentatis gaudere. Quia *d. cap. un.* expressè de criminalibus causis loquitur. Et utique indecentius esse videtur, ut Clericus in causa criminali, in qua ad vindictam publicam agitur, foro seculari subiciatur, quam in causa civili, ubi tantum restitutio debiti imperatur, & ita sentiunt Panormit. in *cap. 7. b. t. n. 3.* Barbof. *ad cap. un. b. t. in 6. num. 8.* Grannanietto *ad cap. penult. b. t. n. 6.* cum quo ad rationem dubitandi respondeo, sensum illorum verborum esse hunc, quòd Clericus conjugatus in causa criminali judicium seculare subire non debeat, tametsi de crimine civiliter agatur, nè alias per unam viam concedatur judicibus, quod per aliam denegatur. Addit tamen Card. de Luca *ad cic. cap. 6. Concil. Trid. n. 44.* quòd quoad exemptionem fori in civilibus potius locorum consuetudini, receptæque observantiæ deferendum sit.

§. II.

Sententia Bœhmeri de Clericorum cœlibatu refertur.

S U M M A R I A.

15. Bœhmerus multa argumenta profert contra cœlibatum Clericorum. 16. Primum ex eo deducit, quod Apostoli conjugati, etiam post assumptum Apostolatam conjugii usum retinuerint. 17. Quæ propositio ex S. Augustino refellitur. 18. Alterum argumentum inde depromit, quod non legatur in SS. Bibliis, usum Matrimonii Clericis fuisse interdictum, ad quod respondetur. 19. Historia Paphnutii refertur & quare PP. Concilii Nicœni ad ejus instantiam noluerint Clericis conjugatis usum conjugii prohibere, ratio genuina redditur. 20. Cœlibatum Clericorum fluere ex traditione, ex Concilio Carthaginensi ostenditur. 21. Variis rationibus arcanis Gregorium VII. inductum fuisse, ut legem cœlibatus instauraret, quas examinamus. 22. Lutherus Matrimonii libertatem Clericis suo exemplo commendat. 23. Canonici Catholici in Ecclesiis mixtis constituti, an à Papa, vel à Principe dispensationem super ineundo Matrimonio petere debeant? Hæc quæstio resolvitur.

15 **M**ulta hic in favorem carnis, & eorum, qui secundum carnem ambulat, scripta reperio. Conjugii bonum Bœhmerus usque adeo extollit, ut pessimè factum fuisse asserat, quod Clerici per legem universalem ab eodem fuerint exclusi. Nobis tantum otii non est, ut singula excutiamus; unum tamen, alterumve frustum carnis ex hoc macello producemus; & ne suo fœtore cuiquam incommodet, torrebimus.

16 Primum argumentum, quo cœlibatus legem doceat fuisse irrationabiliter ab Ecclesia latam, defumit ab exemplo Apostolorum, quos præter Paulum, & Joannem, omnes in conjugio vixisse contendit, eumque, qui contrarium dicere aufit, palmaris calumniæ reum agit. §. 1. b. t. quo fidem conciliet mulierosæ huic assertioni, illum locum 1. Corinth. 9. v. 5. adducit: ubi ita Paulus: *Nunquid non habemus potestatem mulie-*

rem sororem circumducendi, sicut & ceteri Apostoli, & fratres Domini, & Cephas. Ex quibus verbis concludenter probari, autumat, Apostolos uxores habuisse, & secum duxisse, cum Evangelium prædicarent. Quapropter Tertullianum reprehendit, quod illa verba Pauli malè interpretatus fuerit, dicendo, per mulieres, quas secum duxerant Apostoli, non intelligi uxores, quibuscum ipsis conjugii consuetudo esset, sed intelligi simpliciter tales mulieres, quæ illis eodem instituto, quo & Dominum comitantes, ministrabant. Non consultum, inquit §. 2. fuisse, mulieres ministrantes circumducere, quod Apostolis facile in opprobrium vergere, & scandalum aliis præbere potuisset. Et quem, quæso, in finem ministrarum mulierum adhibuissent, quod ubique iis in promptu erat? nec Apostoli a deo mollior vivebant, ut bibendi, & manducandi gratia consortio mulierum ministrantium in itinere indiguissent. Ita factum, ut in

ab-

absurdam sæpè dilapsi sint Patres Sententiam, quo eque absurdam sententiam, præjudiciis suis inservientem defenderent. Eadem libertate carpit Leonem IX. quod hanc Tertulliani interpretationem approbet in cap. 11. dist. 31. & S. Hieronymum, quod lib. 1. contra Jovin. eandem sententiam tuitus sit. De priori sic scribit §. 3. Verba captat, & fingit Pontifex, uxores Apostolorum posthac FOCARIAS eorum factas fuisse, CULINÆ in posterum, non verò CONSUETUDINI CONFUGALI inserviisse.

17 Audiamus jam, quid de massa carnea Bœhmeriani hujus argumenti sentiat S. Augustinus. Hic ergo S. Doctor lib. de opere Monach. allegatum locum S. Pauli ita exponit: Ad hoc enim & fideles mulieres, habentes terrenam substantiam ibant cum eis, & ministrabant eis de substantia sua, ut nullius indigerent horum, quæ ad necessaria vitæ hujus pertinent. Quod beatus Paulus licere quidem sibi demonstrat, sicut & ceteri Apostoli faciebant, sed ea potestate se uti noluisse postea commemorat. Hoc quidam non intelligentes (uti Bœhmerus non intelligit) non SOROREM MULIEREM, cam ille diceret: NUNQUID NON HABEMUS POTESTATEM SOROREM MULIEREM CIRCUMDUCENDI, sed UXOREM interpretati sunt. Fefellit eos verbi græci ambiguitas, quod & uxor, & mulier eodem verbo græce dicitur. Quamquam hoc ita posuerit Apostolus (nota Bœhmere) ut falli non debuerint: quia neque MULIEREM tantummodo ait, sed SOROREM MULIEREM, neque DUCENDI, sed CIRCUMDUCENDI. Verum tamen alios interpretes non fefellit hæc ambiguitas, & MULIEREM, non uxorem interpretati sunt. Ulterius audia-

tur Augustinus: Quod quisquis putat, non potuisse ab Apostolis fieri, ut cum eis sanctæ conversationis mulieres circuitent, quacunque Evangelium prædicabant, ut eis de sua substantia ministrarent necessaria, Evangelium audiat (arrige aures Bœhmere) & cognoscat, quemadmodum hoc ipsius Domini exemplo faciebant. Dominus enim noster more misericordiæ suæ infirmioribus compatiens, cum ei possent Angeli ministrare, & loculos habebat, quo mitteretur pecunia, quæ conferbatur utique à bonis fidelibus eorum vitæ necessaria. - - - Et mulieres voluit, ut se ad preparanda, & ministranda necessaria sequerentur, ostendens, quid Evangelistis, & Ministris DEI tanquam militibus, à plebibus DEI, tanquam provincialibus deberetur; ut, si quis eo, quod sibi deberetur, uti nollet, sicut Paulus Apostolus noluit, amplius impenderet Ecclesiæ, non exigendo stipendium debitum, sed quotidianum victum de suis laboribus transigenda. Rursus de eodem argumento audiatur S. Augustinus eod. lib. Totum ipsum Epistola locum, ait, diligenter consideremus. NUNQUID (inquit Apostolus) NON HABEMUS LICENTIAM MANDUCANDI, ET BIBENDI? NUNQUID NON HABEMUS LICENTIAM SOROREM MULIEREM CIRCUMDUCENDI? Quam licentiam dixit, nisi quam Dominus dedit eis, quos ad prædicandum regnum cælorum misit, dicens: EA, QUÆ AB IPSIS SUNT, MANDUCATE, DIGNUS EST ENIM OPERARIUS MERCEDE SUA, & seipsum proponens ad ejusdem potestatis exemplum, cui fidelissimæ mulieres talia necessaria de suis facultatibus ministrabant? amplius autem fecit Apostolus Paulus, ut de Coapostolis suis

suis documentum adhiberet, hujus licentia à Domino permiffa. Neque enim reprehendens fubjecit, SICUT ET CÆTERI APOSTOLI, ET FRATRES DOMINI, ET CEPHAS: Sed ut hinc oftenderet, hoc fe accipere noliffè, quod ei licere accipere, caterorum etiam commilitonum ejus more probaretur. An adhuc Bœhmere reprehendes Tertullianum, Leonem, Hieronymum, ceu in quos verborum S. Pauli interpretes? aut credes fortaffis, litteratis & eruditis viris perfuafum iri, tuam de hoc loco Paulino fententiam fententiæ S. Auguftini potiorem effe?

18 Alterum argumentum, quod Bœhmerus profert ad cœlibatum Clericorum deftruendum, hac arundine nititur, quod non legamus in SS. Bibliis, utut Apoftolus magnificè pro continentia cœlibali in variis locis fuarum Epiftolarum peroraverit, vel à Chrifto Domino, vel ab Apoftolis Sacerdotibus hanc continentia legem fuiffe impofitam. Huic propofitioni non contradicimus: fed fcisne etiam caufam, cur continentiam, quam tantis encomiis Paulus commendavit, neophyto tamen Clero per modum legis imponere exprefse noluerit? Reddam rationem, aufcultata. Ea tempeftate, qua Ecclefia recens erat condita, & quali adhuc in cunis defitefcebat, non erat delectus hominum, ut optio daretur Apoftolis, quos velent, & aptiores cenferent, ad facra ministeria admovendi, fed, ut feribit Ferdinandus Mendoza lib. 2. ad Clementem VIII. pro Concil. Ilberit. confirm. quia alii etate, virtute, & prudentia præditi non erant, qui tanto officio fungi poffent, opus fuit, ex maritis Diaconos, Sacerdotes, & Epifcopos eligere, His ergo ufum conju-

giæ interdicere, & continentiam ex lege imperare ab initio confultum non erat. Sed continentia bonum exemplo fuo Apoftoli comendabant, quo factum eff, ut ultro ufui conjugali ejusmodi ad facra ministeria promoti nuncium mitterent, ita, ut quod lege fcripta id temporis præcipere non videbatur expedire, lege non fcripta five confuetudine obtinere cœperit. Maritos autem jam electos (rurfus laudati Mendoza verba admetior) à fufcipiendis liberis temperantia lege, & præclara Apoftolorum imitatione, & traditione femper abftiniffe in Ecclefia occidentali, Hieronymi, Epiphani, & aliorum auctoritate non ambigo. Sed quoniam (pergit citatus author) ex aliorum incontinentium, vel non continentium experimento agnoviffent poftea, multa redundare incommoda ex mutua illa conjugum charitate, dum recenti carnis voluptate refoluti, marcidique toti, ad tractandum, & confumandum immaculatum Corpus Chriftri accederent, & in medio forfan facrifitio fe occafio offerret cogitandi, quomodo uxoribus placere debuiffent? & illo finito, fatisficatas prius manus Chriftri corpore ftatim illas ad tractandam fceminarum turpitudinem turpius admoverent, Divino Spiritu afflati decreverunt, in totum prohibere, ut qui jam mariti, vel Epifcopi, vel Presbyteri, vel Diaconi, aut Subdiaconi ordinati fint, uxoris poft hac amplexus recufarent, congruentem fando ministerio, quod gerebant, mentis, & corporis integritatem fervantes. Ex his igitur caufis cœlibatus, five continentia Clericalis, qua ufus, & confuetudine cœpit, lege tandem poftiva tum à Conciliis, tum à SS. Pontificibus lata poft hac fervari præcepta eff, quorum fyllabum, citatus Mendoza ibidem re-

cenfet: & Bellarminus de membris Eccles. Milit. lib. 1. cap. 19. Unde prorsus inanis est strepitus Bœhmeri, dum scribit §. 5. b. t. Quia vero paulatim opinio de SACRIFICIO, quod Eucharistia inesse credebatur, invalescebat, & imprimis Seculo III. altas agebat radices, Presbyteris, & Episcopis Sacerdotium tribuendum erat, quo facto ex lege antiqua Mosaica abstinencia à conjugali consuetudine iis non tantum commendata, sed quasi imperata fuit, quod sapius Sacrificio huic vacare necesse haberent, & ita ex lege Sacerdotibus præscripta semper à copula carnali abstinere deberent. Sed mirandum non est, hæc scripsisse Bœhmerum, utpote quia de illa Ecclesia est, in qua nec Sacrificium reperitur, nec Sacerdos.

19 Tertium argumentum ad destruendam legem cœlibatus Clericalis petit Bœhmerus ex autoritate Paphnutii, superioris Thebaidis Episcopi, qui in Concilio Nicæno, teste Socrate, pro usu conjugii Clericis, qui ante susceptos SS. Ordines matrimonium contraxerunt, posthac permittendo, tam potenter, & efficaciter peroravit, ut Patres omnes in suam Sententiam pertraxerit, nec eorum quisquam ausus sit, legem continentia Clericis conjugatis præscribere. Historiam his verbis describit Socrates lib. 1. Histor. Eccles. cap. 8. Visum erat Episcopis legem novam in Ecclesiam introducere: ut, qui essent sacris initiati (sicut Episcopi, Presbyteri, & Diaconi) cum uxoribus, quas, cum erant Laici, in matrimonium duxissent, minimè dormirent. Et quoniam illis erat propositum, de hac re Consilium inire, in medio eorum confessu surrexit Paphnutius, ac vehementer vociferatus est, non grave jugum cervicibus illorum impo-

nendum esse, qui erant sacris initiati: honorabile esse conjugium inter omnes, & thorum immaculatum: videndum, ne nimis exquisita præscriptione Ecclesiam gravi incommodo afficerent. Omnes enim non posse ferre tam austeram disciplinam, tamque ab omni perturbatione animi vacuam: neque à singulorum uxoribus fortasse eam castimoniam normam posse servari. Viri autem cum uxore legitima concubitu, castimoniam appellavit: illud satis esse, ut, qui in Clerum ante adscripti erant, quam duxissent uxores, hi secundum veterem Ecclesie traditionem, deinceps à nuptiis se abstinere: non tamen quemquam ab illa, quam jam pridem, cum Laicus erat, uxorem duxisset, sejungi debere. Istam in Episcoporum Conventu Orationem habuit Paphnutius, cum ipse non modo nuptias non expertus esset, sed etiam (verè dixerim) mulierem non aliquando attigisset. - - - Itaque cum totus Episcoporum, Presbyterorum, & Diaconorum Conventus verbis Paphnutii assensisset, Controversia de hac re exorta, penitus sedata est, potestasque permissa cuique pro arbitratu ab uxoribus consuetudine abstinendi. Hanc historiam, quam similibus verbis narrat Sozomenus, compendiò etiam refert Gratianus cap. 12. dist. 31. ex quo perspicuum redditur, ait Bœhmerus, ad b. t. §. 6. jam traditionem eo tempore receptam fuisse, nè Sacerdotio affecti uxores ducerent, quam tamen extendendam non esse censuerunt Patres ad eum casum, si hi, qui in matrimonio degebant, ad Clericatum postea adsumerentur.

Verùm scio, non deesse Authores primæ notæ, qui Historiam hanc pro fabula habent, & Socratem, qui cum Novationis hæreticis, matrimonii usum

M

æque

æque Clericis, ac Laicis permissam esse contendentibus, faciebat, mendacii arguunt, inter quos est ipse Annalium Ecclesiasticorum parens *Card. Baronius*, & cum eo *Bellarminus*, & *Franc. Turrianus*. Thomassinus *vet. & nov. discipl. part. 1. lib. 2. cap. 60. §. 15.* historiam hanc quidem ex integro non inficiatur, de suo tamen quædam admiscuisse *Socratem* autumat. *Potuit enim in Ecclesia Orientali, ait, ea fuisse tempore Concilii Nicæni incontinentium Presbyterorum, Diaconorumque multitudo, ut sapientissimis Præsulibus satius visum fuerit, dissimulare immedicabile malum, quam ressecando exasperare.* Verum hæc Thomassini critica adeo vehementer turbavit *Bœhmeri* cerebrum, ut hanc ei mox dicam scriberet: *Levis, imo infrunita hæc Divinatio est, in solius Thomassini præoccupati cerebro nata est.* Ego cum *Ferdinando Mendoza lib. 2. ad Clementem VIII. de Confirm. Concil. Illiberit. cap. 66.* sic sentio, quod, quæ *Paphnutius* de bono conjugii, & ejus usu Clericis conjugatis permittendo, teste *Socrate*, in Concilio *Nicæno* exposuit, vera esse non diffitear, sed non juxta mentem, & sensum *Bœhmeri*, aliorumque novatorum. Erat quippe id temporis Monachus quidam, *Eustachius* vel ut alii, *Eustathius* nomine, ex post *Sebastæ* Episcopus, qui nuptias adeo execrabatur, ut nequidem in ædibus conjugatorum preces fieri permitteret, ac insuper benedictionem Presbyteri habentis uxorem, quam Laicus duxisset, tanquam scelus declinandam præceperit, propter quem, & alios con-similes errores deinceps *Gangris* in *Paphlagonia* coacto Concilio à Patribus Episcopatu motus, ejusque dogmata

anathemate confixa fuere, ut præter *Socratem*, ipsa Synodus *Gangrensis* docet ad Episcopos *Armenie* scribens, cujus verba legere est *tom. 2. Concil. edit. Venet. pag. 423. & seqq.* Quapropter *Paphnutius*, cui hæc erronea doctrina per *Eustathium* late disseminata satis cognita, & explorata erat, Divino potius spiritu afflatus, quam humano consilio innixus, castas nuptias esse dixit: „ ne, si forsân (sunt verba laudati Men- „ doza) in tanto Concilio, quantum „ erat *Nicænum*, nuptiæ Clericorum, „ quæ illi in statu Laicali inierant, re- „ jicerentur, rudes quidam, & impe- „ riti, nuptias ut quid turpe damnari „ falsò existimarent, altioresque radi- „ ces ageret excitata jam *Eustathii* Mo- „ nachi hæresis, ad quam confutandam „ necesse fuit illud Concilium *Gangren-* „ se convocari, cui *Osius Cordubensis*, „ paulò post *Nicænum*, interfuit. Ac- „ cessit altera ratio, qua motus *Paphnu-* „ tii Patribus Concilii author fuit, ut ne Clericis conjugatis, qui in statu adhuc laicali constituti, uxores duxerant, „ continentie legem imponerent, videlicet incontinentie periculum, cui non modo uxores, sed ipsi quoque mariti, præsertim juvenes, quos ea tempestate ob exiguum Catholicorum numerum Sacerdotio initiari Ecclesie necessitas postulabat, expositi erant, accedente insuper generali Orientis consuetudine, qua Clericis ea libertas permissa erat, ut usu conjugii, nisi ultro placuisset abstinere, fruerentur. Unde Patres Concilii *Nicæni*, *Paphnutii* rationibus persuasi, legem continentie, quam animo jam præconceperant, Clericis imponere nolebant, non quasi lex continentie & celibatus bonum non esset (id quod hæ-

hæretici ex hac Paphnutii historia extundere volunt) sed quod exigentibus sic illorum temporum circumstantiis, hominumque conditione, & genio efflagitante, ejusmodi legem dissimulare, aut suspendere melius esse videretur. Plura in hanc rem vide apud laudatum Mendoza *cit. loc.*

Bœhmerus tamen, alique *carnis* fautores nondum acquiescunt, sed Concilii *Gangrensis*, & *Ancyran* autoritate freti, nobis legem cælibatus quasi per sibi exprobrant. *Eccur*, inquit Bœhmerus *ad h. t. §. 6. in Concilio Gangrensi Can. 4. quod Gratianus cap. 15. dist. 28. refert, anathema iis impositum est, qui Presbyterum conjugatum ab oblationibus, seu Sacrificio excludere voluerunt? Quare patres Ancyran* Canon. 10. *Diaconis permiserunt uxores ducere ex Episcopi licentia? In promptu responsio est, & quidem ad Canonem IV. Concil. Gangrenf. qui sic interpretate Dionysio exiguo conceptus est: Quicumque discernit a Presbytero, qui uxorem habuit, quod non oporteat eo ministrante de oblatione percipere, anathema sit. Respondeo, ex hoc non sequi, quod Concilium hoc loco voluerit omnes Presbyteros uxorum vinculis esse ligatos, sed ut damnaret eorum errorem, qui cum Eustathio (de quo supra) ita horrebant nuptias, ut etiam Presbyteros, qui uxores habuerant, ferre non possent, quanquam, viventibus adhuc uxoribus, maritali consortio non cohabitarent. Ne quid dicam, quod hic Canon duntaxat loquatur de Presbytero, qui uxorem habuit, habentis actu uxorem nulla in eo mentio fit. Unde apparet crassa hujus Canonis in Bœhmero ignorantia vel potius im-*

prudens audacia, ut qui hunc Canonem, qui prorsus extra rhombum est, ad impugnandum Clericorum cælibatum adducere non erubuit. Vid. Bellarmin. *lib. 2. de Concil. cap. 8. & lib. de Cleric. cap. 21. ad object. 3.*

Canon X. Concilii Ancyran itidem nos non impugnat. Sic enim ex græco, *Dionysio exiguo* interprete, in latinum translatus est: *Diaconi, quicumque ordinantur, si in ipsa ordinatione protestati sunt, & dixerunt, velle se conjugio copulari, quia sic manere non possunt: hi, si postmodum uxores duxerint, in ministerio maneat, propterea, quod eis Episcopus licentiam dederit. Quicumque sanè tacuerint, & susceperint manus impositionem, professi continentiam (nota tacitam continentiam professionem in susceptione Diaconii) & postea nuptiis obligati sunt, à ministerio cessare debent.* Hic Canon, inquam, nos minimè impugnat, sed patenter ostendit, cælibatum ab ipsis Apostolis fuisse præprimis commendatum, & ab exordio nascentis Ecclesiæ Diaconos ad vitam cælibem ducendam fuisse inductos. Quod verò Patres hujus Concilii permiserint, ut Diaconi illi, qui, cum ordinarentur inviti, contestatique fuissent, se non posse continenter vivere, post sacrum *Diaconatus* ordinem susceptum uxores ducant, non aliter sanè concessum fuit, quàm quod à sacri muneris exercitio abstinentes, non amplius cum sacris ministris, sed cum populo extra cancellos læica communione communicarent. Vid. Baronium *ad Annum 314. num. 88. & ad Annum 85. num. 21. & Severinum Binnium in Not. ad d. Can.*

Bœhmerus, legem cælibatus etiam 20

ex hoc capite infirmari posse credidit, quod eam traditioni, & antiquissimæ, ipsisque Apostolis coævæ, observantia acceptam referamus. *Ab Apostolis* (ait §. 8. h. t.) certè derivari nequit, qui libertati matrimoniarum insidias non struebant, & hypothesin de Sacrificio Missæ ignorabant. Eapropter S. Epiphanium summa libertate carpit, quod is *heres. 59.* (quæ est catharorum) scribat, cælibatum ex *Canonibus Ecclesiasticis* Clericis imperatum fuisse. Sed hæc, inquit Boehmerus, ad somnia ejus referenda sunt, quibus scripta sua ubique infecit.

Ut protervia malevoli hujus scriptoris retundatur, & palam fiat, nec Epiphanium *Canones Ecclesiasticos* somniasse, nec nos vana, & lubrica traditione niti, *Concilium Carthaginense II.* appello, ubi Patres de antiquitate legis cælibatus *Canone II.* ita decreverunt: *Ita placuit, ut condecet Sacrosanctos antistites, & DEI Sacerdotes, nec non & levitas, vel qui Sacramentis Divinis inserviunt, continentes esse in omnibus, quo possint simpliciter, quod à DEO postulant, impetrare; ut, quod APOSTOLI DOCUERUNT, & ipsa SERVAVIT ANTIQUITAS, nos quoque custodiamus. Ab universis Episcopis dictum est: omnibus placet, ut Episcopi, Presbyteri, & Diaconi, vel qui Sacramenta contrectant, pudicitie custodes, etiam ab uxoribus se absineant. Ab omnibus dictum est: placet, ut in omnibus, & ab omnibus pudicitia custodiatur, qui Altari deserviunt.* Ad hunc quoque Canonem respexit Concilium Senonense in *Decretis fidei decret. 8.* dum eandem cælibatus legem contra Lutheranae factionis auctores de novo stabi-

livit, dicens: conjugii usus Clericis in *Majoribus ordinibus* constitutis tanquam *ab Apostolis interdictus* secundo *Carthaginensi Concilio* prohibetur. Quod si ergò Patres Concilii Carthaginensis (quod habitum fuit Anno Christi 390.) tam propinqui primis Ecclesiæ, & Apostolorum temporibus, cælibatum ab ipsis Apostolis commendatum, & ab omni retrò antiquitate observatum fuisse affirmarunt, qua fiducia Boehmerus scribere potuit, legem cælibatus infirma, & lubrica traditione niti? Quomodo S. Epiphanium, qui Patribus in Concilio Carthaginensi congregatis contemporaneus fuit, tam liberè carpere ausus fuit? Suntne hæc somnia?

Jam ad GREGORIUM VII. S. 21 Pontificem, Hæreticorum malleum, & libertatis Ecclesiasticæ acerrimum vindicem, ac defensorum imperterritum deveniamus. De hoc Sanctissimo Pontifice scribit Boehmerus *ad h. t. §. 11.* & seqq. quod is *conjugia Clericorum* prorsus eradicare, & legem *cælibatus* Clericis omni conatu obtrudere stuerit, cum omnibus retro sæculis matrimonia, utut à Papis, & Patribus iis frequenter contradicendum sit, Clericis eripi nequiverint. Qui mores hominis (scilicet Gregorii VII.) novit (sunt verba Boehmeri §. 12.) facile concedet, eam non studio *CASTITATIS* aut *CÆLIBATUS* amore, aut denique opinione *SACERDOTII, ET SACRIFICII, conjugium* respuentis, hoc opus, quod alii bona forsàn fide, magno tamen errore, instituerant, edificandum suscepisse, sed ex *CAUSIS MAXIME POLITICIS, statum hierarchie* apprimè stabilientibus. *Causas* verò *politicas* sequentes recenset. I. Quod

Quod honorum Ecclesiasticorum augmentationi, & conservationi lege cælibatus optimè prospectum iri videretur: ubi e contra, si Clericis matrimonia inire fas esset, bona ex redditibus Ecclesiæ compartâ, non ad Ecclesiam post eorum fata rursus redirent (id quod Patres tamen, & Concilia fieri decreverunt, ut prolixè ostendit Thomass. *Part. 3. lib. 2. cap. 39. & seqq.*) sed in conjuges, & liberos, quos à successione excludere, per leges integrum non erat, dilaberentur. Quapropter Maximilianus II. Imperator in *considerationibus super Matrim. Sacerd. PP. Concilii Trident. oblatis*, quæ referuntur à Goldasto *Tom. 2. Const. Imper. pag. 381. & seqq.* Hanc causam sequentibus verbis redarguit: *Nec satis firma eorum videretur esse ratio, qui propter conservanda bona Ecclesiastica cælibatum mordicus retinendum putant. Pensitandum enim est, an deceat Ecclesiam tanta animarum periclitatione conservandis bonis intendere, cum eorum indemnitati, & conservationi per solennes eorum bonorum descriptiones, & inventaria, aliisque id genus legitimis Canonisque cautionibus rectissimè provideri queat.* II. Gregorius VII. non alio fine cælibatus vincula Clericis injecisse, videtur, quàm ut eos obsequentiores, & addictiores Sedi Romanæ redderet, quorum certè obsequia tam prompta sperare non posset, si matrimonii libertas illis foret concessa, quippè, qui liberis abundantes, magis favori aulæ, & Principum sæcularium se accommodaturi essent, ut hoc pacto munera publica, aliave reipublicæ beneficia iisdem procurarent: atque hac ratione futurum esse suspicabatur, ut Clerici tandem pror-

fus ab obsequio Sedi Papali debito avocarentur, seseque planè Principum obsequiis totos addicerent.

Denique rationes illæ (ait Bœhmerus *§. 15. h. t.*) ferè hodie cessant, quæ olim cælibatum Clericorum commendârunt. Erant autem quatuor olim rationes, notante Gothofredo, ut lex cælibatus paulatim invalesceret. I. Quod tribus primis Ecclesiæ sæculis, furente Tyrannorum in Christianos gladio, expedire visum sit, habere in Clericatu cælibes potius, quam conjugatos teste Eusebio *hist. Eccles. l. 7. cap. 24.* nulla tamen lege posita. II. Quod plurimi id temporis ad Sacerdotium promoti, amore perfectionis conjugio sponte nuncium miserint. III. Quod multorum Patrum eâ erat Sententia, ut Cælibatum propter noviter inventam doctrinam de Sacerdotio, & Sacrificio, Clericis necessarium esse dicerent. IV. Quod eâ ætate plerumque tantùm Monachi ad Clericatum assumerentur, qui aliàs ex lege Religionis suæ cælibatum profitebantur. Atqui omnes recensitas rationes in hodierno Clero cessare, in confesso est. *Prima aded cessat, ait Bœhmerus, ut AUREUM SÆCULUM Clericorum esse crederes, si externum statum pacis, tranquillitatis, & dominatus eorum intueris.* Secunda itidem incognita est. *Persuasissimum enim habeo, pergit, vix centesimum matrimonio nuntium missurum fuisse, si in eorum, qui ad Clericatum promoventur, arbitrio libertas matrimonii constitueretur.* Tertia ratio, inquit, ad paucos applicari potest. Non ad Cænonicos, quorum, quanquam ingens hodie sit numerus, *rarius tamen ut plurimum Missas legunt, quin potius vicaria opera in plerisque e-*

utuntur, ut equo jure uxores alere possent, quo in V.T. Sacerdotes, qui ad quotidiana sacra non erant adstricti. Non etiam ad Episcopos, hæc ratio applicari potest, quin nec ad ipsum Pontificem, quia nec iste, nec illi rem Divinam quotidie amplius faciunt. Denique ultima ratio à praxi prorsus aliena est, inquit, *sum nix è Monachatu* quidam hodie ad officia Ecclesiastica, maximè majora, admittantur. Tandem adductis rationibus hoc Epiphonema subjungit: *Quàm pessimè itaque rei Ecclesiasticæ consulerint GREGORIUS VII.* Et qui eum secuti sunt, Pontifices, imprimis INNOCENTIUS III. ex adductis satis liquet, imo hoc ipsum ostendit, illis *SUPRE-
MAM LEGEM ECCLESIASTICAM* non fuisse salutem rei Christianæ, quam destruxerunt, sed Hierarchie Papalis conservationem.

Ad has Bœhmeri vanitates, & insanias falsas illud sapientis reponimus: *Malefacere qui vult, nusquam non causam invenit.* GREGORIUM VII. quod Bœhmerus tam liberè criminatur, & fugillet, nostris scandalo esse non debet. Fuit enim hic Sanctissimus Pontifex, qui luxuriæ latè grassanti fræna tam potenter injecit, ut eversum *Veneris* regnum jam lugeant hæretici, libertati carnis oppidò faventes. Lutherus de S. Gregorio nonnihil benignius sensisse videtur, dum hanc fabellam narrat in *Colloquiis Mensalibus pag. mibi 464.* Er, Doctor Martinus Luther, sagte einmal in einer Predig, daß er es gelesen hätte, daß St. Ulrich, etwann Bischoff zu Augspurg, in einen Send-Brieff schreibe, und klagte: als der Pabst Gregorius hätte den *Calibatam* aufrichten, und bestätti-

gen wollen, und man auch denen nicht die Ehe gestatten wollen, die da gefreyet hatten, ehe das *Decretum* Pabst Gregorii ware außgangen. Daß der Pabst hernach einen tieffen Teich zu Rom, so hart bey einen Nonnen-Closter gelegen war, hatte fischen wollen, und da das Wasser darauß abgelassen ware, da hatte man in selbigen Teiche bey 6000. Kinder-Köpf gefunden, die in den Teich geworffen, und erschafft waren, das seynd die Früchte des *Calibats*, und S. Ulrich schribte, daß der Pabst Gregorius vor diesen Spectacul sehr erschrocken seye, und hab das Gesatz vom *Calibatu* wider aufgehoben. Aber die andere Pabst, so dem Gregorio nachgefolget, die haben den *Calibatam* wider aufgerichtet. Fabellam istam mendacissimi hujus stentoris in hunc finem huc transcribere placuit, ut appareat infrunita hæreticorum malitia, qui, quod nec pueri somniarent, stultissimè comminiscuntur, & pro veritate credulæ plebi venditant.

Rationes illæ arcanae de conservandis bonis Ecclesiasticis, & continendo Clero in obsequio S. Sedis Gregorio VII. nec causa finalis, nec impulsiva fuere, ut cælibatus lege Clerum obligaret, quamvis earum aliqua ratio, maximè à PP. *Concilii Tridentini* habita fuerit, eo quidem ex capite, ne bona DEO semel dicata, ad quæ manus laicis extendere fas non est, occasione conjugii in conjuges, vel liberos rursus diffuerent. Et præterea, ut optimè meminit Bœhmerus, ut Clerici tanto magis in officio continerentur, & respectu erga Sedem Apostolicam. Quid autem iniqui-

quitatis habet, quod Ecclesia conseruationi bonorum suorum invigilet, cum hanc diligentiam à quolibet vel vulgari-ter diligente patrefamilias requiramus? aut in quam legem commiserunt Pontifices, quod Clerum, ea tempestate, ut nunquam magis, otio, & luxuria diffluentem, cælibatus lege constringere, sicque per *indirectum* sibi quoque arctius devincire adlaboraverint? Hoc freno vel maximè tum opus erat, cum, luxata morum disciplina, plures ad *Lutheri* suille, quàm ad Christi ovile currerent. Sed, uti dixi, hæ rationes *politica*, ut vocat *Bœhmerus*, *Gregorio VII.* & qui eum antecesserunt, aut postea secuti sunt, SS. Pontificibus nec causa *finalis*, nec *impulsiva* fuere.

Principalis igitur, & præcipua Clericis, SS. Ordinibus initiatis, legem *cælibatus* imponendi ratio fuit, ut Sacrosancta Altaris Mysteria, quorum ministri illi existunt, maxima, qua fieri potest, animi, & corporis puritate tractentur: cum verò & Apostoli testimonio, & ipsa quoque experientia constet, fieri haud posse, ut, conjugalibus implexi amoribus, animum à terrenarum rerum sollicitudine, & voluptatibus, ac desideriiis carnis vacuum habeant, degravat quippe animum, & ad terrena dejicit usus matrimonii, nec non avarum, & sollicitum reddit amor liberorum, testante Apostolo 1. Corinth. 7. *Qui cum uxore est, sollicitus est, que sunt mundi, quomodo placeat uxori, & divisus est;* idcirco jure optimo SS. Pontifices, & Sacrosancta Ecclesiæ Concilia (quorum syllabum longo ordine recensent *Bellarminus lib. 1. de Clericis cap. 19* & *Alexander Natalis in histor. Eccles. Sæcul. 4. dissert. 19.*

proposit. 2.) decrevere, ut, quo ministri puriores sacris accederent Altaribus, & jugi penè Sacramentorum administrationi redderentur aptiores, perpetuo cælibatus vinculo necerentur, atque ab hac sententia PP. Concilii Tridentini se nequidquam dimoveri passi sunt, utut Imperator *MAXIMILIANUS II.* propositis variis motivis, intercederet, ipseque deploratissimus illorum temporum status hujus legis relaxationem exposcere videretur, ut ex transmissis ad *d. Concil.* Patres considerationibus apud *Goldastum d. l.* videre est.

Nec audiendus est inverecundus ille Hæreticorum clamor, quo bonum conjugii adeo extollunt, ut ab illo Clericos iniquissimè exclusos fuisse, contendunt: permisso quippe Clericis conjugio, inquiunt, infinitis scortationibus, aliisque turpissimis carnis vitiis repagula objecta fuissent, quo tamen per legem vetito, infirmitati carnis Clericos cessisse, infinitis exemplis ostendi potest. Verum *non sic, impii, non sic*, si quandoque factum est, aut hodie dum fiat, ut, qui se sacris Altaris Ministeriis ultrò manciparunt, obligationis suæ immemores, Sanctissimam continentiae legem infregerint, aut infringant, id non vitio legis, sed prævaricantium eandem, factum est, aut fit. Finis enim hujus legis sanctissimus est, & media ad hunc finem haudquaquam ardua, sed oppido facilia. Quid enim arduitatis habet, fugere alterius sexus consortium, à vanitatibus Sæculi mentem habere alienam, spirituali lectione, & meditatione impinquare animam, fugato otio utilibus intendere negotiis, Divina mysteria cum magno
fer-

fervere, mentisque elevatione in DEUM obire, & de Divino adjutorio ingruentibus tentationibus cum humili fiducia sperare. Quid, inquam, hæc media arduitatis, & duritiei habent? Et sanè, quisquis his mediis utitur, thesaurum castitatis in vasis fictilibus conservat incorruptum. Quod, si igitur sunt, aut fuerunt, qui potius legi, quàm in membris suis sentiunt, obsequi malunt, quàm legi mentis suæ, cujus vitio, dicite Hæretici, hæc fiunt? An legem mentis incusabimus? sed durum est, ogganitis, contra stimulum calcitare. Non ædepol id durum est, præterquam iis, qui gratiæ DEI nullum ponunt pretium, cujus fiducia tamen Paulus, iisdem stimulis acutissimè fodicatus, omni tentatione superior evasit. Audiamus jam Lactantium Firmianum l. 6. de vero cultu cap. 6. *Nec verò aliquis existimet, difficile esse, imponere frenos voluptati, eamque vagam, & errantem castitatis, pudicitiaque limitibus includere: cum propositum sit hominibus omnibus etiam vincere, ac plurimi beatam, atque incorruptam corporis integritatem retinuerunt, multique sint, qui hoc cælesti genere vitæ felicissimè perfruantur.* Et post pauca: *Hæc quidem difficilia videntur: sed de eo loquimur, cui calcatis omnibus terrenis, iter in cælum paratur. Nam quia virtus in DEI agnitione consistit, omnia gravia sunt, dum ignores: ubi cognoveris, facilia. Per ipsas difficultates nobis exeundum est, qui ad summum bonum tendimus.*

22 Hæc quidem lapidi (dicit apud se Bœhmerus) citius persuaseris, quàm mihi, meisque similibus. A magistri nostri Lutheri doctrina, & exemplo

nos neutiquam abduci patiemur. Edic igitur, Bœhmerus, quæ sententia de cælibatu Clericorum initio susceptæ reformationis Lutheri animo infederit? Audio respondentem hic §. 16. aperte, inquit, *Lutherus assererat, inter diaboli doctrinas prohibitionem matrimonii esse referendam.* Et hoc de Clericis, & Monachis, qui solenni, eoque perpetuo continentia voto se supremo Numini sacrificarunt, intelligi voluit? *Ab initio* (reponit Bœhmerus eod. §.) *Monachis ob votum à matrimonio abstinendum esse* (Lutherus) credidit, & ad Spalatium Anno 1521. die 6. Augusti scribens, notanter scripsit: *NO STRI WITTEBERGENSIS ETIAM MONACHIS DABUNT UXORES: AT MIHI NON OBTRUDENT UXOREM.* Agnovit ergò Lutherus, ut audio, votum cum matrimonio stare non posse, nec fieri posse, ut *Monachus* quis sit simul, & *maritus*. Perstititne Lutherus in hac sententia? *Quamvis verò Lutherus* (rursus respondentem audio Bœhmerum ad h. t. §. 18.) *libertatem circa Clericorum matrimonium admodum defenderet, ipse tamen adhuc averso ab eo erat animo, ut Anno 1524. de se ita litteris testatus est apud Seckendorffium in Histor. Lutheran. lib. 1. §. 182. num. 2. scribens: HOC CORDE, QUO HACTENUS FUI, ET MODO SUM, NON FIET, UXOREM UT DUCAM; NON QUOD CARNEM MEAM, AUT SEXUM NON SENTIAM, CUM NEQUE LIGNUM, NEQUE LAPIS SIM, SED ANIMUS ALIENUS EST A CONJUGIO.* Cur ita? an Lutherus Religione tactus agnovit, cælibatum esse matrimonio, tanquam quid longè præstantius, præferendum?

aut

aut certè ab homine voto castitatis solenni constricto sine Sacrilegio iniri non posse? his omnino rationibus *Lutherus* moveri debuisset, si suæ conscientia rationem habuisset. Sed aliam, audio, reddit rationem: CUM EXPECTEM, inquit, QUOTIDIE MORTEM, ET MÉRITUM HÆRETICI SUPPLICIUM. Quid hoc? *Lutherus* suo se ore *hereticum* fatetur, & promerito mortis supplicio condemnat? Profectò nullam hic in *Luthero* vel hæresis, vel mortis causam invenio. Dicere: *Monachis ob votum castitatis à matrimonio abstinendum esse*, propositio verè *Catholica est*. Et *Monachum inter carnis tentationes aversum à conjugio habere animum*, magna, solidæque virtutis est. Ergo *Lutherus*, dum ita sentiret, & scriberet, *hereticus* non fuit. Verùm hanc de se confessionem non frustra fecisse *Lutherum* paulò post eventus docuit. *Mutavit tandem consilium*, scribit *Bœhmerus cit. §. Anno 1525. Men. Junio CATHARINAM BORIAM*, Christo per solennia Religionis vota sacratam Sponsam, sibi matrimonio junxit. Quod execrandum, & hæcenus inauditum scelus non potuit non universo orbi scandalo esse. HENRICUS VIII. Angliæ Rex, ea de causa datis ad *Lutherum* litteris (quas *Florimund. Remond. de Origin. increment. & decrement. hæres. part. 3. cap. 6. §. 2.* recitat) gravissimis verbis eidem rei hujus indignitatem exprobravit, sed surdo fabulam. Aded jam in stercore suo computruit, ut scribere non erubuerit, continentiam cuicumque homini servatu fore impossibilem. Recitabo *Ganeonis* hujus propria verba, quæ habet in *Colloq. Mensal. pag. 435.* ita ibi: *Als wenig man des Essens und Trin-*

ckens entbehren, und gerathen kan, also unmöglich ist es, sich von Weibern zu enthalten; dann wir durch natürliche Begierd allermassen uns nicht darvon äusseren können: Ursach ist dise, daß wir in der Weiber Leib empfangen, darinnen ernähret, davon geböhren, gesäugert, und erzogen werden, also, daß unser Fleisch das meiste Theil Weiber-Fleisch ist, und ist uns unmöglich, uns von ihnen ganz abzufondern. Hæc castissima *Lutheri* labia eructarunt. *Similia* habet *tom. 6. Witenb. fol. 237. à §. 1.* inquit: *So wenig ich Martin Luther (gailer Fleisch-Benzgel) neue Stern am Himmel erschaffen kan, so wenig kan ich Keuschheit geloben.* Item *cit. tom. fol. 247. à §. 3.* *GOtt gebe mir nur nicht vil der Keuschheit, S. Hieronymi.* Hæc, & plura alia, quæ pudor referre vetat, *Lutherus* illoto ore evomuit, sed ipsus conscientia, identidem fodicante, pressus, fateri coactus est in quadam Epistola ad *Melanchtonem* scribens, *tom. 1. latin. Jen. 1579. f. 334. & seq. Summa: qui fervere spiritu debeo, serveo carne, libidine, pigritia, otio, somnolentia &c.* Egregia sanè confessio magni hujus Germanorum Apostoli. Exulta ergo, & latare filia Sion, *Ecclesia Protestantium*, exclama inter jubilos: *Laqueus PAPALIS CÆLIBATUS contritus est, & nos liberati sumus.* Festivus ubique personet hymenæus, caro triumphet! *Tempus enim breve est, reliquum est, ut & qui habent uxores, tanquam non habentes sint.* Nos interim orthodoxi, quorum religio carnem, & ossa non habet, carni bellum inferre pergimus, sperantes, post mul-

ta certamina, partosque de carne triumphos coronam immarcescibilis gloriae.

23 Superest adhuc quaestio decidenda, quam Boehmerus *ad h. t. §. 33.* proponit. Sunt in non paucis cathedralium capitulis juxta statum Anni 1624. Canonicis *Augustanae confessioni* addictis mixti Canonici Pontificii: unde, si horum aliqui matrimonium inire desiderant, quaeritur, à quo dispensatio petenda sit, an à S. Pontifice, vel à Principe territorii *Augustanae confessioni* addicto? Boehmerus hanc quaestionem sic resolvit, dicendo: *Si ostendi potest, Episcopos Catholicos jure Diocesano in A. C. statuum subditos, qui publicum Religionis exercitium Anno 1624. habuere, quiete usos eo Anno fuisse, evidens est juxta Art. V. §. 48. in fin. instrum. pac. Westph. dispensatione à Papa petendam esse. Ubi verò tale exercitium jurisdictionis Episcopalis prorsus cessavit, nulla nec Papa, nec Episcopis amplius superest jurisdictio in Clerum Pontificium cathedralem, in territorio statuum A. C. constitutam, sed his unice jurisdictio Ecclesiastica cum omnibus inde dependentibus speciebus debetur, adeoque ab iis quoque petenda est dispensatio, ut salvo statu Ecclesiastico Canonici Catholici matrimonium inire queant.*

Verum contrarium omninò diceandum, & in tali casu dispensationem non à Principe territoriali, à sacris Pontificiis alieno, sed à S. Pontifice petendam esse, sequentibus evinco. I. Admittit Boehmerus, Canonicis Catholicis in ejusmodi capitulis mixtis integrum esse, vivere *secundum principia Religionis, quam profitentur*: ergò in necessariam consequentiam admittere debet, quod illi *jurisdictionem Ecclesia-*

sticam S. Pontificis recognoscant. Quid enim est, vivere secundum principia Religionis Catholicae, quam vivere secundum leges Pontificias: Legibus autem Pontificiis se subiectum profiteri, est recognoscere supremam in se S. Pontificis jurisdictionem, cum praecipuus, & eminentis jurisdictionis actus sit, leges condere, & subditos ad parendum habere obstrictos. II. Principi *protestantium sacris* addicto respectu talis Canonici vel ideò jus *dispensandi* competere nequit, quod is legem *calibatus* non posuerit, nec ponere possit: ergò ab hoc vinculo legis is Canonicum Catholicum eximere non potest, sed haec exemptio à S. Pontifice petenda est; illius quippe est, legem relaxare, qui legem condidit. III. *Jurisdictio Ecclesiastica per instrumentum pacis* eatenus tantum est *suspensa*, quatenus illa statibus *protestantibus* incommodare videtur, ut expressè habet *cit. §. 48. art. V.* Non autem apparet, quomodo in nostra hypothesi petitio dispensationis à S. Pontifice, per Canonicum Catholicum facta, Principi territoriali quidquam incommodet: ergò IV. in *instrum. pac. d. Art. V. §. 5.* inter utriusque Religionis status conventum fuit, *ut, quod uni parti justum est, alteri quoque sit justum*, sicut ergò *Augustanae confessioni* addicti, Catholicis Principibus subditi, turbari non debent, quo ad ea, quae *Augustanam confessionem* concernunt; *d. §. 48.* ita nec Catholici à Principibus protestantibus, quoad ea, quae ex lege SS. Canonum observare debent. Quapropter talis Canonicus, qui secundum Canones calibatum servare tenetur, per Principem *protestantem* hac lege solvi nequit.

TITULUS IV.

De Clericis non residentibus in Ecclesia, vel Præbenda.

INter alias Clericorum obligationes locum haud postremum occupat obligatio residendi in loco beneficii. Ad quam residentiam quomodo, & quinam obligentur Clerici, quinam, & ex quibus causis excusentur, & quæ poenæ in non residentes à SS. Canonibus decretæ sint, in præsentî Titulo traditur.

§. I.

Quid, & quotuplex sit residentia Clericorum? Et quo tempore de eadem Canones condi cœperint?

S U M M A R I A.

1. Residentia quo sensu hic accipiatur? 2. Est alia vera, alia ficta. 3. Primus Canon de ea condi cœpit in Concilio Nicæno, qui subinde per alia Concilia subsequentiâ innovatus fuit. 4. Quomodo residentia Clericorum negligi cœperit? 5. Contra hanc legem maxime tempore Concilii Tridentini à Clericis peccatum fuit. 6. Per PP. Concilii rursus residentia Clericis imposta.

Residentia ad mentem SS. Canonum, & Concilii Tridentini non dicit nudam præsentiam, & personalem commorationem in loco beneficii, sed accipienda est cum effectu, id est, ut Clericus Ecclesiæ, in qua degit, etiam in Divinis deserviat. *cap. 4. b.t.* Nam residentia, ait Fagnanus *ad cap. 32. de Præbend. num. 24.* debet esse laboriosa, non desidiofa; quia beneficia ad Divinum cultum, & Ecclesiastica munia ritè obcunda instituta sunt. *cap. penult. b.t. Van-Espen. J. E. V. Part. 1. tit. 7. cap. 9. num. 3.*

Residentia alia est vera, alia ficta. 2
Vera est, quando Clericus in loco beneficii verè, & realiter præsens existit, eidemque per se ipsum, non per substitutum deservit. Ficta dicitur, quando beneficiatus à loco sui beneficii quidem abest, *fictione juris* tamen pro præsentente habetur in ordine ad lucrandos fructus suæ præbendæ, vel distributiones quotidianas. Barbofa *ad Rubr. b.t. num. 9.* Magnif. P. König *b.t. n. 2.*

Ante tempora Concilii Nicæni non extat Canon, qui Clericis residendi necessitatem imponeret, sed in hac de-

N 2

num

num œcumenica synodo decretum fuit, *Can. 16. ut, quicumque temerè, aut periculosè, neque timorem DEI præ oculis habentes, nec agnoscetes Ecclesiasticam regulam, discedunt ab Ecclesia, Presbyteri, aut Diaconi, vel quicumque sub regula prorsus existunt, hi nequaquam debent in aliam Ecclesiam recipi, sed omnem necessitatem convenit ipsis imponi, ut ad suas paræcias revertantur. Quod si non fecerint, oportet eos communionem privari.* Quam legem deinceps instaurârunt PP. Concil. *Chalced. Antioch. Sardicens.* & aliorum subsequentium. Neque tamen quisquam existimet, hanc residendi necessitatem à *dd. Concil. primitus* lege lata fuisse introductam, verùm eo fine id factum esse, scribit Thomassin. *de vet. & nov. Eccles. discipl. Part. 2. lib. 3. cap. 30. num. 1.* ut hanc necessitatem, longè sanctissimam, antiquissimam, & indubitatissimam Clericis, interposita quoque sua auctoritate, firmis inculcarent. Ecce enim unquam, nisi valde excordi in mentem venit, dubitare, & quærere, an pastor pascendo gregi adesse, & insistere debeat?

4 Verùm adultiore facta Ecclesia remissior fieri cœpit Clericorum residentia. Primis Sæculis, scribit Claudius Fleury *in Inst. Jur. Eccles. Part. 2. cap. 28.* „ Clerici omnes titulis suis, veluti cardinibus fixi, firmique adhærebant, „ sed ex quo Clerici ordinari cœperunt „ sine titulo, vagabundorum numerus „ mirè excrevit. Deinde beneficiorum „ pluralitas necessariæ residentia negle- „ ctum involvit, & quæ avaritia bene- „ ficia multiplicavit, eadem servitium „ Ecclesie susque deque habuit, lucro „ unice dedita. Unde legimus, Epi- „ scopos, & Clericos multis beneficiis

„ ornatos, procul Ecclesia omne ævum „ in aulis Principum, vel quocunque „ aut negotiis, aut voluptatibus suis „ traherentur, exegisse. Idipsum fermè conqueritur de sui temporis Episcopis S. Cyprianus *Tract. de lapsis* scribens: *Episcopi plurimi, quos & oruamento esse oportet ceteris, & exemplo, Divina procuratione contempta, procuratores rerum secularium fieri, derelicta cathedra, plebe deserta, per alienas provincias oberrantes, negotiationis questuose nundinas aucupari.* Huic malo subinde, quod latius ubique serpere cœpit, Concilia varia, variis in provinciis coacta, novis sanctionibus occurrere quidem studuerunt, sed fermè incassum, id quod exulceratus, fœdèque deturpatus sub tempora Concilii Tridentini Ecclesie status abundè patefecit. De quo Guilielmus de Prato Episcopus Cantuariensis in *Oratione ad PP. Concil. Trid. de Residentia Prælatorum* præter alia sic effatus est: *Quare mea quidem sententia non modo oportet, sed & necesse est, ut de residentia ista hic aliquid constitutur exactius, quàm in Concilio Lugdunensi, aut Lateranensi, aut ullo alio veterum Conciliorum fuerit unquam constitutum, & quam (cum bona venia dixerim) in decreto nobis oblato constitutur. Siquidem per tantam non residendi licentiam orbis gravissimum malum in dies latius serpit. Quis enim ignorat, hac captata occasione magna ex parte Hæreses esse natas, & auctas mirum in modum, indièsque magis, ac magis augeri? Nec videntur facturæ finem, donec hanc occasionem querentibus, occasionem amputaverimus. Quæ omnia non ignorat mundus; quare perquam difficile foret, ei amplius verba dare. Expectat itaque, & meritò expectat, ut non pul-*

pulebris verbis, ne dicam frigidis, sed ve ipsa tantus, & tam pestifer tollatur abusus, idque radicatus: & ut quilibet pastor cum suo grege cogatur residere, imò quilibet beneficiatus (modo ex ipso decenter vivere possit) in suo beneficio. Hæc præfatus Guilielmus de Prato, suggerens deinde Concilii PP. media, quibus turpiter neglecta, & intermissa Clericorum, ac Prælatorum residentia rursus restitui valeat. Quod ipsum etiam eodem tempore multis gemitibus exposuit PAULO III. cætus Cardinalium aliorumque Prælatorum ab eodem Pontifice ad morum emendationem, & reformationem curiæ collectus, prout legere est apud Natalem Alexandrum *Hystor. Eccles. Tom. 2. Secul. XV, & XVI.*

art. 16. num. 4. Tandem curâ & providentiâ PP. dicti Concilii auspiciatò evênit, ut ovibus restituerentur pastores, pastoribus animarum zelus, ipsi verò Ecclesiæ pristinus decor, & avita gloria redderetur, quanquam inficias ire nolim, secundas hodieum curas hac in parte supervacaneas non fore, quia non credimus, ubivis locorum AUGUSTINOS, AMBROSIOS, ATHANASIOS, CYPRIANOS reperiri, qui gregi suo adeò agglutinati fuisse leguntur, ut vel per modicum temporis intervallum abesse, sibi Religioni ducerent. Videatur Thomassinus *lib. cit. cap. 30. num. 6. & seqq.* ubi dictorum Patrum hanc in rem sententias recitat.

§. II.

Quinam ad residentiam personalem obstringantur?

SUMMARI A.

7. Regulariter residere in beneficio tenentur Clerici omnes, cum primis verò Episcopi, & alii Prælati Majores. 8. Residentiam ab Episcopis nostratibus passim negligi, clamat Bœhmerus. 9. Purgantur ab hac labe, pessimè ipsis impacta. 10. Rursus insultat Bœhmerus tenerè quidem, non tamen sine omni fundamento. 11. Quod ex S. Bernardo ostenditur. 12. Omni tempore fuerunt boni, & mali Pastores in Ecclesia, erintque usque ad consummationem Seculi, quod S. Augustini testimonio comprobatur. 13. Ad residentiam personalem obstringuntur etiam Parochi, aliique beneficiati curati, nec non Ecclesiarum Cathedralium, & Collegiatarum Canonici. 14. An residentia Prælatorum sit Juris Divini, inter PP. Concilii ultro citroque acriter disputatum fuit. 15. Dicimus eam (uti & Parochorum, aliorumque Curatorum) in Thesi esse Juris Divini. 16. In hypothesis verò Juris positivi Ecclesiastici. 17. Quid de Abbatibus Commendatariis?

7 **Q**uamquam de Jure comuni omnes Clerici ad residentiam personalem obstringantur, qui beneficium, quantumvis tenue, habent, ut constat ex *cap. 6. h. t. cap. 35. de Præbend.*

& notant Panormit. *hic num. 5. & Fagnan. ad cit. cap. 6. num. 2. & 18.* ex ratione, quod quodlibet beneficium detur propter officium *cap. ult. de Rescript. in 6.* hæc tamen residendi obligatio præpri-

N ;

mis

mis afficit Episcopos, aliósque Majores Ecclesiarum Prælatos. cap. 2. § 9. h. t. Concil. Trid. Sess. 6. de Reformat. cap. 1. Item Sess. 23. cap. 1. quia istis præcipuè dicitur: *Cognosce diligenter vultum pecoris tui, tuósque greges considera.* Prov. 27. v. 23. Ideò Concil. Trident. cit. Sess. 6. cap. 1. omnes Metropolitans, & Episcopos illis Apostoli verbis admonet: *Attendite vobis, & universo gregi, in quo vos Spiritus Sanctus posuit Episcopos regere Ecclesiam DEI, quam acquisivit sanguine suo.* Vigilent igitur Episcopi (ait) sicut Apostolus præcipit, in omnibus laborent, Ministerium suum impleant. Nam, ut ait S. Augustinus Epist. 85. *Non est Episcopatus artificium transigende vitæ fallacis.* Nec credo Episcopale munus ex fide geri, si vicaria duntaxat opera exerceatur. Personali industria, ut nullibi magis, hic opus esse, disco ex eodem S. Augustino qui Severo Episcopo in hæc verba rescripsit: *Epist. 110. Mi frater, & tu, credo, quod noveris, quanta sint in manibus meis, quibus ob diversas caritas, quas nostra servitutis necessitas habet, vix mihi paucissima gutta temporis stillantur, quas aliis rebus si impendero, contra officium meum mihi facere videor.* Quamquam inficias ire nolim, posse quandoque, exigentibus rerum, & temporum circumstantiis, Episcopos alios in partem sollicitudinis advocare, & cum iis onera pastoralia partiri, ut infra n. 16. dicitur.

8 Sed hic audio Bœhmerum plenis buccis crepantem, & Episcopis nostris supinam in obeundo Pastoralis munere suo desidiam mordacissimo aculeo exprobrantem. Ita enim ille de Episcopis nostris §. 39. § seq. h. t. Episcopi, *quamvis presentes sint, adeò tamen rarè*

officia sacra, quæ munus eorum proprium constituere debebant, peragunt, ut vix residere videantur, nisi residentiam, ex sola corporis presentia estimare velis. - - Probationem desideras, in promptu est. Conciones Episcoporum tam rare sunt, ut quasi avem albam videatur hodie videre Papam, aut Episcopum concionantem. Visitationes Episcoporum serè prorsus consenuerunt, imò tam rare sunt, ut, si quando audita fuerint, portentis, aut prodigii simile iudicatum fuerit: Sacramentorum administratio hodie abhorret à consuetudine Episcoporum quotidiana, & vix solennioribus festis ab iis peragitur. Omnia in Vicarios, Archi-Diaconos, Archi-Presbyteros, suffraganeosque translata, ipsisque interim adoretur magis curæ, cordique sunt. Et tamen, si primevum Episcoporum statum intuemur, hæc quotidiana eorum erat occupatio, hanc provinciam strenuè obibant. Id quod probat ex variis Conciliis, ut ex synodo Trullana cap. 19. Concilio Cabillonensi III. ex Concilio Carthagenensi IV. quod refert Gratianus cap. 6. dist. 88. & tandem sic concludit. *Judicet jam æquus lector, utrum residentia Episcoporum, Prælatorumque hodierna ad verbi Divini, Canonumque Ecclesiasticorum scita quadret. Et an non minus legitime agere, & planè non agere, ad paria reduci debeant?*

9 Ut infamiam hanc, quam Episcopis nostris aspergere Bœhmerus non dubitavit, abstergamus, & impostoris maledicentia castigetur, satis erit, demonstrasse, eum, dum audacter negat, Episcopos nostros officium suum facere, ne quidem intelligere, in quo ratio muneris pastoralis consistat. Pastorale igitur munus secundum SS. Canonum præscriptum iis requisitis instru-

structum esse oportet, ut oves prædicatione Verbi Divini erudiantur, boni exempli odore recreentur, & ad honorum operum sequelam excitentur, Sacramentorum administratione pacificentur, nutriantur, impinguentur. Spiritualia hæc pabula & salutis remedia, ut ne desint oviculis, si omnem curam, & sollicitudinem pastores impendant, dici non potest, eos suo officio deesse, & residentiam ipsorum fore otiosam. Jam verò esse hanc curam cordi nostris Episcopis, omnique studio ab illis id conferri, ut spiritualia salutis remedia ovibus sibi concreditiss affatim suppedientur, nemo quisquam nostrum inficiatur, & res ipsa loquitur. Habemus non proletariæ virtutis, & literaturæ præcones, qui è sacro suggestu fidei dogmata, morumque doctrinam magno spiritu collectæ concioni exponant. Sunt non tot, quin plures, qui in sacro pœnitentiæ tribunali conscientia vulnera opportunis remediis sanare collaborent. Alios videas ad pagos, & vicus excurrere, & ibidem teneræ, & rudi juventuti fidei rudimenta instillare. Ad Divina mysteria in Ecclesiis frequentanda, cum primis verò ad Evcharisticum epulum congrua animi dispositione sumendum, quibus non incitamentis fideles provocantur?

10 Ne quid dicam de Pastoralis illorum sollicitudine, quam adhibent in evellendis peccatorum zizaniis, in tollendis scandalis, in quem finem crebriores instituuntur Diocessuum visitationes, corrigenda corriguntur, & nec in Pastore, nec in ovibus impunis est culpa. Et quanquam hodie in grege nostro oves morbidas reperias, id vitio pastoris noli adscribere, quia pa-

storibus non *curatio*, sed *cura* est demandata, juxta præceptum Domini Luc. 10. *Curam illius habe.* Unde verum dixit quidam:

Non est in medico semper relevetur ut aeger.

Nam ipsius servatoris testimonio, *necesse est, ut eveniant scandala*, & ut Bœhmerus quoque non diffitetur: vitia erunt, quamdiu homines. Hæc, & sexcenta alia pastoralis curæ, & vigilantia argumenta à nostris Episcopis quotidie proferri, & subditus grex experitur, & cæci quoque, id est, Hæretici vident. Unde non nisi per summam injuriam de nostris Episcopis Bœhmerus scripsit, ipsos officium suum negligere, non residere, sed in otio potius delitescere, & in utramque dormire aurem.

Sed ogganit adhuc Bœhmerus. Hæc munera Pastoralia, ait, ipsi Episcopi non per se exequentur, sed omnia hæc in Vicarios, Archi-Diaconos &c. rejiciunt, aliter, atque in primitiva Ecclesia ab Episcopis factum fuisse legimus, quippe qui eo animarum zelo flagrabant, ut Pastorale officium suum non Vicaria aliorum opera exercerent, sed hanc Provinciam ipsimet strenuè obirent.

Huic oppositioni non ausim fidem ex integro abjudicare; etenim hanc ipsam querelam apud S. Bernardum lego, quam his verbis Eugenio Papæ lib. 4. de Considerat. cap. 2. exposuit: *Fuerunt ante te, qui se totos ovibus pascendis exponerent, Pastoris opere, & nomine gloriantes, nil sibi reputantes indignum, nisi quod saluti ovium obviare putarent, non querentes, quæ sua sunt, sed impendentes. Impendere curam, impendere substantiam, impendere & seipsos.* Unde unus illorum:

86

§ EGO, ait SUPERIMPENDAR PRO ANIMABUS VESTRIS. Et tanquam dicerent, non venimus ministrari, sed ministrare. Ponebant, quoties oportuisset, sine sumptu Evangelium. Unus erat de subditis questus, una pompa, unaque voluptas, si quo modo eos possent parare Domino plebem perfectam. Id omnimodis satagebant, etiam in multa contritione cordis, & corporis, in labore, & erumna, in fame, & siti, in frigore, & nuditate. Ubi nunc, queso, consuetudo hæc? Subiit dissimilis valde, longe in alia mutata sunt studia, & utinam non in pejus.

12 Verum, sicut hæc de multis sui temporis Episcopis S. Bernardus cum veritate conqueri potuit, ita hujus torporis infamare omnes nostrates Episcopos non nisi hominis infamis est. Bœhmere, si tibi argus esse videris, & in intima Præfulum nostrorum penetralia te penetrâsse existimas, qui fieri potuit, ut tam illustria Apostolici zeli multorum Episcoporum nostrorum exempla te fugerent? Nominarem eos, nisi aliàs nominatissimi forent. Fuerunt semper in Ecclesia boni, & mali pastores. Fuerunt, qui solum quærent, quæ JESU Christi, & etiam, qui solum quærent, quæ sua sunt; Habemus hodieum AUGUSTINOS, ATHANASIOS, AMBROSIOS, sed non omnes. Unde omnes Episcopos summæ fœcordiæ damnare (id quod fecit Bœhmerus) aut omnes ab hac noxa absolvere (id quod non fecit S. Bernardus) utrumque summæ temeritatis est. Ecclesia nostra manet incorrupta, etsi non omnes pastores incorrupti sint. Audiamus S. Augustinum *Epist. 208.* in persona FELICIE Virginis, cui eam scripsit, nos omnes allo-

quentem, & consolantem: Unde te admoneo, ne gravius perturberis his scandalis, quæ ideò futura prædicta sunt, ut, quando venirent, reminisceremur esse prædicta, & non eis valde commoveremur. - - - Alii sunt ergò, qui propterea tenent pastorales cathedras, ut Christi gregibus consulant; alii verò, qui propterea in eis sedent, ut suis honoribus temporalibus, & commodis secularibus gaudeant. Ista duo genera pastorum, aliis morientibus, aliis nascentibus, in ipsa Catholica necessè est, usque ad finem sæculi, & usque ad iudicium Domini perseverent.

Ad residendam personalem tenentur quoque Parochi, aliique Beneficiarii curati, ut constat ex *cap. 3. 10. § 11. h. t.* & præter aliorum Conciliorum decreta, quæ referuntur apud Natalem Alexandrum *hist. Eccles. Tom. 7. Sæcul. 13. § 14. art. 2. num. 19.* & Thomass. *cit. lib. 3. cap. 34. num. 6.* & *seqq.* ex novissima constitutione Tridentini *Seff. 23. de Reform. cap. 1.* quia & his cura gregis commissa est, quem sicut Sacramentorum administratione, & verbi prædicatione pascere ex munere sibi demando tenentur, ita eidem personam liter non possunt non assistere. Hac residendi lege stringuntur etiam Canonici Cathedralium & Collegiatarum Ecclesiarum, *cit. Trid. Seff. 24. de Reform. cap. 12.* cui obligationi aliter non satisfaciunt, quàm si Divino officio in Ecclesia non pro parte, sed integro reverenter & devotè assistant, sub periculo amittendorum fructuum suæ præbendæ; nam, ut Van-Espen *Part. 1. tit. 7. cap. 9. num. 4.* ex Fagnano refert, cum S. Congregatio Concilii *Trid.* interpretum fuisset quæsitâ, an valeret statutum, vi cujus Canonici uni, vel duabus

bus tantum horis Canonicis interessentes lucrentur massam grossam, sive fructus majores suæ præbendæ, responsum fuit; non valere. Cui tamen declarationi fortassis non in omnibus Ecclesiis defertur.

14 Quæri jam solet: an dicta Prælatorum Ecclesiasticorum residentia sit *Juris Divini*? Quæstionem hanc temporum iniquitas celebrem fecit, ait Fagnanus ad *cap. 8. h. t. num. 21.* ex antiquis enim, teste Cajetano 2. 2. *Q. 185. art. 5.* nemo unus erat, qui hæc Thesin in dubium vocasset. Tempore verò Concilii Tridentini ingens super hoc puncto non modo inter PP. Concilii, sed inter ipsos quoque Cardinales Præsidentes exarsit Controversia, Præfultibus Hispanis, & Gallis residentiam esse *Juris Divini* strenuè propugnantibus, Italis verò pro contraria Sententia tanquam pro aris & focis certantibus, prout id fuse ostendit Pallavicinus in *Hist. Concil. Trid. l. 18. cap. 15.* Cum verò PP. Concilii ab initio propositum fuerit, nihil velle se definire, nisi quod unanimis Patrum consensus ratum haberet, & spes non esset, ut dissidentium animi in unam convenirent sententiam, decretum ea verborum forma conceptum fuit, ut neutri sententiæ formaliter, & directè adversaretur, prout legere est apud laudatum Sfortiam Pallavicinum *loc. cit.* Nec enim inter Canones ad dogmata pertinentes, sed inter alia decreta de *reformatione* positum est, ut advertit Fagnan. *d. l. num. 18.* Interim Concilium in *d. Decreto*, quod est *Sess. 21. cap. 1.* non obscure innuit, sententiam illam prævaluisse, quæ dicit, Residentiam Prælatorum, aliorumque beneficiorum curatorum esse *Juris*

Divini. Sic enim incipit: *Cum Præcepto Divino mandatum sit omnibus, quibus animarum cura commissæ est, oves suas agnoscere &c.* Vid. Thomass. *cit. lib. cap. 33. num. 4. & 5.* Natal. Alexand. *Sæcul. 15. & 16. Dissert. 12. num. 2. & 3.*

Dicimus subinde cum communi residentiam Prælatorum esse *Juris Divini*, si residentia in *Thesi* spectetur, hoc est, si pro assistentia, vigilantia, & cura gregis commissi accipiatur. In *hypothesi* verò, prout residentia sumitur pro personali præsentia in his, vel illis circumstantiis, esse *Juris positivi Ecclesiastici.* Probatur I. Pars ex Concil. Trident. *Sess. 23. de Reformat. cap. 1.* ubi in hunc modum proloquitur: *Cum Præcepto Divino mandatum sit omnibus, quibus animarum cura commissæ est, oves suas agnoscere, pro his Sacrificium offerre, verbique Divini prædicatione, Sacramentorum administratione, ac honorum omnium operum exemplo pascere.* Joan. 10. Act. 20. 1. Corinth. 7. 1. Corinth. 9. 2. Timoth. 2. *Quæ omnia nequaquam ab iis præstari, & impleri possunt, qui gregi suo non invigilant, neque assistunt, sed mercenariorum more deserunt &c.* ubi probè notandum est, quòd Concilium non utatur verbo RESIDENDI sed ASSISTENDI, ut inde pateat, residentiam, quatenus illa Jure Divino præcepta est, non accipi pro residentia personali, sed formaliter pro cura scilicet, vigilantia, & assistentia Pastoralis, in quantum illam salus ovium exposcit, & in hoc sensu Concilium deinceps concludit his verbis: *Sacrosancta Synodus eos admonet, & hortatur, ut DIVINORUM PRÆCEPTORUM memores, factique forma gregis in judicio, & veritate pascant, & regant.* Quodsi certis casibus pascere gregem aliter neque-

queant, quàm personaliter residendo, ut tempore persecutionis, hæresum, & similium necessitatum evenire potest, tunc sub *pascendi, assistendi* verbo intelligitur residentia *personalis*, & Pastores tenebuntur his casibus *Jure Divino* personaliter assistere gregi suo, nec aliud etiam consuetudine immemoriali introduci poterit, quæ potius corruptela foret, ut ait Concil. Trid. *cit. cap. 1.*

16 Probatur etiam II. Pars ex Apostolo 2. *Corinth. 28.* ibi: *Instantia mea quotidiana sollicitudo omnium Ecclesiarum.* Ecce Paulus de omnibus quidem Ecclesiis se sollicitum fuisse dicit, omnibus tamen personaliter præsens esse non potuit. Similiter S. Pontifex dicitur habere sollicitudinem Ecclesiarum, & populi Christiani per universum orbem. *cap. 17. de Censib.* Sed utique singulis corpore non assistit, verum animo, & vigilantia, id quod verbum *assistere* denotat. *Arg. Clem. un. de Jurej.* ubi Principes orthodoxi jurare dicuntur, quod Ecclesiæ Romanæ auxiliis opportunis assistere velint, quod sanè de præsentia corporali exaudiendum non est. Et è converso *ly deserunt* sæpiùs negligentiam, & desertionem curæ, non discessum personalem importat. Quid enim juvat residere corpore, si animo curam gregis Pastores abjiciunt, & otiosi pecus deserunt. Imò potest contingere, ut residendo personaliter Episcopus Officio suo neutiquam satisficiat; veluti cùm necessitas defendendi Ecclesiam suam imminet; tunc enim ad conservanda ejusdem jura non tantum potest, sed debet, *Jure Divino*, & naturali jubente, accedere ad Curiam v.g. Romanam, aut alterius Principis, nisi id muneris Vicaria aliorum opera expedi-

re valeat. Et ideo in *cap. 13. h. t.* ex ejusmodi causa absens fingitur in Ecclesia sua residere; etsi enim corporaliter absit à sua Ecclesia, moraliter tamen, curando ejus negotia, eidem adesse censetur. Innocent. *ibid.*

Quæ hæcenus dicta sunt de residentia Prælatorum Majorum, ad Parochos similiter, & Curatos inferiores extendi debent, ita, ut utrorumque residendi obligatio ex *Jure Divino* promanet, nam & hi Pastores ovium constituti sunt, consequenter eodem jure, quo Episcopi, iisdem assistere tenentur, quod satis clarè colligitur ex Concil. Trid. *cit. Sess. 23. cap. 1.* ubi, postquam de Episcoporum obligationibus, eorumque residentia disposuisset, subjungit. *Eadem omnino - - de curatis inferioribus, & aliis quibuscunque, qui beneficium aliquod Ecclesiasticum, curam animarum habens, obtinent, Sacrosancta Synodus declarat, & decernit.* Id quod etiam ulterius colligi potest ex *cit. Concil. Sess. 6. de Reformat. cap. 2. in fin. & Sess. 7. cap. 3. dist. 81. cap. 3. & 4. h. t.*

De Canonicis Cathedralium, & Collegiatarum Ecclesiarum communiter docent DD. quod eorum residentia non sit *Jure Divino*, sed duntaxat Ecclesiastico præcepta, eo, quod ipsis nulla animarum cura incumbat, nec gregem habeant, quem pascere obligentur, & ipsorum præsentia faciliùs per alios suppleri possit, quàm Curatorum. Van-Espen *cit. part. & tit. cap. 10. n. 1.*

Quæres: an dicta Constitutio Tridentini circa residentiam Prælatorum majorum, etiam afficiat Abbates, ac alios Prælatos inferiores? Resp. affirmativè, quia & illi nomine Pastorum

ve-

veniunt, quippe, qui curam animarum, & jurisdictionem in suos regulares habent. Tambur. *de Jur. Abbat. tom. 1. disput. 14. Quest. 1. num. 4.* Imò nec Abbates, aut Episcopi *Commendatarii* ab obligatione residendi immunes sunt, etsi non in *Titulum*, sed in *commendam* duntaxat perpetuam Ecclesias obtinuerint, quia tales *commendæ* beneficiis æquivalent. Pius V. in *Constit. quæ incipit: In suprema Militantis Ecclesiæ specula* &c. edita Romæ 14. Decembr. 1564. Azor. *Instit. Moral. part. 2. lib. 7. cap. 4. num. 8.* Quod tamen ita limitat Tamburinus *d. disput. 14. Q. 6. num. 2.* ut, si Monasterium *commendatum* curam secularium non habeat animarum, Abbas *Commendatarius* ad residentiam in Abbatia sibi commendata non teneatur, quia tunc omnis cura spiritualis respe-

ctu Religiosorum penes *Priorem* Conventus est, ut decisum refert in Rota Farinacius *Decis. 112. num. 10. in Recent.* & à Sac. Congregatione Cardinalium. Barbol. *de Offic. & Potest. Episc. part. 3. allegat. 53. num. 113.* Illud hic prætereundum non est, quod Prælati Episcopis inferiores, & non exempti, etsi sine Licentia Ordinarii à suis Monasteriis abesse nequeant, propter textum generalem Tridentini *cit. Sess. 23. cap. 1. V. eadem omnino* &c. & notat Tamburinus *cit. disput. 14. quest. 15.* attamen consuetudinem hac in parte attendendam esse illorum locorum monet P. Engel, ubi Prælati tanquam status, & Deputati Provinciæ in causis Reipublicæ, aliisque negotiis publicis, non petita ab Episcopo licentia, abesse solent.

§. III.

Causæ à residentia excusantes proponuntur.

SUMMARI A.

18. Prælati majores ex causa singulis annis ad trimestre à suis Ecclesiis abesse possunt. 19. Parochi verò non nisi per bimestre. 20. Et Canonici Cathedrales per trimestre, quod tamen in variis Ecclesiis contrario usu limitatum est. 21. Non obstante Concil. Triad. clausula irritatoria. 22. Causæ speciales, ob quas Prælati abesse licet, sunt quatuor. Christiana charitas. 23. Urgens necessitas. 24. Debita Obedientia. 25. Evidens Ecclesiæ, vel Reipublicæ necessitas. 26. An Parochi tempore grassantis Pestis excusentur à residentia? 27. Ubi Canonicus, qui præter Canonicatum Parochiam habet, residere debet? 28. Parochi non satisfaciunt residentie, nisi intra fines Parochiæ resideant. 29. An Parochi studiorum causa à Parochia abesse possint? 30. Canonici in servitio Episcopi occupati, etiam absentes, lucentur omnes fructus suæ præbendæ. 31. Quod etiam obtinet, si studiorum causa absint. 32. Non tamen, si privati commodi causa, tametsi cum dispensatione S. Pontificis absint. 33. Qualiter absentes à Choro distributiones quotidianas lucentur? Tria notamina præmittuntur. 34. De Jure communi nullas distributiones lucentur absentes, sed id consuetudine obtentum est.

18 **A**B obligatione residendi excusantur generaliter omnes, qui ad modicum tempus absunt. Hinc concedit Concil. Trid. *Seff. 23. de Reform. cap. 1.* ut Prælati Majores iusta ex causa, & absque gregis sui detrimento duobus, aut ad summum tribus mensibus singulis annis (sive spatium illud continuum, sive interruptum fuerit) etiam citra licentiam ulteriorem expressam abesse possint, ita tamen, ut Dominicis Adventus, Quadragesimæ, Nativitatis, Resurrectionis Domini, Pentecostes, item Corporis Christi præsentis sint, quia his diebus refici maximè, & in Domino gaudere Pastoris præsentia oves debent.

19 Circa Parochos idem omnino jus obtinet, ut ii per bimestre spatium à sua Ecclesia Parochiali abesse queant, modo tamen licentiam discedendi ex causa legitima, per Episcopum prius cognita, ab eodem in scriptis obtinuerint, & Vicarium idoneum, ab ipso Ordinario approbandum, cum debita mercedis assignatione reliquerint. Concil. Trid. *cit. Seff. 23. de Reform. cap. 1.* consuetudine tamen, si quæ in quibusdam Diocæsibus invaluisset, ut Parochi, etiam non petita venia, ad modicum tempus à sua Parochia discedant, haud reprobendam existimant Barbof. *de Offic. & Potest. Episc. part. 3. alleg. 53. n. 92. § 106.* Layman. *lib. 4. tract. 2. cap. 6. num. 7.* & alii ab his relati.

20 Canonici Cathedralium Ecclesiarum tribus mensibus iisque continuis, vel interpolatis vigore Concil. Trident. à suis Ecclesiis citra licentiam, ex honestis tamen causis abesse licet, ita quidem, ut fructus integros (non verò *distributions quotidianas*) percipere va-

leant. Garzias tamen *part. 3. cap. 2. num. 315.* varias adducit Cardinalium declarationes, in quibus Episcopi attendere iubentur, ne omnes Canonici simul absint, ne solennioribus præcipue per Annum Festivitatibus Ecclesiam debito servitio destitui contingat. Præterea notat Van-Espen *J. E. V. part. 1. tit. 7. cap. 9. num. 5.* quod Synodus Trident. nullum propriè tempus absentiae dederit, aut constituerit, sed tantum prohibuerit, nè longiori, quam trium mensium spatio abessent, sive, ut ait Fagnanus, non processit, *concedendo*, sed *prohibendo*. Unde absentiae legitima causa permittitur conscientiae Canoncorum. Interim quòd prædicta Tridentini constitutio quoad trimestrem absentiam in multis Ecclesiis Germaniæ recepta non sit, attestatur Layman. *lib. 4. tract. 2. cap. 6. num. 2.* ubi subinde mediis annis, subinde trimestre sufficit, quo residentes integros totius anni fructus lucrantur. Imò ex Navarr. & Garzia idem Author notat, alicubi unius etiam diei residentiam in Festo v. g. *S. Michaelis* sufficere, ad lucrandos totius anni redditus.

Quamquam autem Tridentinum, 21 pro locis saltem, in quibus promulgatum fuit, contrariam consuetudinem improbet, apposita clausula: *Non obstante quacunque consuetudine*, ea tamen de immemoriali non procedit, ut docet Pirrhing *h. t. num. 15.* aut de præterita tantum, non de futura intelligi debet, aut, si etiam ad hanc extendere velis, subintelligere oportet, sine nova rationabili causa, prius verisimiliter à Concilio non prævisa, ut vult Covarruv. *Var. resol. l. 3. cap. 13.* Nec illam consuetudinem reprobendam existimant

mant Lessius *lib. 2. de J. & J. cap. 34. dub. 33. num. 185.* Et Zypæus in *Analyfi h. tit. num. 28.* quæ hodieum maximè in partibus nostris obtinet, ut Canonici per deputatos Vicarios in Choro psallant, quod munus aliàs ipsi vigore Trident. *Seff. 24. de Reform. cap. 12.* per se præstare deberent, dummodo illi *Horis, & Psalmodiæ* reverenter assistant. Ratio, quæ hanc consuetudinem cohonestare valeat, assignatur à laudatis DD. quòd per Vicarios, utpotè cantus Choralis peritos (quæ peritia in plerisque Canonicis desideratur) Psalmodia majori cum ædificatione, & reverentia peragatur. Jam causas speciales, quæ prædictos à residentia excuset, investigemus.

22 Quatuor causæ speciales, ob quas Prælati à suis Ecclesiis nonnunquam abesse possunt, in *cit. Seff. 23. cap. 1.* recensentur. I. *Christiana charitas*, ut, si v. g. vicina Ecclesia versetur in propinquo hæresis periculo, & Episcopi alterius Apostolico zela ejusdem speretur conversio, vel etiam Magnatum dissidentium ejus operâ procurari valeat compositio. Id quod duntaxat practitari potest, ubi propria Ecclesia ex Prælati sui absentia notabile non incurrit detrimentum, aliàs Ordo charitatis præposteraretur. Barbof. *de Offic. & Potest. Episc. part. 3. alleg. 53. n. 6.*

23 II. *Urgens necessitas*, ut contingere potest tempore belli, & persecutionis, quæ ipse Prælati in persona petitur, aut ubi is ex morbo, nisi locum mutet, proximum vitæ discrimen subiret, modò tamen in ejusmodi casibus Ecclesia ex Prælati sui absentia spirituale detrimentum non patiat. Quod si enim spirituale nocumentum, & da-

mnum ovibus immineret, ex nulla causa abesse posset, sed ut bonus Pastor animam suam ponere pro ovibus suis paratus esse deberet, juxta Verbum Christi *Joann. 10.* Barbof. *l. c. num. 8. & 9.* S. Thomas *22. Q. 185. art. 5. C.*

III. *Debita obedientia*, ut, si in servitio Papæ, & Ecclesiæ universalis occupetur, non autem proprii duntaxat commodi gratia in curia Romana moritur. *cap. 14. b. t.* Cardinales tamen, tametsi lateri Pontificis assistere teneantur, Flamil. Paris. *de Resignat. lib. 2. quest. 1. num. 34.* ita ut sine licentia Papæ à curia discedere non valeant. Idem *lib. 1. q. 10. n. 27.* à residentia tamen in suis *Titulis* per hoc non excusantur, nisi causa absentia in scriptis approbata sit, prout declaravit Gregorius XIII. & Urbanus VIII. ut legere est apud Dian. *Resolut. Moral. part. 5. Tract. 2. de Potest. & Privileg. S. R. E. Card. Resolut. 8.* Barbof. *cit. loc. num. 13.*

IV. *Evidens Ecclesiæ, vel reipublicæ utilitas.* Ut si absit ad defendenda jura Ecclesiæ suæ, inter sit Concilio generali, vel Provinciali, legatum agat in causa regni. Barbof. *cit. loc. num. 14. & 16.* Ad hoc tamen necesse est, ut Episcopus non proprio judicio discedat, sed fiat approbante S. Pontifice, vel à Metropolitano, vel, eo absente, ab antiquiore suffraganeo, & quidem approbatione in scriptis data. Conc. Trid. *cit. Seff. 23. cap. 1.* nisi fortè eum abesse contingat propter munus aliquod, & officium reipublicæ, quod ipsis Episcopatibus est adjectum (uti in nostrâ Germania Archi-Episcopatibus, Episcopatibus annexi sunt *Electoatus, & Principatus*) quales, si ad comitia vocentur, speciali licentia opus non habent, hoc ipso,

ipso, quod causa sit notoria, & interdum repentina. Hanc tamen cautelam dicti Prælati semper servare debent, ne quid spiritualis damni ex sua absentia grex subiectus patiat. Quæ causa tantò faciliùs excusant à residentia Canonicos, quanto certius est, eos tam arcta obligatione residendi, ut Prælatos majores, & Parochos, aliòsque curatos, non teneri. Restant jam quæstiones aliquæ circa residentiam Parochorum, & Canonicorum resolvendæ.

26 Quæres I. An tempore pestis, aut alterius grassantis contagionis Parochi excusentur à residentia? Ante resolutionem nota, quod Parochi æquè ac Prælati majores ex illis 4. causis specialibus suprâ recensitis, servatis servandis, à residentia dispensari possint. Quoad punctum verò præsentis dubii res specialem patitur difficultatem, eò quòd tempore pestis ex absentia sui pastoris oves non corporali modo vitæ periculo, verùm etiam salutis æternæ discrimini exponantur, dum nemo est, qui ipsos de vita periclitantes SS. Sacramentis pœnitentiæ, & Eucharistiæ reficiat, ac aliis spiritualibus præsiidiis decedentes muniat. Unde ad propositam hanc difficultatem à S. Carolo Borromæo respondit Congregatio Cardinalium die 11. Octobr. 1576. Parochos quidem tempore pestis in Parochia sua ad residentiam esse obstrictos, Parochianis verò, peste laborantibus, duo duntaxat Sacramenta ad salutem necessaria, nempe *Baptismum*, & *Pœnitentiam* ministrare teneri, idque vel per se, vel per alium, eâ præcipuè ratione, ut Parochus possit audire confessiones sanorum, qui aliàs eum reformidarent, si promiscuè peste infectos accedere vi-

derent: utque etiam tali modo Parochus ipse officio hortandi, prædicandi, consolandi Parochianos suos uberius, & plenius fungi possit, quod Congregationis decretum die sequenti à S. Pontifice approbatum refert Fagnan. in *cap. ult. b. t. num. 40.* quo teste *num. 47.* Summus Pontifex die 18. Octobr. ejusdem anni decretum factum de Parochis, multò magis obtinere in Episcopis declaravit, ita tamen, ut in locis tutioribus manere, & relicta civitate infecta, ad aliquam Diocesis suæ partem, ubi malum isthoc non grassatur, se se conferre, & subditis inde providere, possiat. Quodsi verò Parochi alios idoneos Clericos, qui ovibus suis Sacramenta administrent, reperire nequeant, omninò residere eo in casu tenebuntur, & Sacramenta per se ipsos administrare, & vitam suam corporalem pro salute spirituali ovium exponere conveniet. Caterùm non improbanda consuetudo, quâ Principes, Magistratus, & civitates in ea temporum calamitate idoneos Ministros Ecclesiæ conducunt, assignato illis ex arario publico congruo stipendio, imò collectando in hunc finem etiam Clericos, ut notat Fagnan. *ad cit. cap. num. 44.*

Quæres II. Ubinam Canonicus, qui præter Canonicatum cum dispensatione Pontificis Parochiam habet, residere teneatur? Respondeo, si Parochia Canonicatui sit perpetuò unita, & quasi accessoriè connexa, uti in quibusdam Ecclesiis Cathedralibus Præposituræ perpetuò adjungi solent, Canonicus in Ecclesia majori, sive principali residet, & in Parochia per Vicarium deserviet *cap. 30. §. qui verò de Præbend.* Si Parochiam citra unionem cum Canonicis

ni-

nacatu ex indulgentia Pontificis obtinuit, residere eum oportebit in Ecclesia Parochiali propter curam animarum *cit. cap. 30.* fructus tamen, & reditus sui Canonatus, cum iustam habeat absentiae causam, nihilominus integros percipiet, exceptis *distributionibus quotidianis.* Quod si verò simul, & æque principaliter duas habeat Parochias, necessitate, vel utilitate Ecclesiae sic exigente, quia fortè singulae ad sustentandos proprios Parochos haud sufficiunt, in digniori, sive, ubi major animarum cura exercenda est, residet, & in altera, si reditus ferant, *Vicarium* constituet, aliàs, si ambæ Parochiæ æquales forent, in alterutra pro suo libitu residere poterit. *Garz. part. 3. cap. 2. num. 179.*

Huc spectat, quod notat Panormit. *ad cap. 30. de Præbend. num. 13.* Navarr. *h. t. conf. 21. num. 4.* videlicet consuetudine introduci posse, ut pastorale officium per *Vicarium* exerceatur, modo ex absentia Parochi grex notabile damnum non patiatur, quia similis consuetudo æquivalet privilegio.

Nec obstat, quod residentia Parochorum sit *juris Divini* ex *cit. Sess. 23. cap. 1.* Concil. Trid. & consuetudo exercendi munia Parochialia per *Vicarium* dicatur ibidem *corruptela.* Respondeo, sensum hujus prohibitionis esse, si oves ex absentia pastoris sui spirituale detrimentum incurrant; non verò, si æque benè, aut fortè etiam meliùs per *Vicarium* iisdem provideatur. Ita *S. D. 22. Q. 185. art. 5.* Imò, ut notat Fagnan. *ad cap. 8. h. t. num. 66.* talis *Vicarius* ipsemet erit pastor animarum juxta *cit. cap. 30. de Præbend.* in illis verbis: *Idoneum, & perpetuum habeat Vicarium ca-*

nonicè institutum, qui *Parochis* æquiparatur in *Clem. un. de Offic. Vicar.*

Quæres III. An Parochus satisfaciat obligationi residendi, si in vicino oppido habitet, & singulis diebus Dominicis, & festivis ad Parochiam suam excurrat? Respondeo non satisfacere, sed debere vel in domo Parochiali, si quam habet, residere, vel intra fines Parochiæ, si domum Parochialem non habeat, quamvis Ecclesia Parochialis sit in tali loco, ubi minor pars Parochianorum habitat, ita, ut nec docendi gratia in civitate duabus tantum leucis à Parochia distante habitare possit, relinquendo *Vicarium*, & excurrendo singulis Dominicis, & festivis diebus ad Ecclesiam Parochialem. *Barbof. de Offic. & Potest. Episcop. part. 3. alleg. 53. num. 71. Garz. part. 3. cap. 2. num. 179.*

Quæres IV. An Parochi saltem *studiorum causâ* abesse possint juxta privilegia in *cap. 34. de Elect. in 6. cap. fin. de Magistr. cap. 32. de Præbend.?* Respondeo *speculativè* loquendo, haud improbabile videri, Parochos ex hac causâ à residentia esse dispensatos, cum enim Concil. Trid. *Sess. 23. cap. 1.* permittat Parochos cum licentia Episcopi ultra bimestre ob Ecclesiae, vel reipublicae utilitatem abesse, etiam videtur admittente, ut ex causa studiorum abesse possint, siquidem per studia utilitas Ecclesiae universalis, vel maximè promoveatur. *cap. 34. de Elect. in 6.* *Practicè* tamen contrarium dicendum erit, tum, quòd *S. Pontifex* super hoc casu à Congregatione Cardinalium Consultus responderit, non posse, jussitque Episcopos ab ejusmodi concessione abstinere, prout hanc declarationem Cardinalium referunt *Garz. part. 3. cap. 2. num.*

num. 109. Fagnan. in *cap. fin. de Magistr. circa finem*. Tum, quòd hodie Parochiales Ecclesiæ post Concil. Trid. provideantur per *concursum* nonnisi de personis actu jam idoneis, juxta *cap. 18. Sess. 24. de Reformat.* & consequenter cessat ratio, quæ consideratur in *cap. ult. de Magistr.* & *cap. 34. de Elect. in 6.* Putat tamen P. König *b. t. num. 22.* quòd, cum ista provisio per *concursum* in nostra Germania non ubique vigeat, Episcopi licentiam prosequendi studia SS. Litterarum Parochis adhuc hodie dare possint.

30 Quæres V. An Canonici ab Ecclesiis suis absentes, eò quòd in servitio Episcopi defactò sint occupati, fructus omnes suæ præbendæ lucrentur? Respondeo, affirmativè, per expressum textum in *cap. 7. § 15. b. t.* modò tamen servitium hoc Canonici impendant Episcopo in utilitatem Ecclesiæ, non verò spe remunerationis, aut privati commodi gratiâ. Neque tenetur Episcopus probare capitulo, servitium isthoc, à Canonici sibi impensum, in utilitatem Ecclesiæ cessisse, ut cum communi Canonistarum docet Van-Espen *J. E. V. part. 1. tit. 7. cap. 10. num. 3.* Præterea notat Fagnanus nonnisi duos, & quidem simplices, Canonicos ad servitium suum ab Episcopo assumi posse per *cap. 15. b. tit.* quod specialiter de duobus loquitur, & sic *cap. 7.* quod generaliter, & sine ulla numeri prædefinitione loquitur, declarari & restringi debet. Dixi: *simplices*, quia, qui in eadem Ecclesia *dignitatem* obtinent, ratione cujus ad speciale, & personale servitium obligantur, non possunt occasione hujus servitii fructus illius dignitatis absentes percipere, ut judicatum

refert Carolus Feuret. *Tract. de abusu* 13. *cap. 1. num. 13.*

Quæres VI. An similiter Canonici 31 studiorum causâ absentes perceptione fructuum, & obventionum suorum beneficiorum gaudeant? Respondeo affirmativè per *cap. 17. b. t. cap. ult. de Magistr. Concil. Trid. Sess. 5. de Reform. cap. 1.* Ad hoc autem necesse est, I. ut in publica quadam Universitate, vel celebri Gymnasio SS. Theologiæ, vel Juri Canonico (quod studium propriè Clericorum *scholastica disciplina* vocatur) sedulam operam navent. Concil. Trid. *cit. Sess. 5. cap. 1.* Accedit praxis curiæ Romanæ, ut testatur Pyrrhus Corrad. *de Dispensat. lib. 5. cap. 6.* II. Ut Canonici studentes Episcopo, aut Capitulo (id quod in plerisque Dioccesibus obtinet) singulis semestribus, aut saltem singulis annis litteras testimoniales de studiorum suorum profectu exhibeant, & ideò cautelam hanc Professoribus suggerit Van-Espen. *l. c. num. 9.* ut nonnisi prævio examine litteras testimoniales concedant, ne aliàs Episcopo, aut Capitulo ejusmodi testimoniis temerè concessis imponant.

Quæres VII. An Canonicus, qui 32 extra has causas propter solam utilitatem privatam, cum dispensatione Pontificis ab Ecclesia sua abest, fructus beneficii tanquam præsens lucretur? Respondeo negativè, quia similis dispensatio (nisi specialiter etiam super receptione fructuum mentionem faciat) plus non operatur, quàm, quod ad residentiam Canonicus non urgeri, nec propter absentiam beneficio privari possit. Rebuffus in *praxi benefic. Tit. dispensat. de non residendo num. 60.* Hinc inferunt DD. quod, si Canonicus in-

gre-

grediatur Religionem, durante anno probationis fructus præbendæ suæ non lucretur, tametsi à residentia justè excusetur, adeoque nec ipse post regressum è Monasterio, nec Monasterium post ipsius professionem illos exigere poterit, quia hæc absentia causa privatam duntaxat Canonici utilitatem respicit, nec specialiter à jure privilegiata est. Garz. *dict. part. 3. cap. 2. num. 34. & seqq.* Contrarium defendit P. König *h. t. num. 26.*

33 Quæres VIII. An, & ex quibus causis Canonici à Choro absentes *distributiones quotidianas* lucrentur? Ante resolutionem notandum I. inter distributiones quotidianas, & fructus, sive redditus beneficii id discriminis intercedere, quod fructus beneficii illi dicantur, qui titulo beneficii beneficiario obveniunt, & in fixo consistunt, nec intuitu certi ministerii Divini dantur. Distributiones verò quotidianas propriè illas appellamus, quæ dantur Canonici propter præsentiam in Choro; quò etiam spectant præsentia pro illis fundata, qui Anniversariis interfunt, per *cap. un. h. t. in 6. in fin.* Card. de Luca *Disc. 16. de Canonic. n. 3.* qui insimul advertit, quod *materia grossa*, ut vocant, seu illa emolumenta, quæ vel in fine cujuslibet anni, vel aliàs statutis temporibus inter Canonicos distribui solent, tunc ad redditus beneficii pertineant, quando intuitu ipsius Canonicatus sine respectu ad interestiam in Choro dantur: quando verò ejusmodi fructus obveniunt intuitu certi oneris personalis, putà, dicendi certas per hebdomadem missas, aut assistendi in Choro Divinis Officiis, ad distributiones quotidianas reduci debeant.

Notandum II. Circa istas distributiones singulariter à Concil. Trident. *Sess. 21. cap. 3. & Sess. 22. de Reformat. cap. 3.* statutum esse, quòd, si in Ecclesiis Cathedralibus, aut Collegiatis tam exigua sint distributiones, ut Canonici eorum intuitu ad Chori frequentationem non incitentur, tunc tertia pars omnium fructuum, & obventionum, totius Capituli in distributiones converti debeant. Vid. Barbof. in *Collectan. ad cit. loc. Concil.*

Notandum III. Quòd si omnes fructus, & proventus Capituli in meris & solis distributionibus consistenterent, tunc justa ex causa Canonici absentes illas lucrarentur, saltem quoad duas partes hodie post Concil. Trid. tertia parte relicta iis, qui Ecclesiæ personaliter in Choro deserviunt, nè aliàs Canonici in illis Ecclesiis, ubi redditus omnes consistunt in *distributionibus*, melioris conditionis essent iis, in quibus redditus sunt distincti à distributionibus, præcipuè, cum id declaratum sit eì S. Congregat. circa studentes, ut refert Fagnan. in *cap. 7. h. t. num. fin.* qui hisce Clericis æquiparantur. His prænotatis

Respondeo, & dico, Canonicos à Choro absentes distributiones quotidianas lucrari, si vel privilegio Apostolico muniti sint, vel legitimo impedimento, aut causa alia necessaria detineantur, quominus Choro interesse queant. Ex privilegio Apostolico lucrantur distributiones I. Auditores Rotæ, ac si actualiter interessent Divinis Officiis. Clem. VII. *Constit.* quæ incipit: *Convenit edita Nonis Augusti 1525.* II. Inquisitores contra Hæreticam pravitatem ex Concessione Pauli III. & Pii V. ut refert Garz. *de Benefic. part. 3. cap.*

cap. 2. num. 56. III. Collectores, & Sub-Collectores Camerae Apostolicae, item Advocati, Procuratores, Fiscales & Notarii ejusdem Camerae ex privilegio Sixti V. ut testatur Moneta de *Distribut. Quotid. part. 2. quest. 11. num. 111.*

Propter legitimum impedimentum distributionibus quotidianis potiuntur I. Archi-Diaconi, dum visitant suam Ecclesiam. Garz. *d. part. 3. cap. 2. n. 333. & seqq.* II. Pœnitentiarii deputati ad excipiendas Confessiones in Ecclesia Cathedrali, si audiant tempore Divini Officii Confessiones pœnitentium. Garz. *part. 5. cap. 4. num. 124. & seqq.* Card. de Luca in *Annot. ad Concil. Trid. disc. 15. num. 5.* III. Professor Theologiae, habens præbendam Theologalem, diebus, quibus in Schola docet, distributiones singulis illius diei Canonicis Horis correspondentes integras percipit ex declaratione Gregorii XIII. ut refert sæpe laudatus Garzias *d. cap. 2. num. 118.* IV. Qui Concilio Generali, aut Provinciali, seu Synodali interfuit. Rebuffus in *Praxi Benefic. part. 3. tit. dispensat. de non resid. n. 34.* V. Præpositi, Decani, Canonici, quorum Dignitati, aut Canonici Parochia incorporata est, dum in Parochia resident, & Sacramenta ibidem administrant. Concil. Trid. *cit. Sess. 22. cap. 3.* item illi, qui curam animarum non quidem dignitati, vel Canonici, sed Ecclesiae Cathedrali, ubi Canonici obtinent, annexam exercent. Quod tamen eo duntaxat casu procedere, scribit Card. de Luca. in *Annot. ad Concil. Trid. disc. 15. num. 6.* quo participatio massæ distributionum ipsis in congruam computatur. Quodsi Dignitati, aut Canonici incorporata non fuerit,

sed aliunde per dispensationem obtenta, tunc quoad fructus beneficii quidem privilegiati erunt, non autem quoad distributiones, ut patet ex *Declarat. Cardin. ad d. cap. 3. Trid. num. 7.* VI. Canonici, & beneficiati, qui ex privata etiam devotione, & citra iussionem superioris, sub anniversario v. g. vel dum Horæ dicuntur, Missas in Ecclesiis sui Canonicatus, vel beneficii legunt, de jure quidem communi distributionibus non gauderent, uti constat ex declaratione Cardinalium, quam refert Garzias *d. l. n. 308.* bene tamen de consuetudine, quam rationabilem esse posse, maxime in partibus nostris, ubi Canonici non per seipso, sed per Vicarios psallere consueverunt, judicat idem Garzias *num. 401.* & Zypæus in *Analyti b. t. n. 31.* cum totum cedat ad majorem Cultum Divinum, & Canonici exinde inducantur ad celebrandum. VII. Quos infirmitas, seu justa, & rationabilis necessitas corporis à residentia excusat, puta periculum latronum, inundatio aquarum, contagiosa lues, exilium, & alia similia impedimenta, quæ non patiuntur corpus beneficiati Divinis interesse. *cap. un. b. t. in 6. Barbof. in Collect. ad Conc. Trident. Sess. 24. cap. 12. num. 88.* item illi, qui sine sua culpa, & voluntate à frequentandis Divinis Officiis impediuntur arresto fortè, excommunicatione, aut alia censura injustè inflicta, dummodo tamen hi aliàs extra infirmitatem, & alias recentitas causas Horas Canonicas frequentare soliti fuerint. Garz. *d. cap. 2. n. 363.* Card. de Luca *disc. 16. de Canonic. n. 4.* & in *Annot. ad Conc. Trid. disc. 15. n. 4. & 17.* Nec interest, an infirmi vitio suo, & intemperantia vitæ causam de-

derint, si cæteroquin Chorum diligenter frequentare soliti sint. Barbof. ad cap. 12. Sess. 24. Concil. Trid. n. 96. & de Offic. & Potest. Episcop. part. 3. allegat. 53. num. 167. Garzias d. num. 363. aliquot Declarationes Cardinalium adducens, specialiter verò num. 344. ab eadem Sac. Congregatione & Gregorio XIII. statutum illud, vel consuetudinem Ecclesiarum approbatam testatur, quæ is, qui beneficio suo per 40. annos continuos per se ipsum deseruit, de cætero, quoad vixerit, tanquam emeritus à Choro abesse, & fructus beneficii, unà & distributiones quotidianas percipere possit.

34 Nota, quod recensitis casibus Canonici ab Ecclesia sua absentes distributiones quotidianas lucrari valeant, id non tam juri communi in acceptis referendum habeant, quàm consuetudini à jure non reprobata. De jure enim communi antiquo in cap. un. b. t. in 6. expresso, nulli, nisi actualiter in choro præsentibus distributiones lucrari poterant, quam constitutionem deinde innovavit jus novissimum in Concil. Trid. Sess. 24. de Reform. cap. 12. reprobans tanquam corruptelam omnem consuetudinem, concedentem distributiones quotidianas aliis, quàm, qui

actualiter, & verè horis Canonicis interfuerint, *exceptis illis duntaxat, quos infirmitas, seu justa, & rationabilis corporalis necessitas, aut evidens Ecclesiæ utilitas excusaret.* Qua exceptione Pontifex non intendit distributiones quotidianas omnibus illis concedere, qui ex causa corporalis infirmitatis, vel evidentis Ecclesiæ utilitatis absunt, sed illam duntaxat consuetudinem, si quæ uspiam invaluisset, ut ex dictis causis liceat absentibus distributiones percipere, non esse improbandam censet. Quis enim dubitet, ait Van-Espen *J. E. V. part. 1. Tit. 7. cap. 11. num. 2.* „ in Ecclesiæ utilitatem cedere, ut Canonici in regimine Ecclesiæ Episcopo assistant, & inserviant? & tamen, si jus commune spectemus, distributiones eis absentibus non debentur, Similiter negari nequit, quin absentia Canonicorum studiorum causâ in Ecclesiæ utilitatem cedere possit, & tamen distributiones quotidianas nemo eis assignat. Ut ergò de recipiendis in absentia distributionibus rectè judicemus, non tantum inquirendum, an corporalis infirmitas, aut evidens Ecclesiæ utilitas absentiam excuset, sed an etiam aliqua Ecclesiæ ordinatio, vel consuetudo concurrat. Hæc cit. *Auth.*

§. IV.

Quas pœnas incurrant residentiam negligentes?

S U M M A R I A.

35. Pœna in non residentes tum Prælatos majores, tum Parochos enumerantur in Concil. Trid. Sess. 6. de Reform. cap. 1. & Sess. 23. cap. 1. 36. Possunt pro qualitate contumaciæ aliæ adhuc pœnæ infligi. 37. Pœnas tamen à Concil. Trid. in non residentes statutas non incurrit Parochus residens, qui curam per suos Cooperatores exercet. 38. Nec pœna privationis contra Parochos non-

residentes decreta ipso jure incurritur. 39. Quæ pœna à Concilio in Canonicos non residentes sint decreta? 40. Non est in arbitrio Canonici residentiam, renuntians perceptioni fructuum, negligere. 41. Quid de Canonico ultra tres Menses absente in ordine ad perceptionem fructuum?

35 **C**UM ex neglecta residentia, & cura animarum negligi, & cultus Divinus minui, aliæque damna Ecclesiis imminere soleant. *arg. cap. 6. de Elect. in 6. idèò variæ pœnæ in reside-re negligentibus à jure decretæ sunt, & quidem circa Prælatos majores puta, Patriarchas, Archi-Episcopos, Episcopos Concil. Trident. Sess. 6. de Reform. cap. 1. Sess. 23. cap. 1. Antiquos Canones in cap. 20. & seqq. C. 7. Q. 1. cap. 34. de Elect. in 6. qui temporum, atque hominum injuria penè in desuetudinem abierrunt, adversus non residentes promulgatos innovat, statuitque, ut si quis ex prædictis Prælatibus legitimo impedimento, seu justis & rationabilibus causis cessantibus sex mensibus continuis extra suam Diocesim morando absuerit, quartæ partis fructuum unius anni, fabricæ Ecclesiæ, pauperibus loci per superiorem Ecclesiasticum applicandorum pœnam ipso jure incurrat. Quodsi per alios sex menses in hujusmodi absentia perseveraverit, aliam quartam partem fructuum similiter applicandam eo ipso amittat. Crescente verò contumacia, ut severiori SS. Canonum censura subjiciatur, Metropolitanus suffraganeos Episcopos absentes; Metropolitanum verò absentem suffraganeus Episcopus antiquior residens pœna interdicti ingressus Ecclesiæ eo ipso incurrenda infra tres menses per litteras, seu nuntium Romano Pontifici denunciare teneatur: qui in ipsos absentes, prout cujuscunque major, aut minor contumacia exegerit, suæ supremæ sedis*

authoritate animadvertere, & Ecclesiis, ipsis de Pastoribus utilioribus providere poterit, sicut in Domino noverit salubriter expedire. Ita Trid. Sess. 6. de Reform. cap. 1. sub Paulo III. quas pœnas dein Sess. 23. de Reform. cap. 1. innovavit, & nè prius sub Paulo III. statuta in sensus à SS. Synodi mente alienos trahantur, ac si vigore illius Decreti saltem 5. Mensibus continuis impunè abesse liceat, etiam eos, qui prædicto modo ultra tres ad summum menses absuerint, præter mortalis peccati reatum pro rata temporis absentiæ fructus suos non facere, nec tuta conscientia, alia etiam declaratione non secuta, illos sibi detinere posse, sed fabricæ Ecclesiarum, aut pauperibus loci erogari debere statuit. Iisdem quoque pœnis Parochos, & alios, beneficium curatum habentes, ob neglectam residentiam subjici, patet ex verbis cit. Sess. 23. cap. 5. Eadem omnino etiam quoad culpam, amissionem fructuum, & pœnas de curatis inferioribus, & aliis quibuscunque, qui beneficium aliquod Ecclesiasticum, curam animarum habens, obtinent, Sacrosancta Synodus declarat, & decernit.

Quæres I. An præter dictas pœnas 36 alix adhuc statui possint? Respondeo affirm. pro qualitate contumaciæ, & negligentix, ita, ut ad depositionem quoque procedi possit. Concil. Trid. cit. Sess. 23. cap. 1. cap. 2. & 9. h. t. Imò Novissimâ Urbani VIII. Constitutione edita 7. Decemb. 1634. quæ incipit: Sa-

cra Synodus &c. & refertur à Barbof. *de Offic. & Potest. Episc. part. 3. alleg. 53. n. 21.* omnes Episcopi, Archi-Episcopi, tametsi simul Cardinales sint, sub virtute S. Obedientiæ, & pœnis interdicti ingressus in Ecclesiam, amissionis fructuum pro rata temporis, & facultatis testandi, casu, quo eam à Sede Apostolica impetrâssent, ipso facto incurrendis, ne quid propter negotia publica Regni, Imperii, nec ad Mandatum Cæsaris, vel Regis, nec prætextu pietatis, necessitatis, utilitatis Ecclesiarum, vel quacunque causa publica ab Ecclesiis suis recedere prohibentur, nisi prius à S. Pontifice expressam licentiam per *Breve*, vel *Litteras Missivas*, ut vocant, obtinuerint.

37 Quæres II. An, si Parochus non quidem à sua Parochia absit, omnia tamen per Cooperatores suos administret, pœnas Tridentini incurrat? Affirmat Sylvester in *V. Residentia n. 1. § 6.* eò, quòd talis ex mente & ratione legis residere non censeatur, qui Sacramenta non administrat. Verùm non minus probabiliter negativam tuetur Garzias *Part. 8. cap. 2. num. 53.* quia scilicet pœna Tridentini tantum in absentes lata est, & pœnalia propter casus similes, vel graviores similes non expressos haud extendenda sunt. Interea dubium non est, quin talis malè & contra jura agat, & ideo beneficio privari possit; fructus tamen interim suos faciet: sicut nec ille fructus amittit, sive Episcopus, sive Parochus, qui officio suo malè fungitur, quamvis reprehensione dignior, quàm qui saltem per alios sua ritè exequitur.

38 Quæres III. An pœna privationis beneficiorum contra Parochos non re-

sidentes ipso jure inducatur? Respondeo negativè, sed esse per sententiam privandos. Colligitur *ex cap. 6. 8. 10. § 11. h. t. & Concil. Trid. Sess. 23. de Reform. cap. 1.* ubi liberum relinquitur ordinariis, Parochos non residentes, & contumaces, per censuras Ecclesiasticas, sequestrationem, & subtractionem fructuum, aliæque juris remedia, etiam usque ad privationem compellere. *Garz. num. 139. Flam. Paris. de Resign. benef. l. 1. cap. 10. num. 61.* Imò non posse deveniri ad privationem, nisi monitio, vel citatio præmissa fuerit, quodcumque etiam tempore à Parochia aliquis abfuerit, patet *ex cap. 8. h. t.* ubi Decanus quidam integro decennio Ecclesiæ suæ præsens non fuit, nec tamen ante monitionem præviam ea privatus extitit. *Concordat Trid. cit. Sess. 23. cap. 1.* Opus igitur erit citatione *personali* per litteras, aut nuncium, si sciatur, ubi absens moratur, vel *edictali*, si nesciatur, aut aliàs personaliter citari nequeat. Et *personalis* quidem citatio una sufficit. *d. cap. 8. h. t. Edictalis* verò trina requiritur *cap. 11. h. t.* Ratio est, quòd, qui personaliter citatus non venit, cum venire possit, eo ipso contumax est, & quia tunc de ejus contumacia jam constat, ut supponitur, ulteriori citatione opus haud erit. Qui verò citatur per *edictum*, cum tali casu certò sciri non possit, an citatio reipsa ad citatum pervenerit, non statim formaliter contumax est, sed sictè duntaxat, & præsumptivè; & ideo trina citatio requiritur, ac nisi speciale moræ periculum fuerit, sex insuper Mensibus expectandum erit, donec sententia privationis promulgetur. *cap. 11. h. t. Panorm. lib. 1. Consil. 67. num. 2.*

Rota apud Farinac. *decif. 137. part. 1. Garzias num. 155. & seqq.* Card. de Luca in *Annot. ad Concil. Trid. discurs. 4. num. 15.*

39 In illos, qui Canonicatus, dignitates, præbendas, aut portiones in Cathedralibus, seu Collegiatis Ecclesiis obtinent, & residentiam facere negligunt, sequentes pœnas Concil. Trid. *Sess. 24. de Reform. cap. 12.* docuit; primo anno, si ultra tempus à jure, vel consuetudine concessum abfuerint, jubet ipsos privari dimidia parte fructuum, quos ratione præbendæ etiam, & residentiæ fecerunt suos. Quodsi iterum eadem fuerint usi negligentia, privandos statuit omnibus fructibus, quos eodem anno lucrati fuerint. Crescente verò contumacia contra eos juxta SS. Canonum Constitutiones etiam per censuras, atque ad ipsam beneficii privationem procedi imperat; antequam verò deveniatur ad privationem, præfatos pœnarum gradus necessariò omnino servare oportet, ac insuper prius citandi sunt, ut legitimo juris ordine servato, suo Canonicatu priventur ob intermissam residentiam. *cap. 1. h. t.* & quidem citatione *personali*, aut, si ignorantur, vel citatio commodè ad ipsos non valeat pervenire, per *edictum*, idque ter in Ecclesia repetitum, & post ultimum edictum adhuc per sex mensium intervallum expectandi sunt. *Argum. cap. 11. h. t.* Aliter factam privationem nullam esse docent Zerol. in *Prax. Episcop. part. 1. cap. 3. num. 10.* Garz. *dict. part. 3. cap. 2. num. 154.* qui *num. 155.* subdit, in personaliter citato non requiri trinam citationem, sed sufficere unam eamque etiam extrajudicialem,

nec esse expectandum per sex menses, sed tempus esse arbitrium. Vid. Barbof. *loc. cit. num. 15. & 19.* Fagnan. in *cap. 11. h. t. n. 14. & 36.*

Quæres I. Nunquid saltem Canonicus, si fructibus ultrò carere velit, etiam ultra tres menses tutà conscientia abesse valeat? Respondeo cum Garzia *Part. 3. cap. 2. num. 319.* quamvis quidem aliqui liberè & absque ullo conscientiæ scrupulo id faciant, de jure tamen contrarium probabilius esse, eò quòd prædicta Tridentini constitutio non purè *pœnalis*, sed *lex mixta* sit, adeòque in conscientia etiam ad actum obligatoria, maximè cum hæc obligatio originaliter non tam ex Tridentino, quàm ex jure communi descendat. *cap. 4. & 6. h. t. cap. fin. de Rescript. in 6.* & pro hac sententia tres declarationes Cardinalium adfert Garz. *l. c. num. 322.*

Quæres II. An Canonicus ultrà tres menses absens non tam fructus pro rata absentia, sed etiam ceteros medii, vel totius anni, quos propter residentiam jam fecit suos, ipso jure perdat, ut ne quidem in conscientia, dissimulante Episcopo, illos retinere possit? Respondeo cum laud. Garz. *n. 149. & seq.* Episcopum quidem contra Concil. Trid. dispensare, & pœnam ab eo statutam remittere non posse; si tamen exigere negligat, probabiliter Canonicus tales fructus bona conscientia retinere poterit, utpote quorum dominium jam semel acquisivit, quod Concilium Trid. non adimit, ipso jure, sed per sententiam adimi vult, ut patet ex verbo *privetur*, & nemo tenetur pœnas à se ipso exigere.

TI-

TITULUS V.

De Præbendis, & Dignitatibus.

IN præfenti Titulo, ceu in propria sede *Beneficiorum Ecclesiasticorum* natura, & indoles describitur, quorum alia sunt *Majora*, alia *Minora*, illa secundum sensum præfentis Rubricæ *Dignitates*, ista *Præbende* indigitantur. Præterea in hoc Titulo etiam agitur de jure collatorum, tam Ordinario, quàm extraordinario, & variis circa collationem beneficiorum reservationibus, quæ omnia (cùm potioem Juris Ecclesiastici partem faciant) accurata lima examinanda, & ex antiquitatibus Ecclesiasticis, nec non SS. Canonibus evolvenda sunt.

§. I.

Quid Nominis sit Beneficium? Quando cœperint beneficia Ecclesiastica? Et quæ propria eorum sit indoles?

SUMMARI A.

1. Beneficium variè accipitur. 2. Propinquior illa acceptio beneficiis Ecclesiasticis est, quæ feudis tribuitur. 3. Origo beneficiorum Ecclesiasticorum inquiritur. 4. Beneficium, prout hodie accipitur, differt à Canonica, & Præbenda, & quomodo? 5. Beneficium Ecclesiasticum definitur, subjuncta singularum particularum analysi. 6. Nomine beneficii simpliciter prolati non veniunt beneficia curata, aut Prælature Majores, nisi materia sit favorabilis. 7. 8. 9. An Capellania, Commenda, Præstimonium sit beneficium propriè dictum? 10. Item an Hospitalibus hoc nomen appropriari possit?

Beneficium vox adeò vaga est, ut ad ea duataxat, quæ personis Ecclesiasticis conceduntur, neutiquam se arctari patiatur. Sic gratiæ, & favores Principum vocantur beneficia cap. 16. de R. J. in 6. illaque amplissimè interpretari convenit. cap. 6. de Donat. l. fin. ff. de Constit. Item auxilia prætoria v. g. restitutio in integrum, nomine beneficii veniunt. Legimus etiam hoc vocabulum tribui commodato l. 17. §. 3. ff. commod. omnibusque aliis donis, & largitationibus aptari. cap. 6. de Sepult. Quin etiam feuda beneficii appellatione comprehendi constat ex Tit. 18. feud. 2. & Tit. 23. feud. 2. ubi Obertus de Orto beneficii definitionem ex Seneca lib. 1. de Benef. sc-

recenset, quod scilicet sit *benevola actio*, *tribuens gaudium capienti*, *capiensque tribuendo*, in id, quod facit, *prona*, & *sponte sua parata*. Gregor. Tholos. *fyntagm. Jur. lib. 17. cap. 1. num. 1.* Joann. Borcholten in *Comment. ad consuet. feud. cap. 1. num. 11.*

2 Nulla harum appellationum *beneficii Ecclesiastici* indolem exprimit, nisi quod illa, quæ feudis tribuitur, analogicam quandam convenientiam cum *beneficiis Ecclesiasticis* habeat, saltem secundum primævum, eúmque satis rudem & imperfectum statum, quo possessiones, & aliæ res Ecclesiasticæ *beneficia* vocari solita sunt. Olim enim, sicut Imperatores ducibus, & militibus suis in præmium navatæ strenuæ in bello operæ agros, & prædia donabant, eo pacto, ut suo deinceps sumptu stipendia facerent; ita Ecclesia & Principes bona Ecclesiastica, quæ Laicorum rapacitas ultrò ad se traxerat, ea conditione tandem fruenda iisdem concessit, ut similiter propriis ex inde collectis stipendiis viverent, regnùmque, ac Ecclesiam armis suis tuerentur, & idcirco illa bona cœpere dici *beneficia*. Postquam verò hæc ipsa bona ob iniquam usurpationem laicis rursus ab Imperatoribus, & regibus adempta, Clericis, Monachisque restituta fuere, inhæsit ipsis usque ea vox *beneficii*, quæ deinceps latius accepta, omnes prorsus *titulos*, & *dignitates* sive regularium, sive sæcularium complexa est. Thomass. *vet. & nov. Eccles. discipl. Part. 2. lib. 3. cap. 13. num. 5.* Vid. Van-Espen *J. E. V. Part. 2. tit. 18. cap. 1. §. 2. & seqq.*

3 Si paulò altius in ipsa beneficiorum Ecclesiasticorum (prout hodie constituta sunt) initia inquirere volumus,

originem eorundem in primitiva Ecclesia non reperimus. Erat enim primis nascentis Ecclesiæ temporibus inter omnes fideles non tantum unio animorum, sed etiam communio bonorum, & quidem nonnisi *mobiliam*, in pecunia, aut aliis rebus ad amictum, & vestitum necessariis consistentium, à fidelibus liberè, & spontaneè oblatores, quæ, furente id temporis in Christianos persecutore gladio, facilius asportari, abscondi, aut distribui poterant, quàm *immobilia*. Tertullianus *apolog. cap. 39.* Postquam verò immanes illi persecutionum fluctus posuere, & pax Ecclesiæ reddita est, Imperatores Christianis sacris imbuti liberalissimas prædiorum, aliorumque bonorum donationes Ecclesiæ fecerunt, quæ tamen rursus manebant bona *communis*, & ex nutu Episcopi in Clericos, & pauperes distribuebantur. Mos autem generatim is fuit, ut quatuor partes fierent, quarum una *Episcopo*, & familiæ ejus propter hospitalitatem exercendam; altera *Clero*, tertia *pauperibus*, quarta *Ecclesiis reparandis* cessit. *cap. 30. C. 12. Q. 2.* Verùm Clerici, qui portionem suam ab Ecclesia accipere poterant, ut populo ostenderent exemplum perfectionis Christianæ, jure suo sæpè neglecto, vel pauperibus exemplo Apostolorum omnia erogarunt, suo labore vitam tolerantibus, vel in communi viventibus, omni rerum humanarum cura soluti, paupertatem velut Monachi coluere (id quod tempore Chrodogangi Episcopi Metensis factum est) & hi deinceps Canonici vocati sunt. *cap. 10. & seq. C. 12. Q. 1.* Hæc bonorum Ecclesiasticorum primis octo sæculis facies, hic usus erat. Vid. Thomassin. *part. 3. lib.*

lib. 1. cap. 2. num. 5. cap. 3. n. 1. & seqq. cap. 4. num. 1. & lib. 2. cap. 13. num. 1. & 2. Claud. Fleury *Instit. Jur. Eccles. cap. 10. & seq.* Tandem ab hac communione, & regulari vivendi norma pedetentim recessus factus est (cujus recessus causas, quem Bœhmerum legere delectat, inveniet in §. 53. ad h. t. & apud Thomassin. *part. 3. lib. 2. c. 19. num. 9.*) & Canonici, & Officiales Ecclesiarum bona separata possidere cœperunt, quæ Officio Ecclesiastico juncta *beneficium* appellabantur. Primus, qui Parochias certis limitibus distinxit, & singulas singulis Presbyteris dedit, certosque proventus, ac jus cuique proprium pro sustentatione assignavit, perhibetur fuisse S. Dionysius Papa, qui ad Clavum Ecclesiæ sedit Anno Domini 259. ut videtur probare textus in *cap. un. C. 13. Q. 1.* & testatur Lotter *de re benef. lib. 1. Q. 8. num. 18.* Sed malè, quia illa Epistola ad Severum Cordubensem Episcopum scripta, quæ in *cit. cap. un. C. 13. Q. 1.* refertur, viris doctis *supposititia* creditur, ut ostendit Pagius in *Breviar. Histor. Chronolog. Critic. tom. 1. pag. 57.* id tamen huic Pontifici attribuit Baronius apud mox laudatum Pagium, quod pluribus Ecclesiarum Presbyteris in persecutione Martyrio vita functis, easdem iterum diviserit, & pro ratione distribuerit. Ipsa ergo beneficiorum institutio, pro ut hodie cum *titulo*, & *jure perpetuo* percipiendi redditus conceduntur, recentior est, quam ut ad dict. Pontificis tempora referri queat. Fortè non erraveris, si eorundem initia à Sæculo IX. vel X. repetas. Ea quippe tempestate, cum nollent amplius Clerici jus percipiendi redditus, & proventus quasi pre-

carior, & ex liberalitate Episcoporum habere (id quod tamen jure antiquorum Canonum cautum erat, ut constat ex *cap. 61. C. 16. Q. 1.*) cœperunt singulæ Ecclesiæ (scribit Van-Espen *J. E. V. part. 2. tit. 18. cap. 1. §. 11.*) „ Jus „ percipiendi proventus intra limites „ suarum Ecclesiarum, suis Presbyteris, „ independenter ab Episcopis, vindica- „ re, invaluitque tandem juris axioma, „ quod Parochi habeant fundatam in- „ tentionem ad percipiendas decimas, „ oblationes, aliósque proventus intra „ fines suarum respectivè Parochiarum „ provenientes. Jus itaque fructus per- „ cipiendi jam non personis, sed Eccle- „ siis, seu Titulis, annecti cœpit, ita, ut, „ qui Titulum haberet, jus quoque fru- „ ctus percipiendi ex bonis Titulo an- „ nexis consequeretur: quæ disciplina „ tandem universaliter obtinuit, & re- „ cepta est. Hæc de beneficiorum origi- „ ne, & veteri Ecclesiæ circa ea disci- „ plina compendiò referre placuit, ut constet, quod, quanquam circa Eccle- „ siasticorum proventuum dispensationem diversa à veteri invaluerit disci- „ plina, nihilominus, si spectetur ipsa beneficiorum collatio, conditio, & be- „ neficiatorum obligatio, ipse Ecclesiæ spiritus in his manserit invariatus. Unde, antequam ipsam *beneficii Ecclesiastici* definitionem adornemus.

Præmittendum: Beneficium non-
nunquam appellari *Canoniam*, subinde
etiam *Præbendam*, quamquam, si strictè
loquamur, inter hæc vocabula magna
sit differentia. *Canoniam* quippe dicitur
jus habendi sedem in Choro, & vocem
in Capitulo, quod acquiritur ex rece-
ptione in fratrem, sive Collegam. *Præ-
benda* sumitur pro fructibus *Canoniam*,

Q

&

& est jus percipiendi certos redditus ab Ecclesia, quod ex *Canoniam* sequitur tanquam filia ex matre: hoc ipso enim, quod aliquis in Canonicum receptus fuerit, etiam de *Præbenda*, ut primum fieri potest, eidem provideri debet *cap. 9. § 19. b. t.* unde *præbenda* propriè dicta tantum in Canonicatibus Ecclesiarum Cathedralium, vel Collegiarum obtinet. In sensu verò latiori sumpta est *jus percipiendi redditus ab Ecclesia ex Titulo servitii temporalis*, quod laico quòque competere potest, v.g. Organistæ, Ædituo & ejusmodi, & ideo dividitur in *temporalem*, & *Ecclesiasticam*. Cui consequens est, ut notat Gregor. Tholos. in *Institut. novis rei Benefic. cap. 11. num. 15.* quod possit haberi *præbenda temporalis* absque *Canoniam*, sive jure spiritualis beneficii. Item *Canoniam* absque actuali *Præbenda*. Beneficium denique est jus percipiendi redditus ab Ecclesia, personæ Ecclesiasticæ propter servitium spirituale, & in hoc sensu.

Beneficium describitur cum nostro Petro de Murga *Tract. de Benefic. Eccl. Q. 1. num. 1.* & aliis ab eodem relatis, quod sit *jus perpetuum percipiendi redditus, & fructus ex bonis Ecclesiæ, ratione spiritualis officii, auctoritate Ecclesiastica pro persona Ecclesiastica constitutum.*

Dixi I. *Jus*, quod in beneficio duplex est, aliud ad spiritualia ministranda, putà Sacramenta, offerendi Missas, &c. & hoc jus est *spirituale*, & à DEO institutum. Azor. *Part. 2. lib. 6. cap. 19. Q. 1.* Aliud ad percipiendos fructus, seu bona Ecclesiastica beneficiario ad victum, cultumque suum assignata, & hoc jus per se quidem *temporale* est, per accidens tamen, & pro-

pter respectum ad officium est *spirituale*, nec sine *simonia* vendi potest. Hoc jus in beneficio vocatur etiam *titulus*, seu facultas, justaque causa prædicta bona vindicandi ob spirituale ministerium; Murga *cit. Quest. num. 2.*

Dixi II. *Perpetuum*, regulariter enim ad omnem vitam Beneficiati durare debet, qui ideo sine *titulo* ordinari debere dicitur in *cap. 2. § 4. b. t.* unde *vicariæ*, & *commendæ temporales* beneficia propriè non sunt, quia perpetuæ non sunt. Econtrà Parochiæ monasteriis incorporatæ sunt vera beneficia, quanquam earum Vicarii ad nutum Prælati amoveri queant, quia incorporatio est locò collationis perpetuæ, & Abbas principalis Rector censetur, vel ut ait Murga *cit. Quest. num. 7.* quia beneficia regularia aptitudine sunt perpetua, & regulares ea obtinentes potius ratione obedientiæ, quam ex natura beneficii amovibiles sunt, ubi simul notandum, quod regulares quidem, semper ad nutum sint revocabiles, licet tamen sine causa revocari nequeant. *Clem. un. de Supplend. neglig. Prælat. in v. càm oportuerit*, hoc est, cum æquum & rationale superiori visum fuerit. Murga cum aliis à se citatis. *num. 9.*

Dixi III. *Percipiendi redditus & fructus ex bonis Ecclesiæ*, quia fructus quidem ad beneficiatos, bona verò, ex quibus illi percipiuntur, ad Ecclesiam pertinent.

Dixi IV. *Propter Officium spirituale*, quia beneficium datur propter officium *cap. fin. de Rescript. in 6.* & ideo perceptio reddituum, quæ datur ab Ecclesia ministris sæcularibus propter officium *temporale*, beneficium dici non potest, sicut nec redditus, qui Clericis quidem dan-

dantur; propter ministerium tamen don-
taxat *temporale*.

Dixi V. *Authoritate Ecclesiastica
constitutum*. Requiritur enim, ut au-
thoritate S. Pontificis, vel Episcopi be-
neficium fundatum fuerit. Unde licet
aliquis certas Missas, aut anniversarium
fundaverit, priusquam tamen Episcopi
authoritas accesserit, pia quidem dona-
tio, vel legatum dici poterit, neuti-
quam verò beneficium.

Dixi VI. *Pro persona Ecclesiastica*,
hoc est, idonea juxta *cap. 29. h. t.* &
regulariter digniore, conformiter Con-
cil. Trid. *Sess. 24. de Reform. cap. 1. &
cap. 18.* saltè, si *curatum* fuerit. Lai-
cus verò beneficii, tanquam *rei spiri-
tualis* omninò incapax est, adè, ut
& Clericus in *Minoribus* matrimonium
contrahens, ipso facto beneficium per-
dat, per ea, quæ tradidi in *Tit. 3. h. l.*

Insuper requiritur, ut *collatio*, vel
institutio accedat, & quidem à persona
Ecclesiastica faciendâ, tum, quod ne-
mo sibi ipsi beneficium conferre, aut
jure hæreditario in eodem succedere
possit. *cap. ult. de Instit. sed institutio-
ne Canonica* opus sit. *cap. 1. de R. J. in 6.*
tum, quòd laici, esto per speciale pri-
vilegium *Juris Patronatus* capaces cen-
seantur, non tamen collationis, vel in-
stitutionis. *cap. 3. de Instit.*

Addunt aliqui VII. ut *collatio pu-
rè*, non sub *conditione*, vel in *diem* fiat,
aliàs enim eo ipso *perpetuum* non foret.
Item, ut gratuitò concedatur, sine con-
ventionem, promissione lucri, vel com-
modi temporalis, sine diminutione &c.
de quibus suo loco dicitur.

6 Circa datam & explicatam defini-
tionem nota, quod, etsi omnibus bene-
ficiis, etiam *curatis*, imò & Prælaturis,

ac Dignitatibus conveniat, regulariter
tamen nomine *beneficii simpliciter* pro-
lati, non *curatum*, sed *simplex* tantùm
intelligatur, nisi materia favorabilis fue-
rit, ut limitat Innocentius ad *cap. ult.
h. t.* Hinc, si S. Pontifex alicui Clerico
simpliciter de aliquo beneficio provide-
ri maudet, *simplex* intelligitur, non *cu-
ratum*: imò licet de *Personatibus*, &
Dignitatibus, vel aliis beneficiis quibus-
cunque provideri jubeat, adhuc tamen
curata excepta censentur, nisi curæ ani-
marum mentio expressa habita fuerit.
cap. 16. h. t. in 6. imò licet Dignitates,
& beneficia etiam *curata* exprimantur,
ad quorumcunque provisionem, vel
dispositionem spectantia, adhuc exclu-
sa censentur *Electiva. d. cap. 16.* licet
etiam in principio, & sine rescripti men-
tio Electionis facta sit, dummodo non
in ipsa concessione Gratia. *Clement. 1.
h. tit.*

7 Quæres I. An *Capellania*, quæ con-
tinet onus certas Missas celebrandi in
aliqua certa Ecclesia, vel Altari, verum
beneficium sit? Respondeo, si autho-
ritate Episcopi erecta, & alicui Clerico
in perpetuum conferatur, verum esse
beneficium: secùs dicendum, si sine
authoritate Episcopi talis *Capellania*
fundetur, & Capellanus ad arbitrium
Patroni laici amoveri, vel ab hærede,
sine institutione Episcopi constitui pos-
sit. *Pignatell. tom. 3. Consult. 7. num. 15.
Barbol. J. E. V. lib. 3. cap. 5. n. 15.*

8 Quæres II. An *commenda*, quâ ali-
cui Ecclesiæ, sive beneficii Ecclesiastici
cura, & administratio committitur, ve-
rum beneficium sit censendum? Re-
spondeo sub distinctione: si *commenda
temporalis* est, qualis est, quando Ec-
clesia Parocho, vel beneficiato ex legi-
timis

timis causis ad tempus impedito, alicui propter ejusdem Ecclesiæ utilitatem à S. Pontifice, Episcopo, vel alio Prælato, jurisdictionem quasi Episcopalem habente, custodienda, & dirigenda traditur, non esse beneficium, cum deficiat ejusdem perpetuitas: nam Ecclesia Parochialis ultra 6. Menses commendari non potest. *cap. 15. de Elect. in 6.* Sin verò commenda *perpetua* sit, qualem solus S. Pontifex facere potest, dum non tam propter utilitatem Ecclesiæ, quàm in favorem certæ personæ alicui Clerico sæculari Abbatiam, aut Præposituram *Regularem* (quæ alias de jure ordinario eidem conferri non possit. *cap. 5. de Præbend. in 6.* & Trident. *Sess. 14. cap. 10.*) conferat, cum facultate exercendi jura beneficii, & percipiendi fructus instar veri beneficiati; tunc enim verò *commenda* nihil deesse videtur de natura, veri beneficii. *Murga cit. Quest. 1. num. 21. & seq.* Hanc resolutionem sub eadem distinctione applica ad *Vicarios*, quæ ab eo sic dicuntur, quod quis nomine alieno curam exerceat, non tanquam rector principalis, sed tanquam substitutus, nec omnes fructus beneficii percipiat, sed quantum sufficit pro congrua sustentatione arbitrio Episcopi determinanda. *Concil. Trident. Sess. 7. de Reformat. cap. 7.*

9 Quæres III. An *Præstimonium* nomine Beneficii strictè dicti veniat? Intelligitur autem per *Præstimonium* certa portio ex Bonis Ecclesiarum detracta, & in subsidium pauperum Clericorum assignata. Resp. regulariter non esse beneficium, quia ad tempus duntaxat, nec sub obligatione alicujus functionis

spiritualis peragendæ, concedi solet. Quodsi tamen in *perpetuum* concedatur, Beneficii veri naturam induit, per textum in *cap. ult. princ. de Concess. Præbend. in 6.* Trident. *Sess. 14. de Reform. cap. 9.* & *Sess. 23. cap. 18.* Magnificus P. Schmier *lib. 3. tract. 1. part. 2. cap. 3. num. 22.*

Quæres IV. An *Hospitalia*, sive *Xenodochia* vera beneficia sint? Respondeo iterum sub distinctione: vel ejusmodi Hospitalia dantur personis laicis administranda? vel Clericis conceduntur in *Titulum*? Si prius: id genus Hospitalia beneficia non sunt, quia laici eorum administratores beneficii Ecclesiastici capaces non existunt. Si posterius, tunc rursus videndum, an Hospitalia ex sua primæva institutione dari solita sint Clericis in *Titulum*? num verò hoc in eorum fundatione cautum non fuerit? In priori casu Hospitalia nomine Beneficiorum propriè talium veniunt. Ratio est, quod, ubi ejusmodi Hospitalia ab Episcopo, & fundatoribus Clerico data sunt in *Titulum*, is jus habet *perpetuum* exigendi redditus ob ministerium sacrum, autoritate Ecclesiastica constitutum, & consequenter tale Hospitalium, cum de eo verificetur definitio Beneficii, verum erit beneficium. In casu verò posteriori, si in fundatione cautum non fuerit, ut in *Titulum* dari debeat perpetuum, Beneficium nullatenus erit, esto à trecentis annis, & ultra in hujusmodi *Titulum* hæctenus dari solitum fuerit, propter expressam sanctionem *Concil. Trident. Sess. 25. de Reform. cap. 8. in fine.* & declarationem Cardinalium ad eundem locum Concilii, quam refert Barbosa in

in *Collectaneis ad cit. cap.* & videri etiam potest Petrus de Murga *cit. Q. 1. n. 27.* & seq. De *Pensionibus*, an nomine Be-

neficiorum veniant, dicitur inferius in *Tit. 12. præsentis Libri.*

§. II.

De Varietate Beneficiorum.

SUMMARI A.

11. Beneficium aliud est Regulare, aliud Seculare. 12. Aliud simplex, aliud qualificatum. 13. Aliud Manuale, aliud Titulare. 14. Utrumque est beneficium strictè dictum. 15. Aliud rursus est electivum, collativum, & mixtum. 16. Compatibile, & incompatible. 17. Et hoc dicitur primi, vel secundi generis. 18. Quæ distinctio per Concilium Tridentinum non est sublata. 19. 20. Iterum aliud beneficium est patrimoniale, & aliud non patrimoniale. Aliud separatum, aliud unitum. 21. De modis acquirendi beneficia remissivè.

Beneficium multifariam dividitur, & quidem I. in *regulare*, & *seculare*. Illud est, quod personis sertum ordinem regularem professis conferri debet: istud, quod Clericis sæcularibus, qui nullam professi sunt regulam, committi solet, & hinc, illud brocordicon natum: Beneficia regularia regularibus, sæcularia sæcularibus conferenda esse, quod sedem invenit in *cap. 5. §. 32. de Præbend. in 6. Concil. Trident. Sess. 14. de Reform. cap. 10.*

Contingit autem pluribus modis, ut beneficium aliquod evadat *regulare*. I. Ex natura ipsius beneficii, cui in primæva sui institutione annexum officium, ipsam regularem disciplinam, & gubernia, vel quoad spiritualia, vel quoad temporalia immediatè concernens, ideoque conveniens, ut per *regulares* potiùs, quàm *seculares* administraretur. Talia beneficia sunt *Abbatia*, *Prioratus*, aliàque officia claustralia. II. Beneficium aliquod potest esse *regulare* ex in-

tentione fundatoris, qui voluit, ut beneficium regularibus attribuat, ipsùmque beneficium ea conditione ab Ordinario admissum, & erectum fuerit.

III. *Præscriptione*, si nempe monasterium aliquod Religiosos per 40. annos continuos ad beneficium aliàs *seculare* tanquam ad beneficium *regulare* exposuit, nec unquam in possessione hujus juris interturbatum fuit per *cap. 5. de Præb. in 6. Pyrrh. Corrad. prax. benef. lib. 1. cap. 6. num. 323.* Quodsi regularibus beneficium sæculare ex singulari dispensatione, aut ob penuriam Sacerdotum sæcularium fuisset collatum, natura beneficii etiam per longissimam possessionem non immutatur *Rebuff. ad concord. tit. de Collat. §. volumus, v. regularia.* Malè tamen hic author infert, *num. 326.* ut beneficium *seculare* per præscriptionem factum *regulare*, rursus ad primævum statum sæcularitatis reducatur, sufficere præscriptionem *decennalem*. Nam etiam jus decimandi alicui monasterio v.g. ex privile-

vilegio concessum, dum redit ad Ecclesiam Parochialem, reducitur ad statum primævum per *cap. 29. de Decim.* & tamen hæc reductio nonnisi decursu *40. Annorum* fieri posse dicitur in *cap. 15. de Privileg.* Ne quid dicam, quod, si beneficium *regulare*, via præscriptionis evadat denuò *seculare*, præscriptio currat contra monasterium, quod minorem præscriptionis terminum non agnoscit, quàm *40. Annorum Nov. 111. cap. 11. Nov. 131. cap. 6.* Magnif. P. Schmier *lib. 3. Tract. 1. part. 2. cap. 3. num. 58.*

12 II. Dividitur beneficium in *simplex*, & *qualificatum*. Simplex, quod nulla à jure singulariter considerabili qualitate amictum est. Tale dicitur, quod nullam fori sive *interni*, sive *externi* jurisdictionem, nec ullam aliam administrationem annexam habet. Qualis simplicis beneficii meminit Gregorius IX. in *cap. ult. de Præbend.* Quò etiam reducuntur *Canonicatus* Ecclesiarum tum Cathedralium, tum Collegiatarum ex communi Canonistarum. In materia tamen odiosa *Canonicatus* Cathedralium nomine beneficii *simplicis* non veniunt, propter eminentem eorum qualitatem super alios Clericos, utpote, qui unum corpus cum Episcopo constituunt, & quia quasi ipsis dignitatibus æquiparantur in *cap. 11. de Rescript. in 6.* & ita habere stylum Curie Romanæ observat Garz. *de Benefic. part. 1. cap. 6. num. 56.* *Qualificatum* beneficium dicitur, quod qualitatem induit singulariter à jure considerabilem, quo pertinet I. *dignitas Ecclesiastica*, quæ nil aliud est, quàm quædam præeminentia cum jurisdictione præ reliquo Clero, quàm vel habet ex primæva

institutione, vel quam ipsi tribuit longævus usus, & consuetudo. Rebuffus in *prax. benefic. part. 1. tit. seculare beneficium quotuplex num. 7.* II. *Personatus*, quæ est quædam prærogativa in Ecclesia sine jurisdictione, dum quis habet statum in choro honorificum præ aliis. Van-Espen *J. E. V. part. 2. tit. 18. cap. 2. num. 5.* III. Cui cura animarum pro foro *interno* annexa est. Dixi, *pro foro interno*, nam illa cura, quæ forum tantum *externum* & *contentiosum* respicit, & consistit in facultate, inquirendi, excommunicandi, suspendendi, & similibus, cura animarum propriè dici non meretur, nec nomine beneficii *curati* venire solet. Van-Espen *cit. tit. cap. 4. num. 1.* IV. *Officium*, hoc est, administratio rerum Ecclesiasticarum, sine jurisdictione, & præcedentia, ac alia prærogativa considerabili. Tale habere dicuntur *Syndici*, *Procuratores* alicujus Ecclesiæ, & etiam illi *Canonicatus*, quibus ex prima sui institutione aliquòd temporale officium perpetuò est annexum, ut sunt *Thesaurarius*, *Præcentor*, *Scholasticus* &c. Murga *cit. Quest. 2. num. 322.*

Dividitur III. Beneficium in *manuale*, & *titulare*. Illud dicitur, quod ad nutum conferentis revocari potest, qualia beneficia regulariter censentur esse *regularia*, ut suprâ in explicatione definitionis notatum fuit, & nonnunquam etiam *secularia*. Titulare dicitur, quod alicui in titulum, hoc est, cum facultate & jure perpetuo percipiendi redditus, fructus, & bona ab Ecclesia conceditur.

Dubitabis: An *manualitas* obsit beneficio strictè dicto? Ratio dubitandi est, quod beneficium de sui natura per-

petuitatem desideret, quam excludit manualitas, hoc ipso, quod is, qui manuale beneficium habet, ad nutum conferentis amoveri queat. Verùm oppositum tenendum est, quod manualitas non destruat naturam beneficii, tametsi in perpetuum non concedatur, modo tamen non ad certum & determinatum, sed ad incertum, & indefinitum tempus conferatur, hoc est, donec à beneficio beneficiatum remove collatori justum visum fuerit, tunc enim tempus incertum pro perpetuo quodammodo habetur. *Murga. Quest. 3. num. 473. Pyrrh. Corrad. in prax. benefic. lib. 1. cap. 6. num. 280.* Nota tamen cum *Magnif. P. König b.t. num. 24.* quòd beneficium manuale non sufficiat pro titulo ad SS. Ordines suscipiendos, nec ipse Beneficiatus manualis valeat ad tale beneficium investiri. *Parif. de Resignat. Benefic. lib. 2. Q. 6. num. 2. § 3.*

15 Dividitur IV. Beneficium in *collativum, electivum, & mixtum.* *Collativum* est, quod ab habente potestatem conferendi, non expectata superioris confirmatione, aut admissione, liberè alicui confertur. *Electivum* est, quod per suffragia capituli, accedente insuper superioris confirmatione, conceditur. *Mixtum* audit, quod ad præviam Patroni nominationem, vel præsentationem ab Episcopo per institutionem Canonicam legitimè confertur. Circa secundum hujus divisionis membrum nota cum *Rebuffo in praxi dispensat. part. 1. tit. de Elect.* quod, ubi collatio beneficii quidem fit per electionem, ea tamen confirmationem superioris non exigit, vim potius habeat *collationis, quàm electionis.*

Dividitur V. Beneficium in *compatibile, & incompatible.* Illud est, quod aliud beneficium secum compatitur. Istud, quod in uno subjecto alterum beneficium secum compati non potest. Hæc incompatibilitas cum primis in beneficiis *curatis* reperitur, quæ personalem residentiam desiderant, & quibus unus idemque Beneficiatus quoad officia, & munera utrique annexa ex æquo satisfacere non potest.

Communiter autem recepta est distinctio beneficiorum incompatibilium in incompatibilia *primi, & secundi generis.* *Primi generis incompatibilia* dicuntur, quæ se invicem ita excludunt, ut adepta pacifica possessione *secundi primum* ipso jure vacet. per *cap. 28. de Præbend. & Extravag. Execrabilis eod. inter commun.* quorum textuum auctoritate incompatibilia *primi generis* dicuntur duo beneficia *curata, duæ dignitates, aut duo personatus.* Item unum *curatum* cum *dignitate* sive in una, sive diversis Ecclesiis. Quibus etiam communiter Canonistæ accensent duo beneficia *uniformia, etiamsi* sint simplicia sub *eodem tecto, id est, in eadem Ecclesia, per cap. 9. de Concess. Præbend. Clem. fin. eod.* Dicuntur autem illa beneficia *uniformia, quæ ad eundem finem, idemque munus* sunt instituta, qualia solent esse *Canonicatus, & Capellania.* Sin verò nominae quidem convenient, in muniis autem, & functionibus sint disparata, non erunt *uniformia.* Neque incompatibilia dici debent, ut notat *Gonzalez. ad Regul. 8. Cancell. Gloss. 10.* Incompatibilia *secundi generis* dicuntur, quæ, quamquam simul retineri non possunt, adepta tamen pacifica possessione *secundi primum*

27 mum non ipso jure mox vacet. Talem incompatibilitatem reperire est in duobus *Canonicatibus*, aut duabus *Capellaniis* residentiam requirentibus, item si quis *Canonicatum* in una, & *dignitatem*, aut *beneficium curatum* in altera Ecclesia obtineat.

18 Nec tibi persuadeas, hanc incompatibilitatem distinctionem per novissimam Constitutionem Tridentini *Sess. 7. de Reform. cap. 4.* esse sublatam, ac vigore ejusdem pœnam privationis ipso jure ad omnia incompatibilia beneficia fuisse extensam, propter clausulam generalem: *plura curata, AUT ALIAS INCOMPATIBILIA BENEFICIA*. Sensus quippe horum verborum est, quòd, qui *plura curata, aut aliàs incompatibilia beneficia* (intellige illa, de quibus loquitur *cap. de multa de Præbend. ibidem* relatum, scilicet *dignitates, aut personatus*) recipere, aut simul retinere præsumpserit, ipsis beneficiis ipso jure privatus existat, ad incompatibilia proin *secundi generis* pœnalem hanc Constitutionem extendere mens Concilii haudquaquam fuit. Van-Espen *J. E. V. part. 2. tit. 20. cap. 9. num. 8.*

19 Dividitur VI. Beneficium in *Patrimoniale, & non Patrimoniale*. Primum ex eo sic appellatur, non quod rationem & quasi naturam *patrimonii* habeat, sed quod non possit aliis conferri, quàm Clericis, de certo loco, aut familia oriundis. *Non Patrimoniale* econtra est, quod cuilibet digno citra ullum familiæ, aut patriæ respectum conferri potest. P. Reiffenstuel *h. t. §. 1. num. 40.*

20 Dividitur VII. Beneficium in *separatum, & unitum*. Separatum est, quod nulli alteri connectitur, aut subordina-

tur, sed per se ipsum subsistit. *Unitum*, quod alteri connexum, aut subiectum est, id quod iterum dupliciter fieri potest, aut *æque principaliter*, ita, ut utriusque beneficio suum proprium nomen maneat, suasque qualitates, naturam, & privilegia citra confusionem retineat, & tantum unus minister, & rector utriusque præponatur, prout novissimum exemplum habemus in *Episcopatibus Paderbornensi, & Monasteriensi*, qui defactò, salvis suis juribus, & privilegiis, ita invicem autoritate Sedis Apostolicæ fuere juncti, ut unus duntaxat eorum rector existat, scilicet modernus *Archi-Episcopus Coloniensis* ex *Electoralis domo Bavarica*: aut unitur beneficium *accessoriè*, hoc est, cum quadam subjectione ad alterum beneficium, idque vel *simpliciter, vel plenariè*. *Simpliciter* quidem, quando beneficium *curatum* est unitum monasterio, præbendæ, aut Prælaturæ solum quoad temporale regimen, ita, ut monasterium, vel Prælatura habeat quidem titulum, & jus perpetuum gubernandi dictum beneficium, ejusque bona percipiendi, ipsam tamen curam animarum, aut alia jura Parochialia non per se administret, sed per Vicarium perpetuum, quem deputare tenetur. *cap. 30. §. quia verò de Præbend. Murga de Benefic. Quest. 4. num. 21. & Aloys. Riccius in praxi aurea resol. 293. num. 2.* *Pleno jure* unum beneficium subjici alteri dicitur, quando cum jurisdictione tam quoad temporalia, quàm spiritualia alteri subiectum est. Et hæc unio rursus subdividitur in unionem *plenariam* cum jurisdictione quoad temporalia, & spiritualia, pro foro externo, & contentioso, & talis jurisdictio *Episcopalis,*

lis, vel quasi talis audit, & in unionem plenariam cum jurisdictione fori pœnitentialis & interni, & in his, quæ ad jura, & munera Parochiæ spectant, diciturque talis unio ad mensam Prælati fieri, quatenus nempe is fructus, & emolumenta beneficii uniti in proprios usus convertere, & ad mensam suam applicare licite potest, congruo tamen salario pro sustentatione Vicarii ab eodem deputandi, & ad libitum removendi, relicto. De hac unione plenaria plenius tractantem consule *cit. Murga d. Quæst. 4. num. 39. & seqq.*

21 De Modis acquirendi Prælaturas, & alia beneficia minora jam tractandum est, horum aliqui cum jam in *lib. 1. Decret.* expositi sint, scilicet POSTU-

LATIO *Tit. 5.* ELECTIO *Tit. 6.* RESIGNATIO *Tit. 9.* nè actum agamus, nil repetimus. Tres in hoc Libro exponendi restant. I. *Institutio*, quæ fit ad Præsentationem Patroni, & hæc vocatur institutio *neccessaria*, agiturque de ea hic *tit. 6. & 38.* II. *Permutatio*, de qua in *Tit. 19.* hujus Libri, & demum III. *Collatio*, quæ est species quædam donationis, dum scilicet Episcopus, vel alius collator, liberè, & absque alterius nominatione, vel Præsentatione beneficium, cui voluerit, modo idoneo, concedit. *cap. 5. h. t.* tria proinde hic breviter examinabimus. I. Quinam liberè beneficia concedere. II. Quibus eadem concedi possint. III. Quinam collationis legitime factæ sint effectus.

§. III.

Quinam Beneficia liberè conferre valeant?

SUMMARI A.

22. S. Pontifex potest conferre beneficia per universum orbem. 23. Non obstante, quod hanc facultatem Episcopis impertitus sit. 24. Quorum in sua quisque Diœcesi defacto Ordinarius collator est. 25. Collatio nonnunquam etiam ad Capitulum vel privative spectat, vel cumulative cum Episcopo. 26. Potest etiam præscriptione, consuetudine, aut privilegio inferioribus Prælati acquiri. 27. De Legatis Sedis Apostolicæ, & quomodo jure devolutionis jus conferendi acquiratur, remissive.

22 **D**ico I. Potestas conferendi beneficia plenissima, & generalis pro toto orbe competit S. Pontifici, *cap. 2. h. t. in 6.* quia totius mundi Ordinarius est. Hinc à primordio nascentis Ecclesiæ ante factam Ecclesiarum divisionem solus S. Pontifex Beneficia contulit. Selva *Tract. de Benefic. part. 2. quæst. 22. num. 3.* Flam. *Parif. de Resignat. Benefic. lib. 1. quæst. 10. num. 15.*

Dilatata verò postmodum Ecclesia, factaque Diœcesium distinctione, Episcopus in partem sollicitudinis advocavit, ac cuius potestatem conferendi beneficia intra limites suæ Diœcesis concessit. *cap. 10. C. 16. Q. 7. cap. 3. & 4. C. 10. Q. 1. cap. 14. §. Nos igitur h. t. in 6.* ita, ut nulla beneficia Papæ specialiter reservata essent, sed Episcopi omnes menses liberos haberent, & fundatam

R in

in jure intentionem. Barbof. de Offic. & Potest. Episc. part. 3. alleg. 57. num. 1. & 2.

23) Quanquam autem prædictam potestatem in Episcopos contulerit, major tamen penes S. Pontificem semper remansit. *cap. 14. h. t. in 6.* adeò, ut teste Rebuffo in *sua praxi §. de Devolut. num. 46.* omnia beneficia tam jure *preventionis*, quàm jure *concurfus* conferre valeat. Censetur autem jure *preventionis* uti, cum alicui confert gratiam *expectativam* ad beneficium primò vacaturum *d. cap. 14. h. t. in 6.* Jure *concurfus* verò, quando juxta *cap. 1. de Concess. præbend.* concurrat eum quovis *ordinario*, etiam citra hujus negligentiam. Hoc ipsum tamen jus *preventionis*, & *concurfus*, quanquam successores PP. per specialia concordata (ut postea videbimus) sibi videantur restrinxisse, non tamen penitus à se abdicare voluisse præsumendum est, quin de *plenitudine potestatis* (cui Pontifices derogare nequeunt, concedendo alicui privilegium, quod revocare nequeant. Barbof. *de Offic. Episc. part. 3. allegat. 57. num. 9.*) eodem, si ita ipsis visum fuerit, uti valeant. Videatur Hieronym. Gonzalez *ad regul. 8. Cancell. §. 2. Procem. à princ.* multa hanc in rem accumulans, & Thomassin. *part. 2. lib. 1. cap. 41. & 2. seqq.*

24) Dico II. Episcopus regulariter loquendo est proprius & ordinarius collator omnium beneficiorum, intra suam Diocesim existentium, constat ex *cap. 1. de Capell. Monach. cap. 3. §. in Ecclesiis de Privileg. & respectu illorum fundatam* habet intentionem in Jure. *cit. cap. 3. & 4. C. 10. Q. 1. & cap. 10. & 11. C. 16. Q. 7. cap. 16. de Offic. or-*

din. cap. 3. de Instit. Card. de Luca in summ. benefic. §. 2. num. 6. Ratio est, quod sicut ad Episcopi officium pertinet, ordinare Ecclesiæ ministros, ita quoque de titulo beneficii iis providere ad eum pertinere convenit. Vid. Van-Elpen *Part. 2. tit. 21. num. 4.*

Dico III. Collatio beneficii non solum semper Episcopo, sed subinde etiam Capitulo vel soli, vel cum Episcopo competit. Colligitur ex *cap. un. ne sede vacant. in 6. Passerin. ibid.* Idem est de Abbate, & ejus conventu, sed de hoc nos inferius ad *tit. 9. & 10. hujus libri.*

Illud hic noto cum Navarro ad *tit. de his, que fiunt à Prælat. consil. 1.* Quodsi collatio simul ad Episcopum, & Capitulum spectet, & Episcopus uni beneficium conferat, Capitulum verò alteri, nihil adhuc actum censeatur. Idem etiam foret, si unus vel alter capitularis Episcopo accederet.

Nec obstat, quod in contrarium adducit Hostiensis, quasi nimirum Episcopi votum per se æquivalet votis omnium Canonicorum, consequenter, si vel unus, aut alter Canonicus Episcopo consentiat, jam habeantur majora. Resp. negando consequentiam, quia totum Capitulum unum tantum votum habet, & quod major pars Canonicorum facit, totum Capitulum fecisse censetur. Garzias *part. 5. cap. 4. num. 28. & seq. & DD. communiter.*

Dico IV. Collatio beneficiorum non est ita propria Episcopis, quin Prælati inferioribus, & aliis Clericis, esto nullam de cætero jurisdictionem habeant, vel ex privilegio, vel consuetudine, vel præscriptione competere possit. Garz. *part. 5. cap. 3.* Textus in hanc

re n

rem opportuni occurrunt in *cap. fin. de Instit. cap. 13. de Concess. Præbend. Clem. un. de supplend. neglig. Prælat.* ex quibus apparet, quòd Abbates non tantum exempti, & quasi Episcopalem jurisdictionem habentes, sed etiam alii Prælati non exempti jus conferendi beneficia tam secularia, quàm regularia habeant. Et hoc casu sufficit ad collationem validam (idem dic de *Electio- ne, & Præsentatione*) ut, quamvis collator à parte

rei jus conferendi non habeat, sed proprietatis hujus juris alteri competat, in possessione tamen pacifica juris illius tempore collationis factæ extiterit... *cap. 7. de caus. Possess. & Propriet.*

Qualem circa beneficia conferenda potestatem habeant Legati Sedis Apostolicæ, dictum est *lib. 1. tit. 30.* Item quomodo jure devolutionis beneficia conferantur, traditum fuit *lib. 1. tit. 10. de supplend. neglig. Prælat.*

§. IV.

Quibus beneficia conferri possint?

SUMMARI A.

28. Beneficia sunt conferenda dignioribus, maximè curata, & Prælaturæ majores. 29. 30. 31. Quid circa beneficia simplicia? Patrimonialia? Patronata? 32. Quædam notamina circa collationem beneficiorum afferuntur. 33. Plura beneficia possidere non est res ab intrinseco mala. 34. Ideo potest S. Pontifex ex justa causa dispensare etiam quoad beneficia simpliciter incompatibilia. 35. Quæ dispensatio nulla foret, si citra gravem causam uni plura ejusmodi beneficia conferret. 36. Episcopus potest uni Clerico duo beneficia ad congruam sustentationem conferre. 37. Si Parochia alicui Canonicatui, aut Præposituræ incorporata sit, nulla opus est dispensatione. 38. 39. Circa dispensationes beneficiorum quædam ex Rebuffo, & Concilio Trident. notantur. 40. Quid possit circa pluralitatem beneficiorum consuetudo? huic quæstioni quadruplici Responsione satisfit. 41. An consuetudo, qua ad Canonicatus Ecclesiarum Cathedralium non nisi illustres admittuntur, sit rationalis? Negantium fundamenta. 42. Et affirmantium referuntur. 43. Priorum Argumentis satisfit. 44. Bæbmerus hujus consuetudinis vitiosum fuisse initium ostendit. 45. In quibusdam Ecclesiis Germaniæ etiam Protestantes, & reformati cum Catholicis Canonicis permixti tolerantur.

28 **R**egula, & norma, secundum quam collationes beneficiorum fieri debent, traditur in *cap. un. ut Eccl. Benefic. sine diminut.* ut scilicet conferantur idoneis, & regulariter dignioribus. Covarruv. in *Regul. Peccatum. part. 2. §. 7. num. 4.* cum Panormitano

& aliis, adeò quidem, ut, si ad beneficia curam animarum, vel aliam magni momenti functionem annexam habentia, omissa digniore (qui scilicet in promptu sit, & notabiliter aptior, ac dignior videatur) dignus tantum eligatur, postuletur, præsentetur &c. colla-

latores mortaliter peccent juxta Trid. Sess. 24. de Reform. cap. 1. §. omnes verò & singulos & ead. Sess. cap. 18. Talia beneficia censentur Cardinalatus, Episcopatus, Archi-Diaconatus, Decanatus, Præpositura cum Jurisdictione, Paræcia, Canonicatus affectus onere docendi, concionandi, pœnitentiariæ. Denique, Abbatia, Prioratus, & similia beneficia. Ratio est, quòd, qui omittit digniorem, peccat contra fidelitatem, quam Ecclesiæ ex officio debet, in re gravis momenti, negligendo ejus bonum, quod præcipuè in fide, moribus, & ritibus sacris pendet ex circumspècta Ministrorum electione, & econtrà causando damnum, quod ex mala provisione oritur. Dixi tamen *regulariter*, & in Præbendis majoris momenti.

29 In beneficiis tamen minoribus, veluti Canonicatibus simplicibus, & Capellaniis, ubi tantum in Ecclesiam damnum non redundat, dignum, omisso digniore, assumere peccatum mortale non videtur, dummodo non passim, sed raro, id fiat, ut paucorum mediocritas aliorum virtute compensetur.

30 Si beneficium fuerit *patrimoniale*, seu familiare, quod alicui de certa familia, communitate, aut Collegio conferendum est, poterit, & debet magis idoneo ex tali communitate dari, quamvis extra illam forent digniores, & aptiores. Covarr. d. part. 2. §. 7.

31 Circa beneficia *Patronata* id juris est, ut, si Patronus fuerit *Ecclesiasticus*, beneficium curatum dignissimo conferendum sit. per Trid. Sess. 24. de Reform. cap. 18. Sin verò Patronus *Laicus* fuerit, isque dignum, omisso digniore præsentet, hic ab Episcopo instituendus erit. Trid. d. loc.

Ulteriùs circa collationem benefici- 32
ciorum sequentia notanda: I. si raritas sit ministrorum idoneorum, beneficia simplicia, quamvis pinguiora, conferantur simpliciter dignis, curata verò beneficia, quantumvis minorum reddituum magis dignis reserventur. Ratio hujus est, quod spirituali Ecclesiæ utilitati temporale Clericorum commodum postponendum sit. Less. de J. & J. l. 2. cap. 34. dub. 13. II. Si pauci ex Electoribus concordent in dignissimum, atque ita nec meum suffragium prodesset dignissimo, impediret autem electionem indigni, vel minùs digni, potero, imò tenebor, omisso dignissimo, eligere dignum, vel digniorem imò III. poterit aliquando beneficium conferri, de se indigno, si dignus non reperiat, ad evitandum majus malum, ut si præbenda cæteroquin deveniret ad manus hæreticorum, aut aliàs magis indignos; tunc enim talis adhuc respectivè censetur dignus, quamvis simpliciter, & absolute indignus foret: tenebitur is tamen ex postfactò se reddere dignum, & quantum potest, muneri suo idoneum. IV. Ecclesiæ Parochiales, etiam Juris Patronatus Ecclesiastici, per obitum, resignationem simplicem, aut obitum vacantes de jure Concilium Tridentin. Sess. 24. de Reform. cap. 18. per concursum, convocatis scilicet edicto publico Clericis, iisque ritè examinatis digniori, & magis idoneo conferri debent. Quòd si Juris Patronatus Laici fuerint, aut in manus Papæ in favorem certæ personæ earundem resignatio facta sit, solus ille, qui à Patrono laico præsentatus est, examinari, & si dignus repertus fuerit, admitti debet. Vid. Barbof.

hos. ad cit. loc. Concil. & P. Reiffenstuel h. t. §. 5. à n. 134. De cæteris conditionibus, quæ in candidato ad beneficia aspirante relucere debent, dictum jam est, lib. 1. Decret. Tit. 5. 6. 11. 14.

33 § 20. & hoc libro Tit. 1. 2. § 3. quare, quæ ibi diximus, hic nolumus repetere. Illud duntaxat hic excutiemus, quomodo alicui Clerico plura beneficia habere liceat? nam, ut ait S. Thomas Quodlib. 9. art. 15. habere plura beneficia nec esse intrinsicè malum, ut fornicatio, vel adulterium &c. nec rem omnino indifferentem, ad bonum, vel malum, ut levare festucam de terra &c. sed in numero earum actionum, quæ absolutè quidem consideratæ deformitatem, vel inordinationem quandam important, in certis tamen circumstantiis bonæ effici possunt, putà, si sit opus in pluribus Ecclesiis alicujus obsequio, & possit talis magis deservire Ecclesiæ, vel tantundem absens, quàm alius præsens. Ita ferè D. Thom.

Dari quædam beneficia, quæ secum aliud compati non possunt, atque efficiere, ut adepta pacifica possessione secundi primum ipso jure vacet. Alia rursus esse, quæ hac Antipathia non laborant, jam supra in Divis. V. explicatum dedimus, id subinde indagandum nunc est, quisnam circa pluralitatem beneficiorum dispensare valeat?

34 Dico I. Si beneficia simpliciter incompatibilia fuerint (quæ etiam incompatibilia primi generis vocari diximus) solus Papa ex justa causa, scilicet propter magnam necessitatem, aut utilitatem Ecclesiæ dispensare potest. Arg. cap. 17. C. 1. Q. 7. Azor. part. 2. lib. 6. cap. 12. Q. 1. Less. de J. § J. l. 2. cap. 34. dub. 58. num. 149. Garz. part. 11. cap. 5.

num. 337. sic videmus hodie filiis Principum plures Episcopatus etiam antea etatem legitimam conferri, ut Ecclesiæ contra hæreticos potentius defendantur. Sic etiam personæ singulari litteratura ornatæ in cap. 28. h. t. cum dispensatione Sedis Apostolicæ majoribus beneficiis honorandæ dicuntur. Sic quoque in Extravag. Execrabilis h. t. Cardinales, qui universali Ecclesiæ serviendo, singularum Ecclesiarum commoditatibus se impendunt, nec non regum filii propter sublimitatem, & generis claritatem à constitutionis illius rigore excipiuntur, & potioris gratiæ prærogativa attolendi dicuntur. Ratio hujus potestatis in Pontifice est, quod Concilia nec potuerint, nec voluerint impedire, quominus ob legitimas causas dispensare posset ille, qui supra Concilium est.

Dico II. Si causa dispensandi deficiat, plura beneficia simpliciter incompatibilia nequidem cum dispensatione Pontificis haberi, aut retineri possunt. Ratio est, quod Papa non sit dominus beneficiorum, sed administrator fidelis, & quia Juri Divino, & naturali (in quo Pontifex dispensare nequit) repugnare videtur, sine justa causa plura beneficia possidere, unde de pluralitate beneficiorum loquens Panormitanus ad cap. 54. de Elect. § cap. 17. de Rescript. ait: dispensatus etiam per Papam sine causa, licet tutus sit, quoad Ecclesiam militantem, non tamen quoad triumphantem, & sic non valet dispensatio quoad DEUM, quam sententiam unanimi calculo approbant Canonistæ teste Fagnano ad cap. 8. de Cleric. non resid. num. 65. ubi probat sententiam Joannis de Lignano dicentis, quod, si Papa dispensaret

faret pro nuda sua voluntate, non habita relatione ad bonum publicum, non foret dispensator, sed dissipator. Et inde est, quod Trident. Sess. 24. de Reform. cap. 17. pluralitatem beneficiorum totius ordinis Ecclesiastici perversionem appellet, utpote quæ ex ratione ambitionis procedat, cultum Divinum imminuat, fundatorum intentionem eludat, causam dissolutionis præbeat, certum animarum periculum contineat, & stipendia, quæ plurium Clericorum sustentationi deservirent, subtrahat, ut verificetur illud Apostoli adnotante Azario Part. 2. lib. 6. cap. 10. in fin. Unus quidem esurit, alius autem ebrius est, & denique plura alia inconvenientia in cap. 5. h. t. & d. extrav. Sc. Joann. XXII. eod. expressa secum trahat.

36 Dico III. Episcopus potest Clerico habenti beneficium simplex, sed ad congruam ejus sustentationem non sufficiens, aliud simplex sine dispensatione Apostolica conferre. Conc. Trident. Sess. 24. de Reform. cap. 17. Tertium tamen, si duo illa congruæ sustentationi non sufficiant, citra Papæ dispensationem adjungere non posse, decisum refert Garz. Part. 11. cap. 5. num. 310. Barbosa. ad d. l. Concil. num. 4. Posse tamen Episcopum justa ex causa, fortè ob reddituum tenuitatem, dispensare, ut quis obtinere valeat duo beneficia difformia sub eodem tecto, puta dignitatem, vel beneficium curatum cum Canonicatu, dummodo quodlibet per se non sit sufficiens ad sustentationem provisi, decisum referunt Garz. Part. 11. cap. 5. num. 377. Franc. Leo in Thesaur. for. Eccles. Part. 2. cap. 8. num. 55. & cum illis Barbosa. cit. loc. num. 14. Imò

hodierna consuetudine nequidem dispensatione Episcopi opus esse ad simul obtinenda, & retinenda vel plura beneficia simplicia dissimilia in eadem, vel similia in diversis Ecclesiis, si provivus indiget iisdem, ad honestam vitæ sustentationem, tradunt Azor. l. 6. cap. 11. Q. 7. Panormitan. in cap. 54. de Elect. num. 34. dummodo utrumque residentiam personalem continuam non requiratur. Trident. Sess. 24. de Reform. cap. 17. Garz. cap. 5. n. 260. Less. lib. 2. cap. 34. dub. 27. Unde si in aliquibus Ecclesiis 3. tantummodo, 4. aut 6. mensium residentia requiritur, Canonicatus illi, vel præbendæ inter beneficia compossibilia numerari poterunt. Laymann. lib. 4. Tract. 2. cap. 8. num. 6. Imò posse Clericum in eadem Ecclesia habere duas Capellantias, si una congruæ sustentationi non sufficiat, & in uno altari onus sit, duo fortè sacra legendi, in altero tria, quæ beneficia potiùs difformia censentur, probabiliter tucur Navarr. Consil. 16. § 22. h. t. Garz. cap. 5. num. 229. Laym. num. 7.

Illud extra controversiam est, quod 37 si Canonicatus, dignitati, vel personatus annexa, vel incorporata legitime Parochia fuerit (idem est de beneficiis legitime unitis) hæc simul sine omni dispensatione retineri possint. per cap. 6. h. t. in 6. Quia hoc casu Parochia extincta, & suppressa censetur, in qua per Vicarium cura animarum exercenda, quamvis jurisdictio fori externi maneat penes Canonicum; nec tenebitur hic residere in Parochia Canonicatus suo, vel dignitati annexa. cap. 30. § 33. h. t. & tit. præced. dictum est. Econtra duos Canonicatus, vel duas præbendas in eadem Ecclesia nequidem

accessoriè haberi posse, patet ex *Clem. in. b. t.*

38 Circa dictas dispensationes à Pontifice impetratas nota cum Rebuffo in *prax. Benefic. de Dispensat. ad plur. benefic. num. 64.* quod, cum juri communi, beneficiorum pluralitatem prohibenti vulnus infligant, & eatenus odiosæ reputandæ sint, etiam ad casum habentem majorem rationem extendi non debeant. Hinc impetrandem cautum esse jubet *num. 67.* ut exprimat qualitatem beneficiorum, antecederet à se jam possessorum, *curata*, an *simplicia*, aut aliàs *qualificata* illa sint, aliàs eisdem dispensatio neutiquam suffragabitur, quod ipsum statuisse apparet Bonifacius VIII. in *cap. 21. h. t. in 6. dicentis*, non profuturam impetranti dispensationem super pluralitate beneficiorum, qui aliquod quantumcunque modicum beneficium in sua supplica subtrahit. *Garz. Part. 1. cap. 5. num. 81.* Et ulterius ex eodem *cap. 21.* notandum venit, quod, si cum aliquo dispensatum fuerit, ut possit duo beneficia *curata* simul recipere, & retinere, id tantum de duobus primis intelligendum sit, quæ post dictum indultum conferentur, ita, ut si unum postea ex illis obtentis dimiserit, tertium vi illius dispensationis recipere non possit. *Van-Espen J.E.V. Part. 2. tit. 20. cap. 5. num. 14.*

39 Denique circa ejusmodi dispensationes notanda est constitutio Trident. *Sess. 7. de Reform. cap. 5.* qua præcipitur Ordinariis locorum, ut quoscunque plura *curata*, aut aliàs *incompatibilia* beneficia obtinentes ad exhibendas dispensationes suas districtè compellant, easque juxta constitutionem Grego-

rii X. relatum in *cap. 9. de Offic. ordin. in 6.* revideant, & monente Weymsio in *Analyti ad d. constit. num. 7.* si absque vera, & legitima causa impetratas fuisse constiterit, easdem reprobent, & rejiciant. Ratio horum esse potest, ut ait Van-Espen *cit. cap. num. 15.* quod dispensationes non raro impetrentur ex falsa narratione, vel ex causa minus legitima, aut per importunam inhiantium sollicitationem, qua mediante non raro non concedenda conceduntur, aut etiam interdum ipsæ dispensationes contra mentem concedentis extenduntur.

Quæres: Quid circa pluralitatem beneficiorum possit consuetudo? Respondeo I. eam tantarum virium haud esse, ut efficere possit, quod Clericus præter præbendam *Canonicalem* in eadem Ecclesia duas *dignitates*, aut *personatus*, aut duo officia, vel unam dignitatem, & personatum & officium sine dispensatione Pontificis obtineat, tametsi observantia illa immemorialis, aut etiam juramento ejus firmata fuisset. *cap. 1. de Consuet. in 6.* ubi *sacris inimica Canonibus, & de radice ambitionis procedere* dicitur.

Respondeo II. Nec illam consuetudinem unquam posse fieri rationabilem, quæ quis plura beneficia *curata* etiam in diversis Ecclesiis, obtineat, quia & hæc Ecclesiis, & animabus damnosa existeret, & inde reprobatur in *cap. 28. h. t. Panormitan. in cap. 30. §. cui verò h. t. num. 36.*

Dices: Potest quis ex dispensatione Pontificis plura beneficia obtinere, ergò etiam consuetudine, saltem *immemoriali*, vel statuto id licitum reddi potest. Respondeo N. C. alia est ratio dispensationis, alia consuetudinis, vel

Atx

statuti. Illa in casibus duntaxat rarioribus, & certis tantum in circumstantiis locum invenit. Hæc verò ad instar legis, ad omnes indistinctè casus se porrigere deberet, & vel ideo *irrationabilis* evaderet. Dum econtrà in uno vel altero casu particulari dispensando nihil quidquam in dispendium Ecclesiarum, & animarum committitur. Sit exemplum, si consuetudo haberet, ut homicidium nonnisi pœna pecuniaria plectatur, hæc procul dubio foret irrationabilis, dum ex levitate pœnæ nemo de hominum vulgo ab ejusmodi flagitiis absterreretur, quin pœtula (proclivi aliunde in vindictam ejusmodi hominum genio) cœdibus janua pateret, facilitas enim veniæ est incentivum delinquendi. *cap. 33. C. 23. Q. 4.* haud quamquam tamen dispensatio *irrationabilis* audiret, qua Princeps in uno vel altero casu pœnam capitalem in pecuniariam commutando vitam reo condonaret.

Respondeo III. Probabiliter valere illam consuetudinem *immemoriam*, ut etiam beneficia *curata* per Vicarium administrantur, hic enim verò procedit illud ex *cap. 26. de V. S.* quod *privilegio* æquivalet consuetudo *immemorialis*; atqui privilegio Pontificis fieri potest, ut quis in dignitate vel personatu residere non teneatur, etsi præterea aliud beneficium curatum habeat, ut patet ex *cap. 28. b. t.* & quotidiana praxi. Ita etiam videmus, in quibusdam Ecclesiis Cathedralibus *preposituras* residentiam personalem non requirere, vel certè non illam à Tridentino præscriptam. Sic etiam usus habet, ut Canonicis Ecclesiarum Cathedralium Parochiæ conferantur, quibus non per se, sed per *Vicarium per-*

petuum ibidem constitutum deservire concessum est. Et licèt jura consuetudinem contrariam improbent, hoc tamen de *immemoriali* intelligendum non est. Nec Juri *Divino*, aut *naturali* contrariari videtur, si accedat causa rationabilis. Vid. Navarr. *ad tit. de Cleric. non resid. Consil. 21.*

Respondeo IV. Valere consuetudinem, ut quis in eadem Ecclesia præter Canonicatum habeat *dignitatem*, vel *personatum cap. 1. de Consuet. in 6.* Item, ut quis simul plura beneficia *simplicia* obtineat, etsi de jure communi personalem residentiam quodlibet exposcat, quia hæc obligatio jure duntaxat positivo introducta est, unde facilius tolli potest, quod eo saltem casu ferè omnes admittunt, quo unum beneficium congruæ sustentationi non sufficiat, aut alia rationabilis causa accedat. S. Thom. *Quodlib. 9. artic. 10.* Azor. *part. 2. lib. 6. quest. 5. n. 11.*

Illam quæstionem non inutiliter hic ⁴¹ annectendam censemus, qua quæritur: An consuetudo, quæ passim in Ecclesiis Cathedralibus, maxime per Germaniam, invaluit, ut nonnisi claro Majorum stemmate illustres personæ ad Canonicatus promoveantur, exclusis aliis obscuriori loco natis, utut & virtute, & litteris emineant. An, inquam, hæc consuetudo tanquam legitima jure sustineri valeat, num potius tanquam corruptela eliminanda sit? Dixeris, talem consuetudinem nullo juris præsidio esse munitam, sic enim videtur Gregorius IX. sensisse, dum in *cap. 37. de Præbend.* Ecclesie Cathedrali Argentinensi, quæ aliquem Canonicum *non nobilem*, sibi à Legato Pontificio obtrusum, noluit ad suum gremium admitte-

re,

re; eo quod consuetudo hætenus in hac Ecclesia inviolabiter fuerit observata, ut nonnisi nobiles & eminentis scientiæ Canonicorum corpori adlegerentur, ita respondit: *Nos attendentes, quod non generis, sed virtutum nobilitas, vitæque honestas, gratum DEO faciunt, & idoneum servitorem, ad cujus regimen non multos secundum carnem nobiles, & potentes elegit, sed ignobiles, ac pauperes, eo, quod non est acceptio personarum apud ipsum, & vix ad culmina dignitatum (nèdum ad Præbendas) viri eminentis scientiæ valeant reperiri, exceptiones hujusmodi non duximus admittendas.* Unde Interpretes ad hoc cap. commentantes, ad unum omnes, talem consuetudinem, quæ à Canonicis Ecclesiarum Cathedralium ignobiles, utut doctrinæ, & virtutum meritò plurimum commendabiles sint, excluduntur, tanquam corruptelam damnant, & rejiciunt, uti videre est apud Panormit. ad d. cap. 37. h. t. num. 4. Vivian. ad d. cap. Barbof. ibid. num. 5. Cassanæum in Catalog. glor. mund. part. 8. confid. 8. & part. 10. confid. 35. Rebuff. in tract. de Nominat. quest. 15. num. 3. P. Henricum Wagnereck in Exeges. ad d. cap. qui Joannis Molani, Canonici Lovaniensis, ad Canonicos scribentis, sensum & sententiam de hac consuetudine ejusdem verbis refert: *Toleranda (non probanda) est ista consuetudo, ubi, & invaluit, & propter nobilitatis potentiam videtur, corrigi non posse, sed tamen habenda est ratio, ut illi demum nobiles ad præbendas admittantur, qui nobilitatem etiam virtute consecuti sunt. Nam, si tantum ex genere, & Majorum progenie nobiles sint, & eruditio, ac pietas desint, monstra erunt, & pestes in Ec-*

clesia, ac inani, & futili titulo nobiles. Concludit demum P. Wagnereck, quod talis consuetudo, etsi in Ecclesia DEI non probetur, ob graves tamen causas toleretur, hæcque tolerantia bona fide utentes, & penes quos non est, talem consuetudinem corrigere, sint tuti in conscientia. Adjungendus est alter GREGORIUS, priore multò antiquior, nec potestate inferior, qui lib. 9. Registr. Epist. 2. ad Alphonsum Regem Castellæ de eodem argumento ita rescripsit: *Neque verò te pigeat, aut pudeat, extraneum fortè, vel humilis sanguinis virum, dummodo idoneus sit ad Ecclesiæ tuæ regimen, quod propriè bonos exoptat, adscire, cum Romana Republica, ut Paganorum tempore, sic & sub Christianitatis titulis, inde maximè DEO favente, excreverit, quod non tam generis, aut patriæ nobilitatem, quàm animi, & corporis virtutes perpendendas adjudicavit.* Accedit dictum S. Joannis Chryostomi in cap. 4. dist. 56. *Non est omnino, nec de virtute, nec de vitio parentum, aut laudandus aliquis, aut culpandus: nemo inde verè aut obscurus, aut clarus est: imò etiam (si quiddam à communi opinione abhorrens dicendum est) nescio, quomodo ille magis resplendet, qui ex parentibus à virtutibus prorsus alienis, ipse tamen fuerit de virtute mirabilis.* Unde Cicero in invectiva contra Salustium apud Panormit. ad cit. cap. 36. n. 4. dixisse fertur: *Santius est meis fulgere moribus, quàm majorum opinione niti, ut sim posteris meis nobilitatis initium, & virtutis exemplum.*

Non desunt ex adversò, qui hanc 42 consuetudinem tanquam rationabilem, & legitime præscriptam pro aris, & fo-

cis defendant, quorum rationes sunt sequentes I. quod per nobiles & illustri Sanguine prognatos Ecclesia omnibus retroactis sæculis à luporum rabie strenuè defensa fuerit, unde convenit, ut ejusmodi nobilibus furculis vel in præmium navatæ à Majoribus protectionis, vel in præsens tutamen Ecclesiæ majora Sacerdotia præ plebejis & viliori loco natis conferantur. II. Quod nobilium institutio plerumque liberalior, quam plebejorum, & virtuti propior (id quod potissimum eo ævo apparuisse, quo hæc statuta condebantur, aut quo hæc invalescebant consuetudines, scribit Thomassin. *part. 2. lib. 1. cap. 104. num. 2.*) tunc enim plebeji propemodum omnes quibusdam variarum servitutum fordibus oblinebantur. III. Ea erat de nobilibus, & etiamnum est virtutis præsumptio, ut potentiores crederentur addere stimulos ad virtutis sequelam, ipsi virtutum strenui æmulatores vulgò genitis, id quod operosum haud esset, sexcentis exemplis demonstrare, ni pagellarum harum angustia ejusmodi excursionibus limitem ponerent. Domestica S. Ordinis nostri exempla abunde demonstrant, nobilitati quasi individuum fuisse comitem virtutem, dum, Sanctos, quos Ordo noster Ecclesiæ dedit, dedit autem ponè innumeros, Nobiles, & Illustrissimis Natalibus fuisse conspicuos plerosque constat ex nostris Menologiis, ac præcipuè ex Actis SS. Ordinis S. Benedicti, à magno Mabillonio nostro in sæculorum Classes distributis, & Anno 1658. Parisiis typis publicis evulgatis. Unde bene scripsit S. Bernardus *Epist. 113. Minimè quidem, DEUS est acceptor personarum: nescio*

tamen, quo pacto virtus in nobili plus placet. Plura alia momenta pro tuenda hac consuetudine cummulata reperies apud Thomassin. *cit. loc.* & nostrum Eximium P. Gerardum Hagermann *de Omnigena hominis nobilitate lib. 2. tit. 21. num. 9.*

Ad Decretalem Gregorii IX. *in cit. 43 cap. 37. de Præbend.* relatam, quæ Achilles est AA. non unam reddit responsionem Thomassinus *loc. cit.* & mea quidem opinione, sat concludentem. I. Ergo dicit, quod in dicta Decretali non jubeat aboleri illam consuetudinem, S. Pontifex, sed duntaxat velit, ut valeat collatio beneficii à Legato suo alicui ignobili facta, nec sibi, aut Legato suo infligi possit necessitas obsequendi consuetudinibus Capituli. II. Ipsum Capitulum Argentinense, ac alia Germaniæ Capitula, utut S. Sedi obsequentissima, & devotissima semper fuerint, ab hac consuetudine non recesserunt, quod argumento est, persuasa esse Capitula, hoc Gregorii Decreto suam consuetudinem non inuri, Etsi verò ibidem doceat Gregorius, plus esse tribuendum nobilitati virtutis, quàm sanguinis, non tamen apertè pronuntiat eam consuetudinem à se damnari, nec à Capitulo proscribendam decernit. III. Hæc consuetudo, quæ per Germaniam, & alia Regna Galliæ, Hispaniæ, Poloniæ &c. dudum jam obtinuit, non potuit latere SS. Pontifices, & tamen nec nutu quidem hætenus indicârunt, eam sibi displicere, aut tanquam abusum, & corruptelam expungendam esse; tam diutino ergo silentio videntur huic consuetudini assensum suum præstitisse. IV. Rationabilitas hujus consuetudinis ex eo etiam satis legiti-
ma-

matur, quod Concilia, quorum plurima hæcenus in his Provinciis celebrata sunt, eam non reprobaverint, quod tamen, si pietati hæc consuetudo adeo inimica, ipsisque Ecclesiæ Legibus tam graviter adversaretur, haud quaquam ab ipsis neglectum, aut intermissum fuisset. V. Denique ea ratio plurimum ponderis addit, quod funditus excisæ essent, corruissentque Germaniæ Ecclesiæ ab uno, aut altero jam sæculo, nisi grassantium hæreticorum, & ad arma profilientium furorem propulsissent Episcopi, Canonicique earum Ecclesiarum, summa quadam potestate, opulentiæque freti.

44 Verùm Bœhmerus hujus consuetudinis, quod nonnisi Nobiles ad Episcopales Cathedras, & Ecclesiarum Cathedralium Canonicatus admittantur, longè aliàs rationes affert. Adscribit ille §. 87. ad h. t. moris hujus initia in tepefcenti, in dælitias defluenti, & otio torpenti Canonicorum vitæ, & divitiarum affluentia. Admetior Authoris verba: *Asi fervor pietatis, inquit, cujus gratiâ unicè hæc Collegia fundata erant, tandem deserbuit Seculo XI. & in pluribus Ecclesiis majoribus Canonicis, abjecta vita communi, mollior placuit, dælitii, ex ingentibus ortis divitiis, affluens, otiosaque, ut omnis pristina Canonicorum devotio congelasse videretur. Latius per sequentia Secula hoc malum propagatum est, quo factum, ut non tam ad veram habilitatem, quam Majores in Clericis desiderant, amplius respexerint, sed planè novas accidentales qualitates ob oculos habuerint.* Addit deinde aliam causam, quæ hanc consuetudinem multum auxit, & corroboravit, videlicet familiarum Illustrium

conservationem, animadverterunt enim, ait, *hoc modo conservari posse familias Illustres, & præcaveri, ne bona avita in tot partes scinderentur, sed natu minores filii inde, bona ipsorum venia excludi possent, pinquissimis redditibus Ecclesiasticis sese sustentari. Simul etiam, quando numerosa prole familia aucta erat, aditus ad matrimonia, unde nova multiplicatio liberorum metuenda erat, filiis intercludebatur, quod rursus conservandis bonis, & familiarum conducibile videbatur.* Hanc posteriorem, à Bœhmero allegatam, consuetudinis causam non respuit laudatus P. Gerardus Hagemann. lib. §. cap. cit. n. 7. dum ex Besoldo lib. 1. politic. cap. 6. n. 28. & disert. de Equestr. ord. n. 1. refert, quod plura Collegia Ecclesiastica eo fine instituta, ac luculentè olim ditata fuerint, ut familiæ generosæ numerosa prole abundantes receptum habeant, quibus tutò, & commodè postgenere committere queant, ne paternæ hæreditati omnes incumbant, & apud Gallos sacris Ordinibus addicti, quondam tantummodò nobiles erant. Hæc cit. Hagemann. Quam fidem mereatur altera causa, à Bœhmero, producta, prudentis, & in re historica versati lectoris judicio expendendum relinquimus. Nos ejusmodi scriptoribus fidem ex integro tribuere non possumus, qui nobis de Majoribus nostris nil, nisi vitia, & peccata narrare sciunt, de bonis, & quæ laudabiliter facta, aut instituta fuisse comperiunt, altum tacentes. Unde Bœhmero reponi poterit, quod *Geta, sagax ille, & astutus Demiphonis servus apud Terentium Phorm. Act. 4. Scen. 4. Antiphoni reposuit:*

- - - *Nihil est, Antipho,
Quin malè narrando possit depravari.*

*Tu id, quod boni est, excerpis:
dicas, quod mali est.*

De salebrosa hac quaestione plura scribere non vacat, votum duntaxat nostrum cum laudato P. Hagemann. his verbis explicamus: „Optandum unicè foret, ut beneficia majora, seu Canonicatus in Metropolitanis, aut Cathedralibus Ecclesiis non ex gratia, & favore conferrentur illustri, aut generoso stemmate natis; sed ex merito doctrinæ, virtutis, ac morum honestatis, instituto concursu inter eos, qui suam Nobilitatem, & capacitatem gentis probare possunt. Quamvis non foret fervor generosæ juventutis in cultu morum, ac litterarum! quantum inde bonum Ecclesiæ non accresceret!

Sunt defactò in variis Ecclesiis Cathedralibus Germaniæ *Evangelicæ*, nec non *reformatæ* ut vocant, Religionis Canonici cum Orthodoxis commixti, de quibus, an ad Capitula, quæ sacra Ro-

mana colunt, admitti possint, vehementer olim exarserat contentio. Inter alia, quæ ab Orthodoxis opponebantur, id quoque erat, quod absurdum illud eventurum esse dicerent, ut, si ad Canonicatus admittatur triplex hominum conditio, *Catholicorum, Lutheranorum, & Reformatorum*, confusio vocationum oriatur. Ad hoc responderunt *Protestantes*, nullam confusionem, nullamque turbam inde metuendam esse. Sed hæc Responsio ex Sententia Bœhmeri nervum non habet, utpote, qui docuit ad *Tit. de SS. Trinit. §. 75.* quod Exercitiū Religionis nostræ cum statu Religionis Protestantium quieto stare non possit. Sed, quidquid sit de hoc Bœhmeri errore, hæc Controversia in *Pace Westphalica art. 5. §. 23.* taliter composita fuit, ut, *quot Capitulares, aut Canonici die 1. Januarii Anni 1624. usquam vel Aug. Confess. vel Catholici fuerunt, totidem illic ex utraq. Religione erunt semper, nec decedentibus, nisi ejusdem Religionis consortes surrogentur.* Fortè de hac mirabili hominum mixtura Isaias Vaticinatus est *cap. 11. v. 6. Habitat lupus cum agno, & pardus cum hædo accubabit.*

§. V.

De Collationis Effectu.

SUMMARI A.

46. *Principalis Effectus est, quod Collatarius post acceptationem beneficii acquirat jus in re.* 47. *Sin absentis, & ignorantis facta sit collatio, jus duntaxat ad rem ei acquiritur, quod impedit, ne alteri Episcopus hoc beneficium conferre possit.* 48. *Occurritur oppositioni.*

46 **E**ffectus collationis legitimè factæ præcipuus est, quod Beneficiatus post collationem sibi factam, si eandem ratam habuerit, & vel per se, vel per procuratorem, mandato speciali non tantum ad hoc numero bene-

ne-

neficium, sed ad beneficia in genere instructum acceptaverit, mox *ius in re*, etiam sine *traditione* vel actuali apprehensione possessionis acquirat, *cap. 17. b. t. in 6.* quia in spiritualibus *titulus* locò *traditionis* est. Barbof. *ad cit. cap. num. 5.* Passerin. *ibid. num. 9.* Tiraquell. *de Jure Primogen. Quest. 17. art. 11. num. 5.* Et non tantum beneficium tanquam suum vindicare à possessore, vel detentore, ac pro ejus juribus agere, verum etiam ejusdem possessionem vacantem propria autoritate apprehendere valeat. Garz. *Part. 4. cap. 2. n. 6.* Covarruv. *lib. 3. V. R. cap. 16. num. 7.*

47 Quodsi verò beneficium alicui absentis, & ignorantis collatum fuerit, *ius* quidem *in re* ante acceptationem beneficiato non acquiritur, *ius* tamen *ad rem*, quo impeditur Episcopus, quo minus illud beneficium alteri liberè conferre possit. *d. cap. 17. b. t. in 6.* Si verò Episcopus collatione facta, absentis congruum terminum pro imperitiendo consensu assignaverit, isque voluntatem suam intra præfinitum tempus non declaraverit, poterit ex tunc Episcopus beneficium, cui viderit expedire, liberè conferre, *d. cap. 17.* quia hoc in casu ejus taciturnitas habetur pro recusatione. Passerin. *ad d. cap. num. 21.* Quodsi demum terminus de-

liberationi datus elapsus sit, nec alteri adhuc per Episcopum collatio facta sit, poteris is re adhuc integra, beneficium acceptare, eo effectu, ut collatio postea alteri facta ab Episcopo sciente, lapsum fuisse terminum, & ignorante acceptationem factam à priori, ipso jure sit nulla, quia per acceptationem, lapsa quantumvis termino, re tamen adhuc integra factam, prior *ius in re* acquisivit, fecitque beneficium suum. *cit. cap. 17.* Passerinus *ibid. num. 24.*

Dices: Collatio beneficii est donatio *cap. 4. de Donat.* at hæc revocari potest ante acceptationem donarii, *l. 2. §. sed si quis l. 10. ff. de Donat. l. 28. ff. de A. vel A. P. ergò &c.* Respondeo, collationem quidem dici *donationem*, non tamen sine dissimilitudine, dum donatio propriè talis ex mera liberalitate donantis procedit, collatio verò beneficii ex debito Ecclesiasticæ potestatis officio, & ex quadam necessitate fit, & hinc inter utramque hæc est disparitas, quod in donatione propriè tali donator res donatas ante acceptationem, imò etiam post eam, ex causa ingratitude revocare valeat. *cap. fin. de Donat.* Collator verò sibi beneficium retinere, aut semel collatum ante acceptationem revocare nequeat.

§. VI.

De Reservatione, & Affectione Beneficiorum in genere.

SUMMARI A.

49. S. Pontifex, tanquam universalis Ecclesie Pastor, beneficia suæ collationi reservare potest. 50. Reservatio alia est generalis, alia particularis. 51. Alia, quæ cum Decreto irritante, alia, quæ sine hoc Decreto fit. 52. Beneficium aliud reservatum, aliud affectum. 53. Quid discriminis inter utrumque?

S 3

Quan-

49 **Q**uanquam S. Pontifex potestatem conferendi beneficia in Episcopos transtulerit, ita, ut quilibet in sua Diœcesi beneficia ibidem existentia conferre possit, per ea, quæ supra diximus, major tamen penes ipsum semper potestas remansit, *cap. 14. §. nos igitur h. t. in 6.* utpote, qui universalis Ecclesiæ Episcopus dicitur, totumque orbem pro Diœcesi propria habet. *cap. 17. §. 21. C. 9. Q. 3. cap. 14. §. 38. de Præbend. in 6. Gonzalez ad regul. 8. Cancell. §. 1. proœm. num. 8. Passerin. ad cit. cap. num. 9.* Hinc dubium non est, quin potestatem illam ordinariam Episcopis *precario* concessam per reservationes coarctare, & citra omnem inferiorum collatorum injuriam restringere potuerit, nec sine multimoda ratione, I. quia Papa est dispensator omnium beneficiorum, & liberam in illis dispositionem habet. *Clem. 1. ut lite pend. in fin.* II. Ut erga bene meritos de Ecclesia, vel etiam erga indigentes, & ad Sedem Apostolicam confugientes se tantò liberaliorem, magisque muniticum exhibere possit. Et III. ut major Ecclesiarum, & Ecclesiasticarum personarum in toto orbe existentium, cum Ecclesia Romana, tanquam matre omnium haberetur unio & communio. *Less. de J. §. J. l. 2. cap. 34. num. 48. Pirrhing h. t. num. 319.*

Itaque reservatio nihil aliud est, quàm beneficii Ecclesiastici vacaturi per legitimum superiorem ad se facta avocatio. *Pirrhing h. t. num. 317. P. Reiffenstuel eod. tit. §. 13. num. 378.*

50 Dividitur reservatio in *generalem*, & *particularem*. Generalis est, cum plura beneficia in genere, & in communi, omnes v. g. Ecclesiæ Metropo-

liticæ, Cathedralis, Abbatia, beneficia electiva &c. reservantur. Particularis, sive specialis est, qua certa beneficia vel ratione loci, putà, omnia beneficia in Ecclesia A. vel ratione personæ, ut cum Papa beneficium vacaturum certo Clerico conferri mandat, vel ratione Beneficii, veluti cum certa dignitas v. g. *Præpositura, Decanatus &c.* reservantur. *Barb. J. E. V. lib. 3. cap. 13. num. 39. Paris. de Resignat. benefic. lib. 2. Quest. 6. num. 16. §. seqq.*

Reservatio rursus alia est, quæ fit cum apposito decreto *irritante*, & quæ sine tali decreto simpliciter fit. Discrimen inter utramque reservationem notabile est, dum scilicet collatio beneficii, decreto *irritante* muniti, facta ab inferiore collatore, reservationem hanc ignorante, omninò nulla, & invalida est. *arg. cap. 20. h. t. in 6.* Econtra valida collatio alterius beneficii simpliciter reservati, si facta sit, antequam inferior collator notitiam reservationis acceperit. *arg. cit. cap.* Ubi ad inducendam invaliditatem factæ bona fide collationis beneficii reservati, copulativè requiritur, & *reservatio*, & *appositio decreti irritantis*. *P. Reiffenstuel h. t. num. 384.*

Porrò beneficium aliud dicitur *reservatum*, aliud *affectum*. Differt alterum ab altero, sicut *tacitum*, & *expressum*, ita, ut reservatio fiat per expressa verba regularum *Cancellarie*, sive aliarum constitutionum intra, vel extra corpus juris existentium, aut solo verbo Papæ, **RESERVAMUS**. *Affectio* autem respiciat actum realem, & factum aliquod, ex quo tacita resultat reservatio. Ut, si Papa mandet alicui de beneficio aliquo certo, aliàs non reservato,

ro, provideri (quod dicitur Papam apponere manum in beneficiis) tunc tale beneficium manet affectum, nec alius præter Papam de eo disponere potest. Alios casus vide apud Petrum de Murga cit. *Tract. de Benefic. Q. 3. num. 329. & seqq.*

53 Discrimen alterum inter beneficium reservatum, & affectum est, quod reservatio, si annexum non habeat decretum irritans, manus ordinariorum non ita liget, quin validè beneficium reservatum conferre valeant. *arg. c. 20. b. t. in 6.* Affectio verò potestatem illorum illicò impeditam reddit absque alia inhibitione, eò etiam casu, quo collatio à Papa facta ob aliquem impetrantis defectum inutilis redditur. *Ex-*

travag. 14. inter commun. §. Romani b. t. Pax Jordan. Tom. 2. lib. 10. tit. 2. num. 12. & alii apud Petrum de Murga cit. *Q. num. 326. & 332. qui à n. 352.* dictam affectionem beneficiorum 18. limitationibus restringit, quos inter illæ duæ notabiliores sunt, I. quod beneficia *Juris Patronatus laicalis*, aut *mixti* sicut regulariter non solet Papa reservare, ita nec manum ad ea apponere, hoc est, affecta reddere soleat. II. Quod beneficia per specialia *concordata Germania, & Gallie* liberæ collationi ordinariorum relicta nunquam fiant affecta, nisi constet de mente Papæ, dictis concordatis de *plenitudine sue potestatis* derogare intendentis.

§. VII.

Quæ beneficia de Jure Communi reservata sint?

SUMMARI A.

54. Beneficia vel sunt reservata in Curia, vel apud Sedem Apostolicam. 55. Quid per Curiam intelligatur? 56. Vacare in Curia non est idem, ac vacare apud Sedem Apostolicam. 57. Quenam beneficia dicantur vacare apud Sedem Apostolicam, & in Curia simul? 58. Quomodo vacatio in Curia tantum inducatur? 59. Beneficium promoti ad Episcopatum Titularem non est reservatum. 60. Quando beneficia illorum, qui ad veros Episcopatus promoventur, vacent? 61. Quando rursus beneficia in Curia vacare dicantur? 62. Quædam adhuc notantur circa beneficia in Curia, & apud Sedem Apostolicam vacantia. 63. Beneficia à dictis reservationibus exempta recensentur. 64. Aliquod dubium circa Extravag. Joan. XXII. b. t. removetur.

54 **I**Nter beneficia reservata primo loco examinanda veniunt, quæ vacant in curia, & apud Sedem Apostolicam, tanquam cæteris firmiter reservata, utpote reservatione in corpore juris clausa, adeoque jure communi in *cap. 2. 3. & 34. b. t. in 6. Clem. 1. ut*

lite pendent. De his autem Clemens III. in *cit. cap. 2.* sic statuit, ut, si quis ea præter S. Pontificem alicui conferre præsumpserit, quacunque demum auctoritate munitus fuerit, sive jure ordinariæ potestatis, sive litteris generalibus, vel etiam specialibus sub quacun-

cunque verborum forma conceptis, electio, provisio, vel collatio penitus irrita sit, & inanis, nisi super conferendis eisdem specialis, & expressa auctoritas à S. Pontifice tributa fuerit.

55 Nomine autem *curiæ* intelligitur hic per antonomasiam curia, sive tribunal S. Pontificis, hoc est, locus, ubi Papa est cum suis Consiliariis, & Cancellaria, ut docet Covarruv. *PP. QQ. Tom. 2. cap. 4. num. 10.* & confirmat ex *Clem. 2. §. sanè de Elect.* consentit *Barb. de Potest. Episc. alleg. 57. num. 128.* Circa Bullam Pauli III. relatam in Bullario, quam ille Pontifex Româ discedens, & ad colloquium Caroli V. Imperatoris, & Francisci Regis Galliæ profectus declaravit, eorum, qui suam sanctitatem sequentur, & eorum, qui in alma urbe remanent, unam tantum *curiam Romanam* existere in capite, & corpore, stylum *curiæ* attendendum esse benè notat P. Engl *b. t. num. 11.*

56 Quæres: An idem sit, vacare *apud Sedem Apostolicam*, & vacare *in curia*? Respondeo, quanquam hæ locutiones à multis DD. confundantur, ac promiscuè usurpentur, verius tamen videri *Barbofæ de Offic. Episc. part. 3. alleg. 57. num. 24.* Beneficia *apud Sedem Apostolicam* vacantia distingui à vacantibus *in curia*, sicut genus & species, ut omne quidem beneficium vacans *apud Sedem Apostolicam* censeatur etiam vacare *in curia*, & sit reservatum reservatione clausa in corpore juris; non verò vicissim beneficia præcisè vacantia *in curia* censeari vacare *apud Sedem Apostolicam*, nec esse reservata reservatione clausa in Corpore Juris, sed tantum per Extravagantes, & Bullas noviores.

Propriè ergo dicuntur beneficia vacare *apud Sedem Apostolicam*, & in *Curia* simul, quæ vacant per obitum beneficiati in *Curia cap. 2. b. t. in 6.* vel propè eam intra duas *diatas* Legales, hoc est 40. Milliaria Italica per *l. 1. ff. si quis cautionibus &c. decedentis. cap. 34. b. t. in 6. Clem. 1. ut lite pendente.* modo tamen talis in loco, ubi degit *Curia*, vel in illa vicinia defunctus datum, vel domicilium ibidem constitutum non habuerit, nec beneficium suum ibi situm fuerit; in his enim non habet locum vacatio *apud Sedem Apostolicam d. cap. 2. b. t. in 6.* Murga *d. Quæst. 3. num. 265.* nisi is beneficiatus simul *Curialis* fuisset, & ratione *Curie* ibidem substitisset. *d. cap. 34. §. sanè b. t. in 6.* in Exemplo: si Papa, vel *Curia* Romana in aliam quandam Urbem Galliæ transferretur, tunc Beneficia Clericorum ibidem decedentium non censerentur vacare *apud Sedem*, & in *Curia*, nisi iidem simul *Curiales* ratione *Curie* ibidem substitissent.

Idem cum proportione dicendum de illis, qui à *Curia* recedunt ad sua domicilia intra duas *Diatas* à *Curia* distita, ut nec horum beneficia iis extinctis censeantur vacare *apud Sedem*, nisi sub prædicta conditione, si *Curiales* fuerint.

Quodsi *Curiam* de loco in locum transferri contingat, eamque *Curiales*, sive *Officiales Curie* sequantur, ac in itinere moriantur, vel in loco, unde recedit *Curia*, forsitan remanentes infirmi rebus inibi eximantur humanis (quantumcunque locus ipse, ubi decedunt, ab ipsa *Curia* sit remotus etiam ultra duas *Diatas*) pariter eorundem be-

beneficia apud *Sedem Apostolicam* vacare censentur, *d. cap. 34.* Quod ulterius extenditur ad eos, qui animi causâ, peregrinationis, aut alia quacunque ratione recedunt à *Curia*, etiam Ecclesia Romana vacante, & intra duas Dîctas moriantur, dummodo ibidem domicilium, vel domum propriam non habeant, sæpe *cit. cap. 34. §. idem est.*

Curialium autem nomine veniunt omnes illi, qui S. Pontifici, Cardinalibus, vel Officialibus Romanæ Curie inserviunt. Item Judices, Advocati, Notarii, Procuratores, Sollicitatores, & alii, quorum mentio fit in *Extravag. 13. inter commun. h. t.*

Huc etiam spectat dispositio *Clem. 1. Ut lite pendente.* ubi circa litigantes in Curia Romana super Beneficio varii casus distinguuntur, & deciduntur. I. Si ambo super beneficio sibi collato in Curia litigantes ibidem decedant, collatio illius Beneficii litigiosæ ad S. Pontificem pertinet. Secus ad *Ordinarium*, si ambo extra Curiam moriantur. II. Si litigantium unus in Curia, alter extra Curiam moriatur, distinguitur, an alteruter in possessione beneficii fuerit, an neuter. Priori casu, si possessor beneficii in Curia decesserit, iterum ad Pontificem, si extra Curiam, ad *Ordinarium* spectabit collatio. Posteriori casu propter autoritatis prerogativam collator erit S. Pontifex. III. Quodsi verò unus lite pendente moriatur, altero superstite, alio, cujus interest, litem prosequente, expectandus erit terminus litis, & siquidem pro defuncto pronuntiatum fuerit, isque in Curia decesserit, ad S. Pontificem, extra Curiam verò ad *Ordinarium* collatio spectabit. Sin verò ex Sententia con-

stabit, ad neutrum beneficium pertinuisset, *Ordinarius* conferet. Hæc quoad vacationem, apud *Sedem Apostolicam*, & in *Curia.* Sequuntur vacationes in *Curia* tantum, quæ etiam vacationes *siste* à Barboza dicuntur.

Vacant igitur Beneficia in Curia I. 58 quæ juxta *Extrav. 13. h. t. inter comun.* per mortem Cardinalium, & Officialium Ecclesiæ Romanæ, ac familiarium Papæ vacant, ubicunque illi decedant. Item beneficia Legatorum, & Collectorum à Sede Apostolica missorum & mortuorum, antequam Romam redeant.

II. Omnia beneficia, quorum privatio Romæ inducitur per *depositionem*, *translationem* &c. modo ibidem contra contumacem verè talem, qui fictione juris pro præfenti habetur, Sententia dicta fuerit. Murga *dict. Quest. 3. num. 263.*

III. Quæ in manus Papæ resignantur, etiam per procuratorem, ubi notat *cit. Murga num. 262.* quod vacatio ejusmodi per resignationem inducta non tam dicatur reservata reservatione in Corpore Juris clausa, quàm potius *affecta* per *appositionem manus* Papæ, quæ habet vim specialis reservationis. *Extravag. 14. §. Nos, qui Vigilus. & Romani quoque Pontifices h. t. inter comun.* Unde licet resolvatur resignatio propter Regulam *de viginti*, non tamen resolvitur reservatio inducta per *appositionem manus* validam. *Roman. Consil. 342. à n. 11.*

IV. Vacant in Curia omnia beneficia tum *Secularia*, tum *Regularia*, etiam *electiva*, prius possessa ab iis, qui autoritate Pontificia ad majores Dignitates, Patriarchalem, Episcopalem, Monaste-

riorum Regimina, aliâque beneficia, cum prioribus incompatibilia, promoventur, postquam adepti fuerunt novi Beneficii possessionem pacificam, & fructuum perceptionem. Huc tamen non spectat Episcopatus *Titularis*, in partibus infidelium alicui assignatus, cum nullos ex suo Episcopatu proveniunt percipiat. Imò poterit tali Episcopo *Titulari* etiam sine dispensatione Pontificis Beneficium conferri. Garz. *part. 11. cap. 6. num. 24. § 44.*

59 Illud in Controversiam trahitur. An, si S. Pontifex ad *verum*, & non *Titularem*, Episcopatum promotus concesserit, Beneficium retinere, prius jam habitum, illud post mortem promoti reservatum censi debeat? In affirmat. inclinare videtur Barbof. *d. alleg. 57. num. 76.* & Garz. *part. 11. cap. 6. n. 30.*

Abstrahendo tamen à stylo Curiaë Romanæ, & Praxi, negativa in Theoria probabilius videtur, ex ratione, quod *dict. Extravag. 14.* tantùm loquatur de Beneficiis vacantibus per promotionem, quale non est, de quo hic loquimur, utpote vacans potius per mortem. Nam concessa retentio nova magis collatio dici meretur, quàm *manus appositio*, cum nihil interesse videatur, an Papa tale beneficium suæ dispositioni per promotionem delatum, eidem, vel alteri conferat.

Dices: in *cit. Extravag.* habetur expressè, quòd reservata sint talia beneficia tempore promotionis vacantia, & in ante vacatura: ergo & post mortem promoti reservata dicenda sunt. Respondeo nego consequentiam. Sensus enim est, quòd beneficia per promotionem reservata censeantur, tam, quæ tempore datæ *Extravag.* vacabant,

quam quæ per futuras promotiones vacatura essent; sicut leges ordinariæ, & præsentibus, & futuris casibus prospicere solent.

Porro Beneficia illorum qui ad ve-60 ros Episcopatus promoti sunt, jure ordinario vacare incipiunt, post adeptam pacificam possessionem Episcopatus, & simul consecrationem; vel si Episcopus jam prius consecratus, ab uno Episcopatu ad alium transferatur, aut consecrationem petere neglexerit, loco consecrationis post spatiũ 3. mensium. *cap. 7. §. cum verò de Elect.* nisi aliud expressè decreverit S. Pontifex, fortè, ut prius beneficium statim à tempore promotionis, vel confirmationis alteri conferatur. Garz. *d. cap. 6. n. 5.* Barbof. *num. 69.* Paris. *de Resignat. Benefic. lib. 3. Quest. 1. n. 76.*

IV. Vacant beneficia in Curia, quo-61 rum vacantia, & simul reservatio per generalem sententiam alicujus Bullæ ex Curia Romana promanantis inducta est. Paris. *lib. 11. Q. 8.* Talia sunt I. Beneficia propter crimen hæresis vacantia. Bulla *Pii V. 29.* quæ incipit: *Cum ex Apostolatus &c.* II. Vacantia per simoniam, & simoniacam resignationem per Bullas *Pii IV. & Pii V.* relatas à Barbof. *d. alleg. 57. n. 41.* III. Parochiæ non collatæ secundum formam *Trid. Sess. 24. de Reform. cap. 18.* per Bullam *Pii V.* quæ est in ordine 32. IV. Beneficia vacantia ob non factam publicationem resignationis juxta Constitutionem *Gregorii XIII.* ordine 85. V. Beneficia vacantia, Sede Episcopali vacante, per Bullam *Pii V.* quæ incipit: *Sanctissimus in Christo &c.* De quibus aliisque reservationibus pluribus videri possunt Barbof. *dict. alleg. 57. à num.*

num. 35. Garz. part. 11. cap. 3. & alii ab iisdem citati.

62 De Beneficiis vacantibus apud *Sedem Apostolicam*, & vacantibus in *Curia* hæc adhuc notabilis differentia insinuanda venit. Quod priora illa beneficia intra mensem à die *vacationis*, non *scientiæ*, computandum, Pontifex conferre debeat, alioquin dicto tempore elapso valebunt collationes ab Ordinariis factæ potestate Ordinaria, ac si nulla unquam reservatio extitisset, ita tamen, ut per seipso, si præsentibus Ordinarii in Diocesi fuerint, vel absentes, per Vicarios Generales intra Diocesim existentes, & speciale Mandatum habentes conferre debeant. cap. 3. h. tit. in 6. quam Constitutionem quidem abrogatam per *Extravag. 1. aut 13. h. tit. inter commun.* censet Passerinus ad cit. cap. num. 2. utpotè quibus tanquam Constitutionibus posterioribus, reservantibus absolute beneficia vacantia in Curia provisioni S. Pontifici, derogatum fuit priori Constitutioni Gregorii X. in cit. cap. 3. h. tit. in 6. relati. Contrarium tamen, scilicet non fuisse hoc cap. per cit. binas *Extravag.* correctum, probabilius videtur Garziæ part. 5. cap. 1. num. 101. tum quod *Extravag. 1.* data sit Anno primo Pontificatus Bonifacii VIII. Compilatio verò Libri sexti *Decretalium* jussu ejusdem Bonifacii facta, Anno dein 4. promulgata, cui *Decretalem Gregorii X.* in cit. cap. 3. h. tit. in 6. relata imprudenter utique inseruisset, si eam voluisset per *d. Extravag. 1.* esse revocatam. Tum ex generalibus regulis, quod correctio juris sit odiosa; ideoque nisi clarè de ea constet, admitti non debeat, quæ correctio clarè ex *citt. juribus* doceri non potest.

Quòd si post mensem non appareat, provisionem Beneficii ab *Ordinario* fuisse factam, poterit Papa, re adhuc integra, moram purgare, & beneficium apud *Sedem* vacans conferre, quia restrictio hæc ad mensem non operatur, quod post mensem omnimodo excludatur Pontifex, ut conferre non possit; sed hoc tantum, ut post hunc mensem manus Ordinarii ulterius non censeantur ligatæ. Murga cit. *Quest. 3. n. 264.* Quoad alia beneficia in *Curia tantum* vacantia certus terminus pro collatione præfixus non est. *Æneas Falcon. Quest. 4. principali Effectu 20.* Barbof. *d. alleg. 57. n. 24.* Garz. part. 5. cap. 1. num. 100. Tusch. *Lit. B. Conclus. 76.*

Vidimus, quæ Beneficia jure communi reservata sint, nunc videndum, quæ à dictis reservationibus eximantur. I. Eximuntur à reservatione 63 Beneficia Jure *Patronatus Laici* affecta, tametsi in *Curia* vacaverint, dum tamen *fundatione, dotatione, aut ædificatione* illud sibi comparaverint, Barbof. *d. allegat. 57. num. 25.* Murga *d. Quest. 3. num. 267.* & hoc ideo, nè fideles Laici à piis foundationibus abstrahantur, & ut remunerationem quandam suæ erga Ecclesiam præstitæ munificentiae capiant. Si *Jus Patronatus* privilegio, consuetudine, aut præscriptione acquisiverint, beneficia taliter in *Curia* vacantia reservationi manent obnoxia. *cit. Auth. De Jure Patronatus Clericorum* ita obtinet, ut, siquidem illud acquisiverint ex *fundatione* de bonis prospectu Ecclesiæ acquisitis, à prædicta reservatione ipsorum beneficium *Patronatum* exemptum non est: sin verò ex bonis propriis, sive patrimonialibus *dotando, fundando, ædificando* jus

Patronatûs acquisiverint, pari exemptione cum Laicis gaudent.

II. Dictæ reservationes locum non habent in beneficiis *manualibus*, *regularia*, illa fuerint, aut *seularia*, nihil interest, quia in odiosis nomine beneficiorum non veniunt. Gonzalez ad Reg. 8. *Cancell. Gloss. 8. num. 11.* Barbof. *alleg. 57. n. 29.*

III. Beneficia ex causa *permutationis* resignata non reservantur, quia propriè loquendo, vacare non dicuntur. Layman. *lib. 4. tract. 2. cap. 11. n. 2.*

IV. Excipiunt à prædicta reservatione Gloss. in *cap. 25. h. t. in 6.* & Caspar. Perusius in *tract. de Reservat. q. 5. princip. n. 22.* Beneficia *patrimonialia*, vel *Canonicatus* Ecclesiarum Cathedralium, qui Theologiæ Magistris, & Juris Canonici Doctoribus per electionem Canonicam conferuntur. Monet tamen Covarruv. *lib. 2. Pract. Quæst. cap. 36. n. 4.* hac in parte usum & consuetudinem observari debere.

64 Circa reservationem contentam in *Extrav. un. Joan. XXII. h. tit.* dubium movet P. Engel *num. 13. h. t.* An, si aliquis Clericus habens beneficium *Curatum*, aliud acquirat incompatible, consequenter vi dictæ *Extravag.* primum resignet in manus *Ordinarii*, an hoc resignatum censeatur reservatum S. Pontifici, vel potiùs secundum obtentum, & pacificè ac cum commodo fructuum

possessum (aliàs enim nec primum vacabit. Garz. *part. 11. cap. 5. num. 123.*) aut verò utrumque?

Cochier ad Reg. 1. *Cancell. num. 23. Vers. octavus Casus.* & P. Wagnereck. ad *d. Extrav. Not. 4.* utrumque reservatum putant propter verba: *quæ omnia & singula vacatura, vel dimissa.* Probabilior tamen videtur opinio Gloss. ad *d. Extrav.* Barbof. *ibid. num. 10.* Navarr. *Consil. 18. n. 3. h. t.* dicentium, primum beneficium in manibus *Ordinarii* resignatum non fieri reservatum S. Pontifici. Fundatur hæc Sententia I. in *cap. 28. h. tit.* ubi primum reservatum non fuit. Hoc autem *cap.* per *d. Extrav.* expressè correctum non est, sed potiùs confirmatum per illa verba: *In manibus Ordinariorū dimittere debeant.* II. Per Textum expressum in *cap. 28. h. t. in 6.* ubi dicitur, quod Episcopus beneficium *Curatum* incompatible alteri de jure conferre possit.

Utramque Sententiam non minùs probabiliter conciliat Gonzal. *Gloss. 15. §. 2. num. 14.* & *Gloss. 51. n. 36. & 38.* ut scilicet primum etiam beneficium reservatum sit S. Pontifici, si secundum incompatible impetratum fuerit à Sede Apostolica propter textum *Extravag. ad Regimen Vers. nec non etiam, quæ per assentionem &c.* & per *Reg. 8. Cancell.* Non item, quando secundum collatum est ab *Ordinario.*

§. VIII.

Quæ Beneficia per Regulas Cancellariae reserventur?

SUMMARI A.

65. 66. 67. Regularum harum indoles, & natura describitur. 68. Regula I. innovat reservationes contentas in *Extrav. 13. h. t. int. commun. & Extrav. Execra-*

crabilis h. t. 69. Regula II. reservat omnes Ecclesias Patriarchales, Archi- & Episcopales, nec non Monasteria virorum. 70. Regula III. reservat dignitates majores post Pontificalem in Cathedralibus. 71. Regula IV. reservat beneficia Collectorum Camere Apostolicæ. 72. Regula V. reservat beneficia Curialium, qui Romanam Curiam sequuntur, ubicunque demum moriantur. 73. Regula VI. reservat beneficia Cubiculariorum Papæ. 74. Regula VII. reservat omnia beneficia trium Patriarchalium Ecclesiarum Romæ. 75. Regula VIII. complectitur Menses Papales. 80. Posterior bujus Regule pars disponit de Mensibus Ordinariorum.

65 **N**ot. I. Regulas Cancellariæ dici, quæ Cancellariam Apostolicam, & res beneficiales potissimum concernunt. Harum regularum author exitisse dicitur Joannes XXII. circa Annum 1316. cujus vestigiis dehinc inherentes alii PP. plures, vel pauciores regulas Cancellariæ suæ officialibus successivè dederunt; donec Nicolaus V. Anno 1447. easdem in constantem, & meliorem formam redegit, à qua Successores ejus amplius recedere non solebant, licèt novas earundem declarationes, moderationes, & extensiones subinde fecerint juxta negotiorum, & occurrentium causarum varietatem. Barbos. de Offic. & Potest. Episc. alleg. 75. num. 58. Gonzalez ad reg. 8. Cancell. §. 1. Procem. n. 55. Garz. Part. 5. cap. 1. num. 190.

66 **N**ot. II. Regulas istas tantum durare ad vitam Pontificis, & cum ejus morte exspirare, sive naturalis illa fuerit, sive civilis, putà renunciatione, ut patet in exemplo CLEMENTIS cap. 1. C. 8. Q. 1. S. PETRI COELESTINI &c. adeoque sede Papali vacante vim obligandi nullam habere. Flam. Paris. de Resign. Benefic. Quest. 2. n. 51. Zerol. in Praxi Episc. part. 1. V. Regule Cancellariæ §. 7. Quodsi proinde beneficiorum reservatio in istis præcisè

regulis fundata fuerit, illa cessabit, usque ad novi Pontificis electionem, & per eundem expositfactò dictarum regularum iteratò factam assumptionem, id quod immediatè die altera ipsam electionem consequente, fieri solet, ut testatur Barbos. d. alleg. 57. num. 62. Interim, dum hoc fiat, omnes menses sunt ordinariorum, possuntque Episcopi beneficia, aliàs per regulas Cancellariæ reservata, vacante sede in quolibet mense conferre. Barb. d. l. n. 92.

Excipiuntur tamen illa beneficia, 67 quotum reservatio non ab obitu suorum possessorum, vel ratione regularum Cancellariæ inducitur, sed vel ratione personæ, ut quia possidens erat officialis, curialis Papæ, aut aliàs adesset reservatio, quæ personæ possessoris adhereret, vel ratione ipsius beneficii, putà, quia erat prima dignitas, monasterium, vel alio modo ratione rei affectum Sedi Apostolicæ; tunc enim, etiamsi vacatio contingat, Sede Apostolica vacante, collatio tamen spectat ad futurum Papam, quia reservatio hoc in casu non inducitur per obitum possessoris, nec virtute regularum Cancellariæ, quæ tempore vacantis sedis, & ipsæ vacant, sed hæc reservatio jam fuit inducta, & quasi à principio ipsius beneficiati ossibus infixæ,

ab eo nempe statim tempore, quo factus est curialis, aut familiaris Pontificis, aut, quo beneficium ad primam dignitatem euectum est, aut, si quo alio modo beneficium antea Sedi Apostolicæ affectum fuit. Quæ reservationes, cum vivente adhuc Pontifice, & vigentibus regulis Cancellariæ inductæ fuerint, morte Pontificis, regulisque Cancellariæ extinctis, non extinguuntur, quia beneficium semel affectum, semper manet affectum. *Extrav. ad Romanos h.t. Barbof. l. cit.* Nunc beneficia per regulas Cancellariæ reservata cum Pax Jordano *Tom. 2. de Re benefic. lib. 10. Tit. 1. à num. 9. ad 31.* & Petro de Murga *d. Quest. 3. à num. 300.* lubet recensere.

68 Itaque regula I. tres partes continens, innovat imprimis reservationes contentas in *Extravag. 13. h.t. inter commun.* singulariter illam, circa beneficia vacantia per obitum curialium, quam extendit, ut locum habeat, tametsi beneficiati illi ante obitum officiales esse desierint. Secunda pars innovat reservationes contentas in *Extravag. Joann. XXII. execrabilis h.t.* circa beneficia incompatibilia, vacantia, vel vacatura, juxta dicta superius. In tertia parte reservantur omnia beneficia contra formam Tridentini collata, v. g. *curatum* illi, qui nondum 25. Annorum erat citra dispensationem. *Sess. 7. de Reform. cap. 3.* vel beneficium simplex ei, qui necdum est 14. Annorum, aut prima tonsura initiatus contra *Sess. 23. cap. 6.*

69 Regula II. reservat omnes Ecclesias Parochiales, Archi-Episcopales, Episcopales, & Monasteria virorum, valorem annuum ducentorum florenorum

auri de Camera communis æstimationis excedentia, & hæc propter discordias, quæ in electionibus jure communi ad Capitulum & Canonicos spectantibus frequenter evenire solebant. Ad didit Pius V. reservationem omnium beneficiorum vacantium in *interregno* per mortem Episcopi, Abbatis, aut alterius cujuscunque collatoris, si nempe collatio ad ipsum solum (non verò cum alio, vel aliis, aut etiam ad alterius præsentationem, vel electionem) pertinebat, donec successor eligatur. Sed hæc regula, sicut teste *Barb. n. 86.* non derogat juri Patronatus regio, etiam ex privilegio tantum, vel consuetudine competenti, ita nec in Germania obtinet propter concordata, de quibus in *§. seq.*

Regula III. reservat in omnibus Ecclesiis *Cathedralibus*, & *Metropoliticiis* dignitates majores post Pontificalem, unam scilicet in quavis Ecclesia, v. g. *Præposituram*, vel *Decanatum* pro diversa provinciarum consuetudine, quæ subinde hæc, subinde altera dignitas præfertur. In Ecclesiis verò *Collegiatis*, & non *Cathedralibus* reservat primam dignitatem, sive *Præpositura* sit, sive *Decanatus*, sive alio nomine veniat. Ulterius vi hujus regulæ reservantur omnes *Prioratus*, *Præpositura*, & dignitates conventuales, & *Præceptorie* generales quorumcunque Ordinum, quæ in *commendam* dari solent, sed non *militarium*. *Barbof. num. 105.*

Regula IV. reservat beneficia omnium collectorum, & subcollectorum fructuum, & proventuum Camerae Apostolicæ debitorum, & in quibus, seu ad quæ eis jus competeat.

Regula V. reservat beneficia quorum-

rumcunque curialium, qui sequentes *Romanam curiam*, de loco ad locum pergentem, moriuntur in quovis loco, quantumvis à dicta curia remoto. Curiales verò ad hunc effectum sunt omnes familiares, & qui serviunt Cardinalibus. Huc etiam spectant omnes Judices, Notarii, Advocati &c. quæ quidem reservatio est ampliatio aliarum reservationum juris communis, de quibus jam supra actum.

73 Regula VI. reservat beneficia *cubiculariorum Papæ* actualium, qui magnam dicuntur habere dignitatem, proinde ad cubicularios *honorarios* tantum hæc reservatio non extenditur, ut pluries tenuit Rota, de qua Gonzalez *Gloss. 51. num. 95.*

74 Regula VII. reservat quoscunque Canonatus, præbendas, dignitates, personatus, & officia trium Patriarchalium Ecclesiarum, *Lateranensis, S. Petri, & S. Mariæ Majoris* de urbe. Nec non omnium Ecclesiarum titularium, Episcopatum, Presbyteratum, & Diaconatum S. R. E. Cardinalium, durante illorum absentia à curia Romana tam quoad Ecclesias *urbis*, quàm civitatum, & Dioecesium dictorum, Episcopatum Cardinalitiorum, videlicet I. *Hostiensis, & Velitrensis* unitarum. II. *Portuensis.* III. *Prænestini.* IV. *Tusculani.* V. *Albanensis.* VI. *Sabinensis.* Gonzalez *d. Gloss. 51. num. 97. & seq.* & plenius *Gloss. 13. Quest. 7.*

75 Regula VIII. (hodie IX. & circa materiam reservationis ultima) complectitur *Menses Apostolicos*, & *alternativam* pro Episcopis, Archi-Episcopis, & Patriarchis residentibus. Et prior quidem regulæ hujus pars quoad omnia beneficia Ecclesiastica propriè di-

cta, & prioribus etiam regulis non comprehensa, quocunque demum modo vacantia, vel vacatura, restringit potestatem ordinariorum ad quatuor tantum menses, videlicet *Martium, Junium, Septembrem, & Decembrem*, in quibus beneficia vacantia conferre possunt, reliquis mensibus collationi Pontificiæ reservatis. Sub hac tamen reservatione non comprehenduntur beneficia *manualia*, sive ad nutum revocabilia, quia hæc, cum perpetua non sint, propriè nunquam vacant; Papa verò per hanc regulam tantum vacantia reservat. Cochk. *ad d. R. Gloss. 1. n. 15.* Barbos. *de Offic. & Potest. Episcop. alleg. 57. num. 141.* Uti nec beneficia Episcopali, Capitulari, aut Abbatiali mensæ perpetuò incorporata, ex eadem ratione, quia & ista nunquam vacare censentur, Gonzalez *Gloss. 5. Proæm. §. 6.* sicuti etiam *commendata* huic reservationi non subjacent, quia per obitum *Commendatarii* cessat quidem *commenda*, non verò per eandem vacat. Gonzalez *Gloss. 5. §. 8. num. 34.* De pluribus aliis beneficiis exceptis videatur Cochkier *ad. h. regul. Gloss. 1. num. 3. §. 7. & 8. Gloss. 4. num. 8.* Gonzalez *Gloss. 5. §. 9. n. 64. & §. 7. n. 39.* Barbos. *d. alleg. 57. num. 158.*

Posterior hujus regulæ pars tribuit Patriarchis, Archi-Episcopis, Episcopis in Ecclesiis, aut Dioecibus suis verè, ac personaliter residentibus *alternativam*, ut scilicet sex mensibus *Februario, Aprili, Junio, Augusto, Octobri, & Decembri* omnia, & quæcunque beneficia, cum cura, & sine cura, secularia, & regularia ad liberam ipsorum duntaxat, non autem aliorum cum eis dispositionem, præsentationem, vel

vel electionem, nec etiam cum consilio, vel consensu seu interventu Capitulorum, vel aliorum pertinentia liberè conferre, & de iis disponere possint. Idem hodie in Germania universim Episcopis, & collatoribus ordinariis per concordata concessum est, ut postea dicitur. Mensis autem computatur à media nocte ultimi diei, &

ibidem terminatur l. 7. ff. de Feriis. In dubio, si non constet, quo mense vacaverit beneficium, pro favore ordinarii præsumi debere, docet Garzias Part. 5. cap. 1. num. 528. eò quòd odiosa sint reservationes. Idem est, si non constet, quis prævenit, & neuter provisus in possessione beneficii fuerit.

§. IX.

De reservatione Beneficiorum per Concordata Germaniæ.

SUMMARI A.

77. Concordata Germaniæ quid sint, & quæ eorum causa impulsiva? 78. Tenor concordatorum. 79. In his concordatis innovantur reservationes per Extrav. Execrabilis, & ad regimen h. t. 80. Item quomodo provisio in Ecclesiis majoribus fieri debeat, regulatur. 81. Ubi concordata specialiter non derogant, reservationes tam de jure communi, quàm per Regulas Cancellariæ inductæ manent in suo robore. 82. Disponitur de Mensibus Papalibus. 83. 84. Subjuncta limitatione, & explanatione §. de cæteris. 85. In §. placet annatarum solutio regulatur. 86. Concordata sunt aliquid reale, non personale. 87. 88. Concordata habent sub diverso respectu vim pacti, & vim legis. 89. Quomodo protestantes utantur concordatis? 90. Ex plenitudine potestatis S. Pontifex Concordatis derogare potest. 91. Extra casum gravis necessitatis S. Pontifex de via ordinaria cum ordinariis collatoribus in eorum Mensibus non concurrat. 92. Ordinarii mortuo Pontifice beneficia in Mense Papali vacantia conferre possunt. 93. Concordatis præscriptio immemorialis opponi potest, cum resolutione Argumentorum ab AA. oppositorum.

77 **C**oncordata Germaniæ sunt solennis quædam conventio inter Nicolaum V. S. Pontificem, & Fridericum III. Romanorum Imperatorem, & reliquos tum Ecclesiasticos, tum Sæculares imperii proceres in ita, quæ vaga, & confusa hæctenus beneficiorum collatio ad certas regulas determinatur, suisque limitibus, ut ne nimium Sedis Apostolicæ authoritati præjudicet, circumscribitur. Causam dedit huic con-

cordiæ fatale illud Schisma, quod tempore Concilii Basileensis enatum est, ubi exauctorato EUGENIO IV. legitimo Pontifice, à dicti Concilii Patribus Amadeus de Sabaudia, qui FELICIS V. nomen assumpsit, per vim intrusus, & in ejus locum surrogatus fuit. Ea tempestate sub Imperatore Friderico III. Principibus Germaniæ non paucis legitimo Pontifici Eugenio IV. obedientiam profitentibus, aliis nec verò, nec Pseu-

Pseudo-Pontifici adhaerentibus, sed neutralitatem foventibus, eò devotum est, ut sprete Pontificia auctoritate, circa provisionem beneficiorum Ecclesiasticorum libertate assumpta, atque inducta per conciliabulum *Basileense* omnia ferè beneficia Principes Laici conferrent, ut refert *Bzovius* Anno 1444. Tandem interventu Cardinalis Thomæ Sarzanensis, Episcopi Bononiensis ab Eugenio IV. in Germaniam ad *Fridericum III.* missi hæ turbæ taliter compositæ fuere, ut Germaniæ Principes omnes Eugenium pro vero, & legitimo Pontifice agnoscerent, eidemque obedientiam deferrent. Inita deinde *Francofurti* 1446. inter dictum legatum Pontificium, & Cæsaris, aliorumque imperii Principum legatos varia pacta, in quibus plura Nationi Germa-

nicae indulta fuere per Sedem Apostolicam, quoad collationem Ecclesiarum, & beneficiorum, ut hoc pacto paci, & tranquillitati consuleretur. Hæc verò pacta (seu vocare malis) concordata, Eugenio IV. paulò post vita functo, à dicto Cardinale legato, eidem in Pontificali munere suffecto, ac *Nicolao V.* dicto deinceps solenni constitutione firmata, & roborata sunt, cum clausula: quod in perpetuum valere debeant, nisi in futuro aliquo Concilio cum consensu Nationis Germanicæ aliter ordinatum fuerit. Fusius hanc historiam enarrat *Eminent. Card. Vincentius Petra* in *Comment. ad constitut. Apost. Tom. 4. pag. 521. 526. 574. & Tom. 5. pag. 1. & seqq.* Tenor horum Concordatorum est sequens:

NICOLAUS EPISCOPUS SERVUS SERVORUM DEI, AD PERPETUAM REI MEMORIAM.

78 **A**d sacram Petri Sedem Divina dispositione sublimati, singulis, quæ pro universalis Ecclesiæ unione, ac pace, & tranquillitate, profutura conspicimus, Apostolicæ providentiæ sollicitudinem libenter intendimus, & ad felicem illorum prosecutionem & consummationem, opem, & operam impendimus efficaces. Nuper siquidem Charissimus in Christo filius Noster, *FRIDERICUS* Romanorum Rex Illustris, & nonnulli alii dilecti filii, Ecclesiastici, & Seculares Principes Inclytæ nationis Germanicæ, ex una; ac dilectus filius Noster, *Joannes sancti Angeli* Diaconus Cardinalis in partibus illis Apostolicæ Sedis de latere Legatus, per Nos ad dictas partes missus sufficienti desuper à Nobis, & Sede Apostolica auctoritate suffultus, ex

alia partibus, Romanæ Ecclesiæ, & dictæ nationis nomine, pro ipsius Ecclesiæ unione, pace, & tranquillitate, inter Ecclesiam, & nationem prædictam, perpetuò solidandis, & conservandis, diversa rationabilia, & utilia, ordinationes, & statuta, à partibus hinc inde approbata, laudata, conclusa, acceptata, & concordata fecerunt, ac ediderunt, Nobisque humiliter supplicari fecerunt, ut illis pro firmitate eorum subsistentia, robur Apostolicæ firmitatis adjicere, nec non auctoritatem potiozem, & decretum interponere dignareremur.

Nos itaque, qui statuta, ordinationes, & concordata prædicta, per nonnullos ex venerabilibus fratribus Nostri sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalibus, magnorum

U

ma-

maturitatis, auctoritatis, & litteraturæ viros diligenter examinari, & discuti fecimus, eaque rationabilia & salubria tam Ecclesiæ, quàm nationi præfatæ fore comperimus; de doctorum, & aliorum venerabilium fratrum Nostrorum prædictæ Ecclesiæ Cardinalium, consilio, & assensu, Apostolica auctoritate, & certa scientia approbamus, ratificamus, laudamus, & acceptamus, & præsentis scripti patrocinio communimus; juxta modum & formam subsequentes.

I. Placet Nobis super provisione Ecclesiarum, & beneficiorum Ecclesiasticorum quorumcunque juris scripti reservatione, & execrabilis, ac ad regimen, constitutionum modificatis ut sequitur. Ad regimen Ecclesiæ generalis, quamquam immeriti, superna dispositione vocati, gerimus in Nostris desideriis, ut debemus, quod per Nostræ diligentis studium, ad quarumlibet Ecclesiarum, & monasteriorum regimina, & alia beneficia Ecclesiastica, juxta Divinum beneplacitum, & Nostræ intentionis affectum, viri assumantur idonei, qui præsent, & prosint committendis eis Ecclesiis, Monasteriis, & beneficiis prælibatis. Præmissorum itaque consideratione inducti, & suadentibus Nobis aliis rationabilibus causis nonnullorum prædecessorum Nostrorum Roman. Pont. vestigiis inherentes, omnes Patriarchales, Archi-Episcopales, & Episcopales Ecclesias, & etiam monasteria, Prioratus, dignitates, personatus, & officia, nec non Canonatus, præbendas, & Ecclesias, ceteraque beneficia Ecclesiastica cum cura, & sine cura, secularia, & regularia, quæcunque, & qualiacunque fuerint, etiamsi ad illa personæ consueverint, seu debuerint per electionem, seu quemvis alium modum assumi, nunc apud Sedem Apostolicam quocunque modo vacantia, &

inposterum vacatura: nec non per dispositionem, vel privationem, seu translationem per Nos, seu auctoritate Nostra factas, & inantea faciendas ubilibet: nec non ad quæ aliqui in concordia, vel discordia electi sive postulati fuerint, quorum electio cassata, seu postulatio repulsa, vel per eos facta, renuntiatio & admissa auctoritate Nostra extiterit, seu quorum electorum, vel postulatorum, & inantea elegendorum, seu postulandorum electionem cassari, seu postulationem repelli, aut renunciationem admitti per Nos, aut auctoritate Nostra continget apud Sedem prædictam, vel alibi ubicunque, & etiam per obitum Cardinalium ejusdemque Ecclesiæ Romanæ, aut officialium dictæ Sedis, quamdiu ipsa officia tenebunt (videlicet Vice-Cancellarii, Camerarii, septem Notariorum auditoris litterarum contradictarum, & Apostolici Palatii causarum Auditorum, correctorum, centum, & unius Scriptorum Litterarum Apostolicarum, & viginti quatuor Pœnitentiariæ præfatæ Sedis, & viginti quinque Abbreviatorum, nec non Verorum Commensalium nostrorum, & aliorum viginti quatuor Capellanorum Sedis ejusdem in Epitaphio descriptorum) & etiam quorumcunque Legatorum, seu Collectorum, ac in terris Romanæ Ecclesiæ Rectorum, ac Thesaurariorum Deputatorum seu missorum hactenus, vel deputandorum, aut mittendorum in posterum, nunc vacantia, & inantea vacatura ubique dictos Legatos, vel Collectores, seu Rectores, & Thesaurarios antequam ad Romanam Curiam redierint, seu venerint, rebus eximi contigerit humanis, nec non quorumlibet pro quibuscunque negotiis ad Romanam Curiam venientium, seu etiam recedentium ab eadem, si in locis à dicta Curia ultra duas dietas Legales non distantibus jam forsitan obierint, vel

vel eos inantea ab hac luce transire contigerit, & etiam simili modo quorumcunque Curialium peregrinationis, infirmitatis, seu recreationis, vel alia quacunque causa ad quevis loca secedentium, si eos, antequam ad dictam Curiam redierint, in locis ultra duas diæas ab eadem Curia, ut promittitur non remotis (dummodo eorum proprium domicilium non existat ibidem) jam forsitan decesserint, vel imposterum eos contigerit de medio submoveri, etiam nunc per obitum huiusmodi vacantia, vel in posterum vacatura: rursus Monasteria, Prioratus, Dignitates, Personatus, administrationes, Officia, Canonicatus, Præbendas, & Ecclesias, ceteraque Beneficia Ecclesiastica Secularia, & Regularia, cum Cura vel sine Cura, quæcunque & qualiacunque fuerint, etiam si ad illa personæ consueverint, seu debuerint per electionem seu quemvis alium modum assumi, quæ promoti per Nos seu auctoritate Nostra ad Patriarchalium, Archiepiscopaliū, Episcopaliū, Ecclesiarum, nec non Monasteriorum regimina obtinebant tempore promotionum de ipsis factarum nunc quocunque modo vacantia, aut imposterum vacatura. Nec non etiam per assecutionem pacificam quorumcunque Prioratum, Personatum, Officiorum, Canonicatum, Præbendarum, Ecclesiarum, aut Beneficiorum aliorum per Nos, seu auctoritate nostrarum Litterarum immediatè Collatorum, seu conferendorum imposterum, præterquam si virtute gratiæ expectatiuæ assecutio fiet, nunc vacantia & inantea vacatura, plena super præmissis omnibus & singulis cum fratribus nostris collatione præhabita, & matura deliberatione secuta, ordinationi, dispositioni, ac promissioni nostræ, de Ipsorum Fratrum Consilio, auctoritate Apostolica, reservamus, decernentes ex nunc irritum

& inane, si secus super præmissis & quolibet eorum, per quoscunque, quavis auctoritate, scienter, vel ignoranter, contigerit attentari.

II. Item placet nobis, quòd in Metropolitanis, & Cathedralibus etiam immediatè non subjectis Ecclesiis, & Monasteriis immediatè subjectis Sedi Apostolica, fiant electiones Canonice, quæ ad dictam Sedem deferantur, quas etiam ad tempus Constit. se. rec. Nicolai Papæ III. quæ incipit, cupientes &c. expectabimus: & elapso dicto tempore si non presentata, vel si presentata: minus Canonice fuerint, providebimus, & si Canonice fuerint, eas confirmabimus, nisi ex rationabili, & evidenti causa, ac de dictorum Fratrum Consilio, de digniori, & utiliori persona duxerimus providendum: proviso quod confirmati prædicti, & per eos provisi, Metropolitanis suis, & aliis præsent debita iuramenta, & alia, quæ de jure tenentur, etiam in Monasteriis dictæ Sedi immediatè non subjectis, & aliis Regularibus beneficiis: super quibus pro Confirmatione vel provisione ad dictam Sedem non consuevit haberi recursus, electi, seu illi, quibus providendum est, pro Confirmatione, & provisione huiusmodi ad Curiam Romanam venire non tenebuntur: Ipsaque regularia beneficia sub expectativis gratiis non cadant. Ubi autem pro Monasteriis ad dictam Curiam venire seu mittere consueverint, non aliter confirmabimus vel providebimus, quam superius de Cathedralibus Ecclesiis est expressum. Et de Monasteriis Monialium non disponemus, nisi sint exempta, & tunc per Commissionem ad partes.

III. De ceteris verò dignitatibus, & beneficiis quibuscunque Secularibus, & Regularibus vacaturis ultra reservationes prædictas (majoribus dignitatibus post Pontifi-

cales, in Cathedralibus, & Principalibus, Collegiatis Ecclesiis exceptis: de quibus iure ordinario provideatur per illos inferiores, ad quos aliis pertinet) placet etiam Nobis, quod per quamcunque aliam reservationem, gratiam expectativam, aut quamvis aliam dispositionem, sub quacunque verborum forma per Nos, vel auctoritate Nostra factam vel faciendam, non impediamus Nos, quominus de illis cum vacabunt de Februarii, Aprilis, Junii, Augusti, Octobris, & Decembris mensibus, liberè disponatur per illos, ad quos eorum collatio, provisio, presentatio, electio seu quævis alia dispositio pertinebat: reservatione, aliave quavis dispositione, auctoritate Nostra factis vel faciendis non obstantibus quibuscunque. Quoties verò aliquo vacante beneficio in Januarii, Martii, Maji, Junii, Septembris, & Novembris mensibus specialiter dispositioni dictæ Sedis reservatis non apparuerint infra tres menses à die motæ vacationis in loco beneficii, quod alicui de illo Apostolica Auctoritate provisum fuerit, ex nunc & non antea ordinatio collationum beneficiorum non reservatorum, per alternos menses possit per dictam nationem publicari, & omnes, qui ea gaudere voluerint, tempus congruum habeant eam acceptandi, tunc quoad dictam Sedem à Kalendis Junii proximè futuris ipsa currere incipiet, & durabit deinceps, nisi futuro Concilio de consensu dictæ nationis aliter fuerit ordinatum.

IV. Placet similiter Nobis, quod circa provisionem dictæ Sedis ordinandam modus annatarum hoc modo currat. De Ecclesiis Cathedralibus omnibus, & monasteriis vivorum duntaxat vacantibus, & vacaturis, solvantur de fructibus primi Anni à die vacationis, summæ pecuniarum in libris Cam. Apost. taxatæ, quæ communia

servitia nuncupantur, & si quæ excessivè taxatæ sint, quod provideatur specialiter in gravatis regionibus secundum qualitatem rerum, temporum, & regionum, ne nimium prægraventur, ad quod petentibus dabimus commissionem in partibus, qui diligenter inquirent, & retaxent. Taxæ autem prædictæ pro media parte infra Annum à die habitæ possessionis pacificæ totius vel majoris partis solvantur, & pro alia media parte infra Annum sequentem, & si infra Annum bis vel pluries vacaverint, semel tantum solvantur: nec debitum hujusmodi in successorem in Ecclesia, vel monasterio transeat. De ceteris verò dignitatibus, personalibus officiis, & beneficiis Secularibus, ac regularibus quibuscunque, quæ auctoritate dictæ Sedis conferentur, vel, de quibus providebitur (præterquam vigore gratiarum expectativarum, aut causa permutationis) solvantur annatæ seu medii fructus juxta taxam solitam à tempore possessionis intra Annum, & debitum hujusmodi similiter in successorem in beneficio non transeat. Sed de beneficiis, quæ valorem viginti quatuor florenorum Anni de Camera non excedunt, nihil solvatur: durèque hæc observantia deinceps, si eam similiter in futuro Concilio de Ipsius nationis consensu contingat immutari.

V. In aliis autem, quæ per fel. mem. Eugenium Papam IV. etiam Prædecessorem Nostrum pro dicta natione usque ad tempus futuri generalis Concilii permissa, concessa, indulta, & decreta, ac per Nos firmata fuerunt, in quantum illa concordie præfenti non obviant, ista vice nihil volumus esse immutatum: & per hoc, quod in concordatis hujusmodi, sive quibusvis aliis eorum occasione, consiciendis litteris, propter compendiosorem descriptionem, alamina specialiter appellatur, natio ipsa cense-

feri

feri non debet à Germanica natione distincta, seu quomodolibet separata.

VI. Et præterea, quia difficile foret præsentibus litteras ad singula, in quibus de eis forsitan fides facienda fuerit, loca deferri, eadem Apostolica auctoritate decernimus, quod ipsorum transumpto Metropolitanorum dictæ nationis Sigillo munito, tanquam præsentibus, si exhiberentur, litteris plena fides adhibeatur, & perinde stetur, ac si dictæ præsentibus litteræ forent exhibitæ, vel ostensæ: & insuper quoque irritum & inane, si secus super his à quocumque quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Nulli ergò omninò hominum liceat hanc paginam Nostræ approbationis, ratificationis, laudationis, acceptationis, commutationis, reservationis, constitutionis, & voluntatis infringere, vel ei casu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem Omnipotentis DEI, & Beatorum Petri, & Pauli Apostolorum ejus, se noverit incursum.

Datum Romæ apud sanctum Petrum, Anno Incarnationis Dominicæ, Millesimo quadringentesimo quadragesimo, Kalend. Aprilis. Pontific. Nostr. Anno secundo.

79 In dictis concordatis I. S. Pontifex suæ reservat dispositioni beneficia vacantia per constitutionem *execrabilis 4.* & ad regimen *13. b. t. inter commun.* de quibus jam supra egimus, cum certis tamen modificationibus, quas refert Pirrhing. *b. t. num. 357.* & P. Wagnereck ad Tit. de Præbend. in Exeges. concord. German. §. 1. ad regimen.

80 II. In iisdem concordatis statuitur, quod in Metropolitanis, & Cathedralibus Ecclesiis, etiam immediatè non subjectis Sedi Apostolicæ, & in

Monasteriis eidem immediatè subjectis, fiant electiones Canonice Episcopi, vel Archi-Episcopi, aut Prælati à Capitularibus (conformiter juri communi, sed contra *Regulas Cancellarie*) confirmatio autem ejusmodi electorum Prælatorum immediatè ad S. Pontificem spectet intra tempus in *cap. 16. de Elect. in 6.* contra *cap. 44. eod.* Alioquin, si vel electio intra trimestre per negligentiam Capitularium non fuerit celebrata, aut certè non Canonice, vel etiam terminus confirmationis non fuerit observatus, devolutio ad eandem S. Sedem, non verò ad immediatum superiorem contra *cap. 18. de Elect. in 6.* fiat. Quòd si electio Canonice celebrata fuerit, omninò confirmanda erit, nisi ex rationabili, & evidenti causa cum consilio Cardinalium de digniori, & utiliori persona Papa duxerit providendum. In Monasteriis verò non exemptis electionis confirmatio maneat penes Ordinarium, ceu immediatum superiorem. In Monasteriis Monialium exemptis confirmatio quidem pertinet ad Pontificem, ea tamen ordinariè per commissionem alicui in partibus factam indulgeri solet. Cochier ad *Reg. 8. Cancoll. Gloss. 11. n. 3.* Gonzalez ad *eand. Reg. Gloss. 25. num. 4.*

Notandum hic, quòd in cæteris, ubi *Concordata* specialiter non derogant, maneat priore reservationes, tam per jus commune, quàm *Regulas Cancellariæ* factæ. Sic, si Episcopatus, vel Prælatura vacet per obitum Episcopi, vel Prælati *Secularis*, aut *Regularis* in Curia, libera provisio spectabit ad S. Pontificem per reservationes superius adductas, quibus hac in parte per *concordata* derogatum non est. Pariter, si Episcopo

scopus, vel alius Prælati factus fuerit *Cardinalis*, etiam extra Curiam Romanam, Capitulum non potest eligere, sed iterum libera provisio spectabit ad Papam, propter reservationem indultam ex promotione. Idem est de Ecclesiis, Monasteriis, Dignitatibus, & Beneficiis omnibus, quæ vacant per *depositionem*, *privationem*, vel *translationem* factam auctoritate Sedis Apostolicæ *Extravag. ad Regim. b. t. inter commun.* Similiter, si Decanus, vel Canonicus Ecclesiæ Cathedralis in Episcopum eligatur, ejus *Decanatus*, vel *Canonicatus* aliæque Beneficia vacant in *Curia*, & Papæ sunt reservata. Quod tamen non obtinet, si quis coadjutor Episcopi, etiam cum spe successione constituitur, talis enim nondum est Episcopus, nec habet *jus in re*, sed tantum in spe, unde tametsi coadjuto præmoriatur, ejus beneficia non fiunt reservata S. Pontifici, quia in receptione coadjutorie ejus beneficia non vacarunt. Vid. Emin. Petra *tom. 5. pag. 36. num. 15.* Quod ipsum æque procedit in aliis Beneficiis, quæ vacant per assumptionem alicujus Beneficii incompatibilis auctoritate Apostolica factam. *d. Extrav. §. rursus.*

82 III. In cæteris Dignitatibus, & Beneficiis quibuscunque tam *Secularibus*, quam *Regularibus*, vacaturis in Mensibus *Januarii*, *Martii*, *Maji*, *Julii*, *Septembris*, & *Novembris*, eadem S. Sedes ista sibi Beneficia reservat, in reliquis verò mensibus promittit illa non impedire per quamcunque aliam reservationem, gratiam expectativam (olim valde frequentem) aut quamvis aliam dispositionem factam, aut faciendam, quominus de illis, cum vacabunt, in dictis Mensibus Ordinarii, vel alii col-

latores inferiores liberè disponant, & per hoc correctæ est Regula illa 8. vel 9. *Cancellariæ* quæ tertio quoque mense tantum potestatem conferendi *Ordinariis* dederat. Præterea in iisdem *Concordatis* declaratur, quòd *Prioratus*, & alia Beneficia *Regularia* sub *Gratiis expectativis* non cadant.

A dicta Mensium *alternativa* excipiuntur Dignitates Majores post Pontificalem in Ecclesiis Cathedralibus, & Dignitates Principales in Collegiatis juxta dicta superius, ita ut *Regula 3. Cancellariæ* etiam in Germania circa eas locum habeat, & semper Sedi Apostolicæ reservatæ maneant, quantumvis in Mensibus Ordinariorum vacent, nisi quòd dignitates Regulares non comprehendantur in hoc *§. Concordatorum*, sicut in *Regul. 3. Cancellariæ* comprehensæ sunt. Testantur tamen Layman. & ex eo Pyrrh. Corrad. dictam reservationem non in omnibus Ecclesiis habere locum, sed quasdam ab hac reservationem per speciale privilegium esse exemptas, ut in specie tale privilegium habet Ecclesia Metropolitana *Salisburgensis*, & Cathedralis *Augustana*, in quibus non obstantibus *Concordatis*, Capitulum jus eligendi Præpositum habet.

Illud quoque ex *§. de cæteris V. 84* quoties verò adnotandum venit, quod, licet beneficium in mense Papali vacans collationi S. Pontificis reservatum sit, si tamen de illo intra *trimestre* à die notæ vacationis in loco beneficii collatio, vel provisio per S. Pontificem alicui facta fuisse non apparuerit, ex tunc, & non antea *Ordinarius* de tali beneficio liberè providere possit. Quod ipsum tamen *Gregorius XIII.* per aliam constitutionem *Calend. Novembr. 1576.* editam

tam eatenus restrinxit, ut ordinariis post elapsos 3. menses non protinus concessum sit vacans beneficium conferre, esto non appareat de provisione Papali, sed esse ipsis adhuc aliquantis per expectandum. Sufficit autem de provisione intra 3. menses facta Romæ constare, etsi hoc ipsum ordinariis propter distantiam locorum, aut alia impedimenta constare non potuerit. Coch-
kier *ad reg. 8. Cancell. Gloss. 11. num. 5.* Plura circa intelligentiam hujus §. reperies apud Emin. Petra *Tom. 5. Comment. ad constitut. Apostol. pag. 45. n. 62.*

85 Postremò in §. *placet similiter fin. d. Concordatorum* disponitur circa *annatas*, ut scilicet in omnibus Ecclesiis Cathedralibus, & Monasteriis virorum duntaxat vacantibus, & vacaturis solvantur *annate*, sive pro fructibus primi anni certa quota pecuniaria in libris Camerae Apostolicæ taxata, una quidem ejusdem medietas primo, altera secundo anno à die habitæ pacificæ possessionis. Et si fortè excessiva foret hæc taxa, Commissarii peti possunt à Sede Apostolica, qui juxta qualitatem rerum, temporum, & regionum eam moderentur. Quodsi tale beneficium eodem anno bis, vel pluries vacaverit, *annata* semel tantum solvenda est, nec debitum hujusmodi, si antecessor non solvit, in successorem transfertur, sed hic tantum pro sua, non antecessoris taxa conveniri potest. De dignitatibus, officiis, & beneficiis tam Sæcularibus, quàm regularibus, quorum provisio ad Sedem Apostolicam spectat, solvuntur similiter *annate* intra Annum à tempore pacificæ possessionis, ita, ut si antecessor eas pro se non solvisset, successor debitum illud expungere non

teneatur. De beneficiis, quæ valorem 24. florenorum auri de Camera non excedunt, *annate* non solvuntur, & quia teste Cochkier *ad regul. 61. Cancell.* omnes Canonicatus Hispaniæ, & Germaniæ, tametsi reipsa ultra 1000. fl. proventus annuos ferant, in Camera Apostolica tantum ad valorem 24. *Ducatorum* æstimantur, à solutione *annatarum* sunt immunes.

Illud etiam notandum est, quòd 86 dicta *Concordata Germaniæ* non sint *personalia*, sed *realia*, ita, ut non ad personas collatorum, sed ad situm beneficiorum attendi debeat, quia non ipsis Episcopis, sed Imperatori, totique nationi Germanicæ specialia Concordatorum privilegia concessa sunt. Unde licet jus conferendi beneficium in *Germania* situm extra *Germaniam*, putà ad Episcopum *Italiae* spectet, *Concordatis Germaniæ* conformiter collatio facienda erit. Zypæus *b. t. consult. 6.* Superfunt jam quædam dubia circa vim, & efficaciam Concordatorum, eorumque immutationem, vel derogationem enodanda.

Dubitatur I. An *Concordata* habeant vim *pacti*, vel *legis*, vel duntaxat *privilegii* à S. Pontifice nationi Germanicæ concessi? Resp. Si spectetur eorum initium, vim *pacti* & conventionis publicæ habere: sin verò quoad eorum perfectionem, & approbationem Apostolicam, ac promulgationem considerentur, legis naturam, & quidem legis imperii fundamentalis præferre. Ratio primæ partis est, quod ultro citroque ex his *Concordatis* nata sit obligatio, ex parte nationis Germanicæ quidem, quæ se obstrinxit, quod in mensibus Papalibus aliisque casibus ibidem exceptis nolit beneficia conferre,

re, ac insuper Camerae Apostolicae taxas, & annatas fideliter solvere. Ex parte S. Pontificis, quia Papa vicissim promisit, quod per quamcunque aliam (praeter praedictas) reservationem, gratiam expectativam, aut quamvis aliam dispositionem sub quacunque verborum forma per se, vel autoritate sua factam, vel faciendam non impedire velit, quominus in sex mensibus alternis, sibi non reservatis, liberè de beneficiis disponant illi, ad quos eorundem collatio, provisorio, praesentatio, electio &c. spectabit. Patet etiam ex ipsis verbis Bullae Nicolai V. ubi haec Concordata vocat *ordinationes & statuta*, à partibus ipsis hinc inde approbata, laudata, conclusa, & acceptata. Item ex Capitulationibus Iosephi I. art. 18. & Caroli VI. art. 14. ubi haec Concordata *conventiones Verträge* appellantur.

88 Pars II. testimonio Schilteri ad Concordat. §. 9. pag. 505. & 507. & seqq. Limnaei ad capit. Caroli V. pag. 225. & seqq. Caroli Spener in teutschen Jure publico lib. 1. cap. 9. §. 4. in Schol. lit. L. Authoris Meditat. ad instrum. pac. Meditat. ad art. 18. Capitulat. Ioseph. lit. B. qui ultimus sic ibidem scribit: *cum illorum (Concordatorum) autoritas sensim invaluerit, imò Maximilianus I. Leodiensibus Anno 1518. & Carolus V. Anno 1555. Cameracensibus eorum tanquam legis publicae observantiam injunxerit, imprimis verò Capitulationes Imperatorum approbaverit, hodie quidem amplius dubitare non licet, Concordata haec totam Nationem Germanicam, in quantum scilicet Pontificis superioritatem veneratur, tanquam legem publicam, & fundamentalem obstringere.* Spenerus tamen loc. cit. id ita limitat, ut hoc intelligendum sit de

Concordatis, non secundum eorumdem initium, & primam conceptionem, sed prout ex postfactò fuerunt approbata, & acceptata. Dicit enim cum Lynckero in Comment. ad Capit. Ioseph. art. 18. pag. 53. *Concordatorum vitiosum fuisse initium, & obtrusa illa fuisse Teutonice Nationi.* Deinde haec concordata in tantum pro lege fundamentali agnoscit, in quantum Natio Germanica iisdem jurisdictioni Papali repagula objecit, & limites posuit. Et tertio citra praedictum Protestantium, & Reformatorum, vigore Capitulationis novissimae Caroli VI. in qua Artic. 14. in fin. circa hoc punctum ita cautum fuit: *Doch sovil disen Articul betrifft, denen der Augspurgischen Confession zugethanen Chur-Fürsten, auch ihren Religions-Verwandten, Fürsten, und Ständen (die unmittelbare Reichs-Ritterschafft mitbegriffen) unter deren allerseits Untertanen, unter denen Augspurgischen Confessions-Verwandten die Reformirten mit eingeschlossen, welche unter Catholischer geist- oder weltlicher Obrigkeit wohnen, oder Land-Sassen seynd, dem Religions- und Profan-Friden, auch dem zu Münster, und Osnabrück aufgerichteten Fridens-Schluß, und was deme anhängig, wie obgemeldet, ohnabbrüchig, und ohne Consequens Nachtheil, und Schaden.*

Quaquam verò Concordata Germaniae in praedictum protestantium allegari nequeant, alio tamen respectu (ait Boehmerus ad Tit. de Constit. §. 80.) eo jure utuntur protestantes, ut scilicet, potestate Papae sublata, eadem jura sibi in Capitulis vindicent, suffragante etiam in-

strumento pacis, qua Papa quondam in his sibi asseruit. Neque enim per instrumentum pacis ipsa instituta antiqua Papalia sunt sublata, sed tantum injusto eorum possessori ablata, adeoque per consequentiam secundum statum pristinum, quem per Concordata acceperunt, in Principes translata. Hæc quidem Bœhmerus rectè scripsisset, si principia, ex quibus hanc illationem facit, vera forent: sed quoniam falsissima esse ostendi in *Tit. de SS. Trinit. §. 4.* & in *Tit. de Constitut. in Append. de Jure circa sacra*, falsum quoque necesse est, esse, quod Bœhmerus intulit. Sed quis eximat errorem homini errare volenti? De infelici quippe illorum hominum forte est, qui, ut ait S. Augustinus *lib. de Natur. & Grat. contra Pelagium*, procliviores sunt, querere potius, quid contra ea respondeant, quæ eorum obijciuntur errori, quam intendere quàm sint salubria, ut careant errore.

90 Dubitatur II. An S. Pontifex Concordatis Germaniæ ex PLENITUDINE POTESTATIS derogare possit? Affirmare nullus dubito, quia S. Pontifex est supra omne jus, unde illud pro circumstantiarum exigentia jam restringere, jam relaxare potest. *cap. 4. de Concess. Præbend.* Non solet autem hac potestate uti, nisi ex causa necessitatis, vel utilitatis publicæ, eaque gravissima, quo casu cuicumque alteri quoque Principi jus subditis quæsitum auferre licet. Nec obstat, quod concordata sint jus patitium, quod juxta Bœhmerum ad *tit. de Corpor. vitiat. §. 7.* fortius stringit, quam Canonum vinculum. Nam imprimis id falsum est, quod jus Pactorum potentius, & firmiter sit, quàm legum, Canonumque potestas, cum

utrobique tam arctum obligationis vinculum inducatur, ut nec pacificentium invito altero alter impunè à placitis recedere, nec, qui parendi necessitate adstringitur, ipse sibi legis vincula solvere valeat. Deinde respondemus, vim pactorum eo casu fatiscere, quo ratio boni publici ab iis recessum imperat. Unde in simili docent Publicistæ, saltem Orthodoxi, & inter illos noster Clariss. D.D. de Wolleren in *Quæst. Select. Salisburg. quæst. 2. n. 82.* quod Imperator in casu urgentissimæ necessitatis Capitulationi contravenire possit.

Dubitatur III. An extra casum gravis necessitatis S. Pontifex in mensibus ordinariorum salvis concordatis beneficia conferre, sicque cum Ordinario concurrente prævenire possit? Eminens Card. Petra *tom. 5. in Comment. ad Constitutionem Nicolai V. pag. 24. num. 36. §. 2. seqq.* simpliciter affirmat, ex hoc fundamento, quod S. Pontifex sit Ordinarius universalis respectu omnium beneficiorum Ecclesiasticorum per orbem, ac subinde nec sibi, nec successoribus per hæc concordata manus ligare voluisse præsumendum est. In dubio tamen, quando expressè non constat de voluntate Pontificis, admittit PETRA, quod collatio in Mense Ordinarii à Papa facta non teneat, quia is regulariter, & fere nunquam intendit liberam Episcoporum collationem impedire.

At magis est, ut dicamus, de via ordinaria hoc jus concursus exercere non posse, hæc quippe facultate seipsum liberè abdicavit, dum in dictis concordatis sub fide pacta Pontifex promisit, quod per quamcunque aliam reservationem, gratiam, expectativam, aut quamvis

vis aliam dispositionem sub quacunque verborum forma per nos, vel auctoritate nostra factam, vel faciendam non impediamus nos, quominus de illis, cum vacabunt, de Februarii, Aprilis, Junii, Augusti, Octobris Mensibus, libere disponatur per illos, ad quos eorum collatio provisio, presentatio, electio, seu quævis alia dispositio pertinebat, reservatione, aliæve quavis dispositione auctoritate nostra factis, vel faciendis non obstantibus quibuscunque. Atqui, si Pontifex posset cum quolibet Ordinario in suo Mense concurrere, eumque in collatione prævenire, jam non verificarentur illa verba, quod per quancunque aliam dispositionem nolit impedire eos, ad quos alias collatio pertinebat. Respondet quidem laudatus Vincentius Petra quod prædicta verba: *aut quavis aliam dispositionem* interpretanda sint juxta verba paulò antecedentia. Ut sensum habeant, quod Pontifex nolit per gratias, expectativas, aut his similes dispositiones, scilicet gratias, quæ vacationem præveniunt, impedire Ordinariorum collationem. Verùm (quod pace tanti viri dixerim) contorta nobis videtur, & tautologica hæc interpretatio. Si enim hunc sensum, quem vult Petra, dicta verba, *quancunque aliam dispositionem* referrent, tunc idem bis dixisse videretur Pontifex, scilicet, quod per gratias, expectativas, aut quavis aliam dispositionem hoc est, gratiam expectativam, nolit Collatorum jus turbare, quod sanè tautologicum est. Sufficit ergo, quod hanc facultatem non obstantibus concordatis, ex causa gravis necessitatis S. Pontifici competere dicamus, ut superiori dubio jam resolutum dedimus.

Dubatur IV. An, stantibus Concordatis, beneficium in Mense Papali vacans, mortuo tunc Pontifice, Ordinarius conferre possit? Quod hoc salvis Regulis Cancellariæ facere possit, in §. antecedente Not. 2. jam dictum est. Verùm hoc fieri non posse salvis, & illæsis Concordatis, putant Barbosa d. alleg. 57. num. 62. Cochier & alii, eo, quod Concordata semper durent, & vim suam, mortuo quoque Pontifice, ac Sede Papali vacante, obtineant, donec specialiter, & cum consensu Nationis Germanicæ revocentur, ac subinde beneficia in Mense Papali vacantia ab Ordinariis conferri non possint, sed eorum collatio futuro Pontifici reservetur.

Negativa tamen probabilior videtur Georgio Branden ad Concord. quest. 12. num. 14. & Clariss. P. Engl. h. t. num. 49. eo, quod Papa concordando cum Germanis conditionem eorundem utique non duriorum, sed meliorem efficere voluerit, neque adimere Germanis per Concordata, quod aliarum Nationum ordinariis, nequidem per regulas Cancellariæ ademptum fuerat; atqui alii ordinarii possunt, non obstantibus regulis Cancellariæ, conferre beneficia vacantia in mensibus Papalibus, Sede Apostolica vacante, ut ex dictis constat: ergò & Germani, præcipuè, cum teste Gonzal. ad regul. 8. Cancell. Gloss. 25. num. 9. & Cochier ad regul. 8. Gloss. 11. num. 10. & seq. Concordata sint favorabiliora, ac plenissimè in favorem Ordinariorum contra concedentem interpretanda l. 3. ff. de Constitut. Princip. Simonetta de Reserv. quest. 99. num. 24. quia scilicet facta sunt causâ unionis, pacis, & tranquillitatis inter Ecclesiam

Romanam, & Principes tam Ecclesiasticos, quàm sæculares illius nationis. Et pro conservanda pace, ac concordia multa conceduntur, quæ aliàs de Jure communi non licerent. *cap. 21. de Præbend. cap. 11. de M. & O. cap. ult. de Transact.* Gonzalez ad regul. 8. *Cancell. Gloss. 25. num. 12.* Eminent. Petra *Tom. 5. pag. 7. num. 2.* Paris. *de Resignat. lib. 5. cap. 3. num. 165.* Nec quidquam officit, quod in Concordatis expressa mentio, & reservatio mensum Papalium facta sit, adeoque mortuo quoque Pontifice reservatio durabit, cum Concordata ejus morte non expirent. Ad hoc respondeo, quod quidem in Concordatis expressè reservata fuerit collatio in mensibus Papalibus, vivente Pontifice, quid, eo mortuo circa beneficia vacantia faciendum sit, nihil expressum fuit, unde casus hic relictus est sub dispositione juris prioris, scilicet regularum Cancellariæ.

93 Dubitatur V. An Germani Præscriptionem, vel consuetudinem contra Concordata allegare possint, ut scilicet beneficia, quæ aliàs vi concordatorum conferre non possent ordinarii in Germania, possint vi præscriptionis, vel consuetudinis contrariæ citra speciale privilegium? Negant Branden ad *Concord. Quest. 2.* Cockier ad *Regul. 8. Cancell. num. 7. & 8.* Nicolarts *super Concord. tit. 3. dub. 2. per tot.* P. Pirhing ad *b. t. num. 363.* P. Reiffenstuel *b. t. num. 541. & seqq.* P. Leurenus in *foro Benefic. part. 2. sect. 3. cap. 1. quest. 593.* fundamentum horum Authorum præcipuum est in illa clausula irritante, quæ in Constitutione Nicolai V. ipsorum Concordatorum confirmatoria his ver-

bis apposita fuit: decernentes, *irritum, & inane, si secùs super his à quocquam, quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.* Deficit subinde in præscribente bona fides, Titulus & possessio. Accedit Bulla Clementis VII. quæ incipit: *Admonet nos &c.* ubi Pontifex declarat, collationes beneficiorum contra formam Concordatorum Germaniæ factas nec imposterum faciendas irritas esse, nullumque exinde Titulum illa beneficia possidendi tribui, nec quemquam fructus ex eis perceptos, vel percipiendos posse *ullo unquam tempore* facere suos, sed ad illorum restitutionem in utroque fore efficaciter fore obligatos.

Nos cum Magnif. P. Schmier *lib. 1. tract. 2. cap. 4. n. 479. & seqq.* Clariff. P. Engel ad *b. t. n. 54.* & Zypæo *lib. 3. consult. 3. num. 38. ad b. t.* P. Verani *ibidem. n. 23. & seqq.* Clariff. D. P. Placido Böckhn in *Coment. ad tit. de Concess. Præbend. n. 64.* affirmativam amplectimur, quanquam non diffiteamur, tutius fore, Concordata ad amissimam observare, & hætenus forsan ob latè grassantes hæreses alicubi intermissa postliminiò in usum reducere. Ratio nostræ Sententiæ est, quod præscriptio saltem centenaria, vel immemorialis etiam contra Sedem Apostolicam procedat. *cap. 13. 14. & 17. de Præscript. Auth. quas actiones C. de SS. Eccles. & quod præscriptio immemorialis privilegio æquiparetur, per Textum, & DD. in cap. 26. de V. S. incapacitas quoque possessionis non obstat, nec Juri Naturali, aut Divino contrarietur talis præscriptio. Id quod etiam præjudicio quodam confirmat D. D. Bassus in *semicentur. Controv. Canon. Legal. Controvers.**

vers. 41. num. 3. & seq. dicens, jus presentandi Clericos ad beneficia extra Ecclesias Cathedrales in mensibus Papalibus, à S. Pontifice ex speciali gratia Electoribus concessum, Serenissimam Domum Bavaricam præscriptionis Titulo acquisivisse, prout id ipsum Episcopi, & Ordinarii in Transactione cum Electoribus Bavaricæ 1583. inita sponte agnoverunt; nec à Sede Apostolica per tot, & quidem ultra ducentos annos nulla oppositio facta fuit. Testantur etiam multi DD. de illa consuetudine, qua in quibusdam Germaniæ, & remotioribus locis menses Papales in beneficiis, Parochialibus præcipuè, non attendantur, eamque vel ideo rationabilem esse dicunt, quod per illam animarum periculo, ex diuturna ejusmodi beneficiorum vacatione resultanti occurratur, & melius per Nationales, quàm alienigenas, & ignotos pastores ovibus prospectum sit.

Ad opposita breviter respondetur, & quidem ad clausulam irritantem, quæ in dictis Concordatis apposita legitur, reponitur, per illam præscriptionem *immemoriam*, non excludi: nam etiam *Extrav. ambitiosæ de reb. Eccles. non alien.* habet decretum irritans alienationem bonorum Ecclesiasticorum, & nihilominus ea præscribi possunt. Non etiam requisita præscriptionis dicta clausula convellit, quia in præscriptione *immemoriam* imprimis non requiritur Titulus, deinde successores prudenter præsumere possunt bonam fidem antecessorum. Ad Bullam Clementis VII. respondetur, quod loquatur de præscriptione modici temporis, ut indicant verba de *annali, & triennali possessore*. *Immemoriam* autem, nisi expressè ejus mentio fiat, nunquam censetur esse reprobata. Prolixius hanc quæstionem examinantem Consule Clariss. P. Böckhn *loc. cit.*

§. X.

De primis precibus Imperatoris.

SUMMARI A.

94. *Primariæ preces describuntur.* 95. *Heterodoxi plerique negant esse indultum, & privilegium Pontificium.* 96. *Bæhmeri protervus calamus contra Clementem XI.* 97. *Respondetur heterodoxorum argumentis.* 98. 99. 100. 101. *Primariæ preces ulterius exponuntur.* 102. *Beneficia ab his precibus excepta recensentur.* 103. *Circa beneficia regularia non solent Imperatores uti primis precibus.* 104. *In una Ecclesia Imperator tantum semel has preces interponit.* 105. *Intra quod tempus præcisa preces acceptare teneatur.* 106. *Potest Imperator uno nominato re adhuc integrâ variare.* 107. *An primæ preces morte Cæsaris expirent? Affirmantium fundamenta referuntur.* 108. *Negantium Sententia nobis probabilior videtur.* 109. *Primæ preces non sunt reprobata à SS. Canonibus.* 110. *Sunt tamen strictè interpretandæ.* 111. *Protestantes in Imperio etiam usum harum precum sibi vindicant.*

Non

Non modo per Regulas *Cancellarie, Concordata Germania, &* alias reservationes Apostolicas Ordinariorum collatorum jus & facultas circa beneficia restringitur, ut hæcenus dictum est, sed etiam per *Primarias preces Imperatorum*, de quibus in præsentia.

94 *Primarias* has preces cum Clariss. D.D. Georgio Kieffer *Dissertat. Juridico-Politica de S. C. M. summis reservatis part. 2. Q. 5.* describo, quod sit indultum Pontificium, quo datur facultas electo Romanorum Imperatori ob justas causas in Metropolitanis, Cathedralibus, Collegiatis, vel Regularibus Ecclesiis Catholicæ, & Protestantium respectivè Religionis in Romano Imperio idoneam, & qualificatam personam super Beneficio Ecclesiastico in genere vacaturo, vel etiamnum vacante nominandi, Capitularibus præsentandi, ac pro ea intercedendi, ut in Canonicum, vel Beneficiatum assumatur. Labet jam singulas datæ descriptionis particulas declarare.

Dicitur I. *Indultum Pontificium.* Non enim ex semetipso Imperator facultatem nominandi ad Beneficia habet, nec habere potest, utpote jus spirituale, quod citra specialem S. Pontificis concessionem laici possidere nequeunt. *cap. 2. de jud.* Non etiam Titulo solius consuetudinis antiquæ *arg. Diplomatis RUDOLPHI I.* quod refert Goldast. *tom. 3. Constit. Imperial. pag. 106.* nisi in quantum illa Pontificali autoritate roborata & approbata fuit, ut patet ex tenore dicti Diplomatis. Igitur ex liberali Papæ concessionem *Primarias preces Imperatores* obtinuerunt, ut constat ex Bulla PAULI V. ad FER-

DINANDUM II. Imperatorem data (quam speciali Tractatu illustravit Joan. Cockier) & declaratione nullitatis Articulorum Pacis Germanicæ ab INNOCENTIO X. facta, & Romæ 1651. impressa per sequentia formalia: *Præcùmque Primariarum eidem Ferdinando in Imperatorem electo à præfata Sede Apostolica concessarum &c.*

Hæc quidem est Sententia melioris notæ, & conscientiæ DD. Catholicorum. A Catholicis plerique, quibus vel nomen S. Pontificis invisum est, *Primarias preces*, indultum Apostolicum vocitari non patiuntur, sed hoc jus Imperatoriæ Majestati independentem ab annutu S. Pontificis, tanquam aliquod *regale* adhærere contendunt, id quod etiam ex eo verisimile reddere volunt, quod ipsi Imperatores in formula *primariarum precum* alicujus Privilegii Apostolici nullam mentionem faciant, sed se duntaxat antiqua, & probata consuetudine tueantur, prout patet ex formula RUDOLPHI I. quam Nauclerus in sua *Chronographia* recitat, & est sequentis tenoris:

RUDOLPHUS DEI Gratia Rex, & semper Augustus, honorabili in Christo, devoto Abbati &c. Gratiam suam, & omne bonum. Cùm ex antiqua, & approbata, ac à Divis Imperatoribus, & Regibus inclyte recordationis nostris Antecessoribus usque ad nos producta consuetudine, quælibet Ecclesia in nostro Romano Imperio constituta super unius collatione beneficii *precum* nostrarum *primarias* teneatur admittere, devotionem tuam rogamus, quatenus huic Clerico de Ecclesiastico Beneficio, quod ad tuam collationem spectat, ob reverentiam sacri Imperii, & nostram, si quod vacat in præ-

X 3

sensus.

sens, vel quàm primùm vacaverit, studeas liberaliter providere taliter faciens, quod devotionem tuam nostra serenitas debeat meritò commendare, & ad tua iusta desideria facili inveniri. Dat. Regni nostri Anno I. videlicet 1273.

96 Quapropter Bœhmerus in CLEMEN-TEM XI. P. M. quod is primas preces à JOSEHO I. Gloriosæ memoriæ Imperatore, ante impetratum indultum Apostolicum, ad Ecclesiam Hildesiensem datas, irritasset, tam impotenter exarsit, ut, abjecto omni pudore, eum multis calumniis proscindere, & argumenta, quæ dictus Pontifex in Epistola ad Hildesenses data pro non admittendis precibus proposuerat, per sarcas- mum exhibere non exhorruerit, pro- ut legenti Bœhmerum ad h. t. §. 112. patebit.

Nos ejusmodi Scœmata Bœhmeria- na, quæ nec ruri quisquam sui simili impingeret, vel referre erubescimus; il- lius doctrinæ Bœhmerum duntaxat me- morem esse volumus, quam ex Plutar- cho Libell. de capiend. ex hostib. utilit. hausimus, & sic habet: *Enimverò non ingeniosus sit, aut vocalis, aut protervus, oportet, qui insigere alteri maledictum vult, sed inculpatus: videtur enim DEUS nulli ita seriò mandasse, ut seipsum no- scat, atque convitium alteri facturo, ne, ubi dixit, quæ voluit, quæ non vult, au- diat. Solet enim his evenire illud Sopho- cleum:*

- - - LINGUA ABUSUS
FUTILI
INVITUS AUDIT, QUI
VOLENS DIXIT
MALE.

Ceteroquia illud dissidium, quod in- ter Augustissimum Josephum I. & Cle- mentem XI. tunc enatum est, post ele- ctionem moderni Augustissimi Impera- toris CAROLI VI. feliciter composi- tum fuit, prout liquet ex litteris à dicto Pontifice ad Capitula Ecclesiarum Ca- thedralium, & Collegiarum directis, quarum tenorem exhibet Magnif. P. Schmier lib. 3. tract. 1. part. 2. cap. 3. num. 290.

97 Quod verò Imperatores in formu- la suarum precum duntaxat in antiqua consuetudine se fundent, nec specialem mentionem indulti Pontificii faciant, non sequitur, dictas preces non esse privilegium à SS. Pontificibus jam ab antiquo concedi solitum. Idcirco, ut probè advertit Leurenus in *for. benefic. sect. 3. cap. 1. quest. 603.* PAULUS V. dum FERDINANDO II. indultum primariorum precum concederet, de in- dustria privilegii hujus ab antiquo con- cedi soliti nullam mentionem fecit, ne videatur gratia hæc jure deberi, aut consuetudo ex parte Imperatoris in- ducta esse jure speciali, quale est jus nominandi, cujus laici, quamvis Prin- cipes, per se sine auctoritate Apostoli- ca incapaces sunt.

Dicitur II. *Quo datur facultas ele- cto Romanorum Imperatori.* Quamvis enim de Jure communi, ut notat Azor. part. 2. Inst. Moral. lib. 10. cap. 6. Q. 2. ut hoc indulto Imperator uti valeat, non sufficiat, eum electum esse, sed insuper confirmatio desideretur Apostolica arg. cap. 34. de Elect. & Clem. un. de Jurejur. consuetudine tamen obtentum est, ut dictis precibus Imperatores, solùm ele- cti, sub spe ratihabitionis Pontificiæ, etiam ante novam Bullam desuper im- pe-

petratam utantur, ut notat P. Wagnereck ad *Princ. earund. Precum.*

98 Dicitur III. *Ob justas causas.* Quorum præcipua est, quod Imperatores sint Summi Ecclesiæ Romanæ *Advocati*, legitimi Pugiles, & Athletæ adversus fidei, & Christiani Nominis hostes. *arg. cit. cap. 34. de Elect. Clem. un. de Jurejur.* & ut sonant verba Bullæ PAULI V. de *Primariis precibus* ad FERDINANDUM II. data ibi: *Quia Ecclesiæ fidelem Advocatum te exhibuisti, tanquam ipsius Ecclesiæ legitimus Pugil, & Athleta.*

99 Dicitur IV. *In Metropolitanis, Cathedralibus &c. & Protestantium respectivè Religionis Ecclesiis*, modo ad beneficia in Ecclesiis *Augustanae, & Reformate Religionis* vacantia similiter *Augustanae, & Reformate Religionis* additi præsententur. *J. P. Art. 5. §. 5.* Nec obstat, quod per *Instrum. Pac. d. Art. 5. §. Jus Diœcesanum*, jurisdictio Pontificis (à quo *Precum Primariarum* indultum emanare diximus) maneat suspensa, id equidem intelligendum est non de omnibus causis Ecclesiasticis, sed iis duntaxat, quæ substantialiter fidem Augustanam, ejusque exercitium principaliter concernunt, ut testatur Sprenger in *Syntaxm. J. P. cap. 3. pag. 127.*

100 Dicitur V. *In Romano Imperio*, hoc est, in omnibus Ecclesiis ad Romanum Imperium spectantibus, adeoque jus exercendi *primarias preces* non tantum in iis, quæ in Germania sunt sitæ, sed etiam ad Ecclesias in Italia, v. g. *Ducatu Mediolanensi* (qui utpote feudum Imperii intra fines Imperii existere dicitur) sitas se porrigit, licet collator extra Romanum Imperium habitet, quia in tali casu non curatur, ubi sit collator,

dummodo beneficium in Imperio sit situm. Wagnereck in *Exeges. Jur. Can. lib. 3. tit. 5. cap. 19. §. 2.*

Dicitur VI. *Personas idoneas super beneficio Ecclesiastico in genere vacaturo vel etiamnum vacante nominandi &c.* sive dein beneficia sint *curata*, aut sine cura, *Sæcularia*, vel *Regularia*, etsi majora, & electiva fuerint, ad quorumcunque demum collationem, præsentationem, electionem, seu quamvis dispositionem communiter, vel divisim pertineant.

Excipiuntur tamen I. *Dignitates Pontificales*, ut sunt *Archi-Episcopatus, Episcopatus, & Majores*, sive primæ post illas in Ecclesiis *Metropoliticiis, & Cathedralibus*, nec non *Principales* in Ecclesiis *Collegiatis, & Prælaturæ* in *Monasteriis*. II. *Beneficia Patronata* laica, vel mixta (modo ex *fundatione dotatione, aut constructione* acquisita sint) III. *Beneficia extra Imperium Romanum sita*, unà cum beneficiis iisdem annexis, tametsi hæc intra Imperium forent constituta, quia accessorium, maximè in hac materia jus commune limitante, adeoque odiosa, sequitur suum principale. *Cockier fol. 33. Roman. Conf. 361.* IV. *Beneficia Manualia*, & quæcunque jus perpetuum non tribuunt, & in Titulum erecta non sunt, ut *Hospitalia, Xenodochia, Leprosoria &c. Clem. 2. h. t.* V. *Beneficia commendata*, & quæ mensæ Episcopi incorporata sunt. VI. *Beneficia Monocularia*, hoc est, si alicui unius tantum beneficii collatio competit. *Cock. ad Regul. Cancell. 8. Gloss. 4. n. 4.* nam verisimile non est, quod Pontifex, vel Cæsar voluerit privare *Ordinarium Collatorem uno oculo, sive Beneficio.*
Her-

Hermann. Hermes *in Fascic. Jur. Publ.* cap. 11. num. 39. VII. Beneficia vacantia per permutationem, vel resignationem, in favorem alterius. Cockier fol. 35. VIII. Officia in Ecclesiis, si laicalia sint, puta Officium Syndici, Judicis, Vicarii Chori, quia nomine beneficiorum Ecclesiasticorum non veniunt. Hermes d. l. n. 33. IX. Beneficia verè litigiosa Cockier fol. 77. X. Beneficia Cardinalium, vel Officialium Curiae Romanae, ubicunque decedant, aut accedentium, vel recedentium à Curia, & intra duas diatas morientium, quia hæc S. Pontifex per *Extravag. ad Regimen Eccl.* suæ collationi specialiter reservavit. XI. Beneficia, quæ per privationem, depositionem, translationem, promotionem, aut ascensionem alterius incompatibilis per Sedem Apostolicam factam vacant. Cockier fol. 73.

103 Circa regularia beneficia hoc notandum, quod, quamvis à dictis precibus exempta non sint, Imperator tamen ad ea non possit nominare *seculari*, cap. 5. b. t. in 6. nec etiam soleat *regulari*, sed propter bonum pacis, & disciplinæ regularis omnia beneficia regularia, majora, & minora Prælatorum, & superiorum regularium dispositioni relinquere hactenus consueverit. Pirhing. b. t. not. 4. num. 368.

Dicitur VII. & ultimò, *ut in Canonico, vel Beneficiatum assumatur.* Quibus verbis indicatur, quod, ut *primæ preces* sortiantur effectum, haud sufficiat, ut persona idonea per Imperatorem nominata, & presentata fuerit, verum insuper institutio ordinarii accedat, prout colligitur ex verbis indulti: *Postquam illis ipsis Canonice provisum*

fecerit. Quæ etiam ab ipsis Ordinariis, nisi malint fieri ab executoribus simul nominatis, necessariò facienda est. Bernard. Mulz *de Majest. Imperat. part. 2. cap. 33. num. 246.*

104 Quæres I. Quoties Imperator his precibus in una eademque Ecclesia uti possit? Respondeo duntaxat semel, non bis, aut sæpius, ne Ecclesiæ hujusmodi precibus nimium graventur, & insuper in tali Ecclesia ad minimum quatuor beneficia ad liberam collationem Ordinarii spectantia extare debent, ut patet ex tenore indulti. Quodsi preces interpositæ non fuerint sortitæ effectum, fortè quòd Precista, antequam Canonicatus vacaret, Monasterium ingressus, aut mortuus fuerit, Imperatori adhuc integrum manet, diastas suas preces aliis deferendi, quia omnis dispositio cum effectu est accipienda. cap. 1. de Restit. in integr. cap. 26. de Elect. in 6. l. 89. §. 1. ff. de V. S. Cock. de Prim. precib. Sect. 2. §. 7.

105 Quæres II. Intra quod tempus Precista beneficium vacans acceptare tenetur? Respondeo intra mensẽ à tempore publicatæ vacationis in loco beneficii vacantis, supposito, quòd hæc publicatio ipsi innotuerit. Unde terminus iste probabiliter non currit *minor*, vel ex justa causa absenti, vel aliàs legitimè impedito. l. 1. C. de Annal. except. l. 1. ff. ex quib. caus. maj. Illud non refert, an per se ipsum, vel per procuratorem etiam Laicum, modò is speciali mandato instructus sit, acceptet, imò posse adhuc re integra, etiam post mensẽ, acceptare, probabilis videtur. Cockier fol. 67. §. seq. Si semel acceptavit, amplius resilire nequit. l. 2. §. 3. seqq. ff. de Opt. legat. Si

Sin verò acceptare non placet, voluntatem hanc coram ordinario declaret, oportet, & sibi ulterius vacaturum ex eadem optione reservet, id quod potest propter clausulam optionis reservatoriam, formulæ primariorum precum insertam. Cockier in *Proœmio PP. pag. 5. §. 6. D. Kieffer cit. part. 2. Quest. 12.*

106 Quæres III. An Imperator, nominato semel uno, variare possit, & alium rursus nominare? Respondeo, re integra id posse; censetur autem tunc res adhuc integra, quando nomen *Precistæ* in albo, sive rotulo Imperatoris, ad ejus memoriam duntaxat inscriptum, & annotatum est, hoc quippe casu, cum jus perfectè ei nondum quæsitum sit, sed tantum conditionale, Imperator variare potest. Sin verò *Precistæ* nominato beneficium jam collatum, adeoque jus plenè quæsitum sit, variationi locus haud erit, quia etiam à Principe, quando alicui benè meritò donat, vel quid concedit, talis concessio, vel donatio sine causa revocari nequit. *l. 27. l. 34. ff. de Don. Cock. Sect. 2. Q. 2. §. 17.*

107 Quæres IV. An gratia primarum precum morte Cæsaris expiret? Dixeris expirare, quia privilegium hoc est personale, quod personam sequitur, & cum ea extinguitur, *l. 68. ff. de R. J. & idèd, si Cæsar in vita sua nominationibus usus non sit, successor ejus in imperio duplici nominatione uti non potest. II. Hoc privilegium competit Cæsari ex indulgentia S. Pontificis contra juris communis dispositionem, quo collatio beneficiorum ad Ordinarios spectat; atqui privilegia contra juris communis dispositionem concessa non extenduntur à persona ad personam etiam*

ex identitate rationis. Tusch. *Tom. 6. conclus. 731. num. 7. III. Mandatum, quo legatus jubetur providere certæ personæ de beneficio certo tunc vacante, expirat ipso jure, si legatus ante mandati executionem moritur. cap. 3. de Offic. leg. in 6. cap. 36. §. secus h. t. in 6. Ergò multò magis expirabit gratia Imperatoris per ejus obitum, re integra, & nulla adhuc existente præbenda vacante.*

Verùm gratias primarum precum morte Imperatoris non expirare, suadetur sequentibus argumentis, I. *ex c. 9. de Offic. leg. in 6. §. cap. 36. h. t. in 6.* ubi dicitur, gratiam re adhuc integra non expirare per mortem concedentis; atqui nominatio, sive *primæ preces* Imperatoris sunt gratia, sive considerentur ex parte Imperatoris nominantis respectu *Precistæ*, sive ex parte ejusdem respectu Pontificis, hoc privilegium concedentis: ergò. II. Quod per nominationem Cæsaris, & acceptationem gratiæ, etiam generalem à *Precistæ* factam, res non amplius videatur esse integra, quia dictæ preces jam coeptæ sunt, licet necdum consummatum, & ultimum sortitæ sint effectum. *arg. l. 1. §. 3. ff. de Pollicit.* III. In dubio gratia Principis censetur esse realis, & perpetua. Bursat. *Consil. 30. num. 4.* Posterioriorem hanc sententiam, ceu probabiliorem cum Cockier *fol. 54. §. seq.* defendimus. Unde ad opposita brevissimè respondemus, illa procedere in casu, quo res mortis tempore adhuc integra est; hic autem per nominationem ab Imperatore factam, licet collatio eo vivente secuta nondum fuerit, jam aliquis effectus positus est, tendens ad effectum concessionis, consequen-

Y

ter

ter res non amplius dici potest integra. Neque paritas à *mandato*, ad *primas preces* Imperatoris benè concludit, nam non habent illæ se instar mandati, sed gratiæ, & privilegii, quod per dicta non desinit, morte concedentis.

109 Quæres V. An primæ preces repugnent SS. Canonibus in *Tit. de Concess. præbend.* & Concil. Trid. *Sess. 24. de Reform. cap. 19.* expressis, quibus gratiæ expectatiuæ, & quæcunque aliæ concessionibus ad beneficia vacatura reprobantur, utpote votum captandæ mortis inducentes? Resp. non aduersari, quia concessio *primariarum precum* generalis est, & incerta, cum nominatus ignoret, quis primò sit moriturus, & cui ille sit successurus. Præterea non repugnare Concilio Tridentino patet ex declaratione Cardinalium *ad d. Sess. 24. cap. 19.* quam integram refert Cockier in *Procem. schol. fol. 2.* nam ibi expressè dicitur, quod, cum in dicta constitutione Tridentini nulla habeatur mentio de Imperatoribus, qui tamen essent speciali nota digni, sed simpliciter nominentur *Cardinales*, qui & ipsi speciali mentione digni sunt, signum est, quod Concilium non voluerit comprehendere Imperatorem, aliàs enim expressisset, aut saltem post *Cardinales* dixisset, & *quibuscunque aliis*, quo casu dictio *aliis* intelligeretur de illis, qui & ipsi speciali nota digni fuissent, præcipuè, cum exprimitur etiam de expectatiuis concessis Universitatibus, Senatibus, & aliis singularibus personis: ergò Concilium etiam Imperatorem expressisset, si illa prohibitionem ipsum comprehendere voluisset; imò in eadem declaratione dicitur sua sanctitas addidisse, quod meminerit tempore

Conciliū, dum dictum *cap. 19.* formabatur, quosdam Patres voluisse addere *primarias preces*, Imperatori concessas; at potiorum Patrum sententiam fuisse, ut earum mentio non fieret, sicque sub *d. cap. 19.* non comprehenderentur.

Cæterum, quia preces istæ à jure ¹¹⁰ communi, ut vidimus, recedunt, strictè interpretandas esse, probabilius nobis videtur; licet enim privilegia Principum, ut hic S. Pontificis, sint favorabilia, & latè interpretanda. *l. ult. ff. de Constit. Princip.* Id tamen duntaxat procedit respectu concedentis, ut contra illum extensio fieri possit, non verò quatenus continet præjudicium tertii. Cockier *d. Sess. 2. Q. 16. fol. 31.* præcipuè, cum & ipsa rescripta Papalia ad beneficia strictæ interpretationis sint, ut colligitur ex *cap. 10. ff. 16. § 27. h. t. in 6.* limita, nisi clausula *motus proprii* rescripto addita fuerit. per *cap. 21. 23. § 24. h. t. in 6. Clement. 4. eod.*

Quæres VI. An Principes protestantes in Romano Imperio jus *primariarum precum* exercere valeant? Procul dubio respondet Bœhmerus *§. 110. h. t.* hoc jus ipsis competere, & majori longè eminentia præ Imperatore. Sicut enim olim (sunt ejus verba) Principes quidam, ubi nequidem *jura sacra* iis asserta, sed aulæ Romanæ insidiis prærepta erant, hoc jus exercuerunt: ita multò magis Principes protestantes hodie id ipsum sibi vindicant, qui majori ipso Cæsare in *sacris* gaudent libertate. Cæsares in *consuetudine* fere sola præsidium quarere coacti sunt, postquam Papa intercessit, ne *jus sublimæ circa sacra* amplius sibi asserere potuerint. Hoc refugio non indigent protestantes: in liber-

bertatem revocati sunt, suspenso Pontificis jure: quidni (jam concludit) virtute *juris circa sacra* eminentis, quod *jure territoriali* cohæret, preces has exercere in Capitulis, Ecclesiisque sibi subjectis possent? praxi tam inveterata Cæsaris, & Pontificis accedente. Hæc Bœhmerus. Nos hac quæstione manus nostras non inquinabimus, falsissimas esse præmissas jam dudum ostenderunt alii, & nos in *lib. 1. Decret. ad tit. de*

Constit. & passim alibi deteximus. Unde, quid roboris habeat Bœhmeriana consequentia, nemini non patet. Quadrant huc illa verba Innocentii III. in *cap. 18. h. t. Multa per patientiam tolerantur, quæ, si deducta fuerint in judicium, exigente justitia non debent tolerari. Nunc autem judicium est mundi. Joann. 12.* Aliam sententiam audiet Bœhmerus, cum venerit ille, qui justitias judicabit.

TITULUS VI.

De Clerico ægotante, vel debilitato.

NE Clerici Beneficiati, aliisque Prælati Majores, qui ob fractas senio vires, aut ex morbi impedimento Ecclesiæ suæ, suisque ovibus amplius utiliter præesse nequeunt, Beneficiis suis cedere cogantur, quippe, cum Beneficium propter Officium detur. *cap. ult. de Rescript. in 6.* providè à SS. Canonibus constitutum est, ut ægotantibus, aut debilitatis Clericis Coadjutores adjungantur, qui defectum infirmorum, vel alias impeditorum in regimine Ecclesiæ & administratione Officii suppleant. De Coadjutorum subinde Officio, & potestate jam agendum erit.

§. I.

Officium Coadjutoris describitur?

SUMMARIÆ.

1. Coadjutor à *coadjuvando* sic dictus describitur. 2. Propriè Prælati, & Rector Ecclesiæ dici nequit. 3. Differt ab administratore. 4. Alius est temporalis, alius perpetuus. 5. Differentia triplex inter Coadjutoriam, & gratiam expectativam adstruitur.

Coadjutor à *coadjuvando* sic dictus, *ff. de Tutor. describitur à P. Reiffenstuel sicut Tutor pupilli, à tuendo l. 1. ad h. t. §. 2. num. 12. & aliis ibidem cita-*

is, quod sit ille, qui *authoritate juris, vel iudicis constituitur ad administrandum officium, Prælati, seu ministri Ecclesiæ morbo, vel aliàs impediti.*

2 Ex qua descriptione duò colliges.

I. Quòd Coadjutor, cum tantum coadjuvet rectorem principalem, ejusque defectum in administratione sui officii suppleat, propriè Prælaturam, & Rectorem Ecclesiæ dici non posse, eo, quòd ipse curam animarum quoad exercitium duntaxat habeat, manente interim *jure, possessione, & titulo* beneficii penes Rectorem principalem. P. Reiffenstuel cum aliis *hic num. 23. & seq.*

3 II. Administrationem à Coadjutore in hoc differre, quòd ille à Sede Apostolica ad administrandum tam in spiritualibus, quàm temporalibus quandoque detur Episcopis, à sua Ecclesia ex legitima causa absentibus, aut personis Principibus ante legitimam ætatem ad Episcopatus *authoritate Apostolica dispensativè promotis. arg. cap. 42. de Elect. in 6.* Hic autem, scilicet Coadjutor, detur Episcopis, aut aliis Prælati de se quidem ad regendam Ecclesiam aptis, inpræsens autem ob con-

tractum ex morbo, vel senio impedimentum perpetuum ad exercendum, & exequendum munus suum & officium haud amplius idoneis. Reiffenstuel *h. t. num. 25.*

Coadjutor alius est *temporalis*, alius *perpetuus*. Ille dicitur, qui ad tempus vitæ principalis Ecclesiæ Rectoris, vel durantis impedimenti constituitur, & semper revocari potest. Ille verò, qui cum jure successionis in beneficio & officio demortui coadjuti datur, de quo inferius.

Quæres: quomodo Coadjutoria perpetua differat ab *expectativa*? Resp. In tribus præcipuè I. quòd *expectativa* ad nullum determinatum beneficium, benè vero Coadjutoria detur. II. *Expectativa* non confert, sed tantum promittit beneficium, confert autem Coadjutoria. Nam vacante beneficio, cui quis Coadjutor est datus, non indiget nova collatione, sed nova duntaxat immisione in possessionem beneficii. III. In *expectativa* expectantis commodum, in coadjutoria non coadjuti principaliter commodum, sed ipsius Ecclesiæ bonum intenditur.

§. II.

Quis Coadjutorem dare, & qui Coadjutores constitui possint?

S U M M A R I A.

6. Coadjutorem regulariter dat ille, qui respectu coadjuti est superior. 7. In quibus casibus Capitulum Episcopo Coadjutorem dare possit, exponitur. 8. Parochis Episcopus Coadjutorem dat, & si beneficium fuerit Patronatum, consensum patroni adhibet. 9. Coadjutor debet iisdem qualitatibus esse præditus, quæ requiruntur in coadjuto.

Coad-

6 **C**oadjutor regulariter, & in genere loquendo datur ab illo superiore, cujus est cognoscere de defectu, vel impedimento coadjuti, & propterea, licet collatio Beneficii jure Patronatus, aut ex speciali Privilegio ad inferiorem Episcopo pertineret, ad eum tamen facultas dandi Coadjutorem non spectaret, sed ad Episcopum, tanquam Ordinarium, & immediatum superiorem illius, qui Coadjutore indiget. Ubi tamen observanda est distinctio inter coadjuvandos, an sint Episcopi, & illis Superiores, num verò Abbates, aut alii Beneficiati inferiores. Prælati Majoribus Coadjutorem *regulariter* tantum dat S. Pontifex, maximè, si fiat cum *spe future successionis*, quia ejusmodi coadjutoria adinstar translationis Episcoporum est una ex *causis majoribus*. cap. un. b. t. in 6. quæ S. Pontifici sunt reservatæ cap. 3. de Baptism. Paris. de Resign. Benefic. lib. 6. quest. 5. num. 15. Barbol. J. E. V. lib. 3. cap. 10. num. 33. Cabassut. Jur. Canon. Theor. & Prax. lib. 1. cap. 16. num. 4. Dixi regulariter, nam in cap. un. b. t. in 6. ex speciali gratia conceditur, ut Episcopus morbo, vel aliàs legitimè impeditus, mentis tamen compos, possit de Capituli sui, vel majoris partis consilio, & assensu, unum, vel duos Coadjutores autoritate Apostolica sibi assumere. Quòd idè concessum est, nè Ecclesiæ (præsertim existentes in remotis) dispendium patiantur, si Coadjutor primùm à S. Pontifice postulandus, & expectandus foret. Vivian. ad cit. cap. Si verò Episcopus mentis impos foret, tunc idipsum, & eadem autoritate Apostolica possit Capitulum, aut duæ ejusdem partes concordantes. Quodsi

demum Episcopus usu rationis polleat, & impedimento quidem perpetuo laborans Coadjutorem assumere nolit, tunc Capitulum eidem, tametsi irrationabiliter invito, Coadjutorem quidem dare non poterit, eò quòd inferior in superiorem imperium nullum habeat. cap. 16. de M. & O. debet tamen statum suæ Ecclesiæ præsentem ad Sedis Apostolicæ notitiam quantocyus referre, ac, quòd super hac re à S. Sede ordinari contigerit, humiliter, & promptè adimplere. Vid. Passerinus & Vivian. ad cit. cap. Abbatibus verò, Parochis, aliisque Rectoribus, quibus animarum cura incumbit, de Coadjutore prospicere ad Officium, & munus Episcoporum spectat. Cabassut. Jur. Canon. Theor. & Praxi lib. 1. cap. 16. n. 5. Et si quidem Beneficium fuerit Patronatum, sicut illud Episcopus sine consensu Patroni conferre non potest, ità nec talis beneficii Rectori sine Patroni consensu Coadjutorem dare potest, ut ex Lambert. de J. P. lib. 2. part. 1. q. 6. princip. art. 2. n. 1. notat Gonzalez ad Regul. Cancell. 8. Gloss. 5. §. 9. num. 18. Spes tamen successionis ejusmodi Coadjutoribus ab Ordinario nequitam indulgeri potest cap. 2. 3. & ult. de Concess. Præbend. Cabassut. d. lib. 1. cap. 13. num. 23.

9 Ut quis in Coadjutorem assumi valeat, iisdem omnino qualitibus quæ desiderantur in Principali, præditus sit, oportet. Concil. Trid. Sess. 25. de Reform. cap. 7. unde, sicut v. g. in Episcopo requiritur ætas 30. annorum, ità in Coadjutore æqualis ætas desideratur, & sic in aliis. Ratio est, quòd Coadjutor assumatur, ut Principalis defectum suppleat; ergo ipsemet simili defectu

laborare non debet. *Parif. de resign. Benefic. l. 7. quest. 20. num. 15. & seqq.* Pignatell. *tom. 4. consult. 137. num. 4.* Hodie, tamen aliud observari videmus in Coadjutoribus perpetuis, & cum spe futuræ successione datis, qui, ut advertit Gonzalez *ad cap. fin. b. t.* non sunt, quod significant, nec Pallorem fessum, aut senem sublevant, sed potius ipsi sublevari necesse habent, siquidem non modo Prælatis jam decrepitis, sed vegetis adhuc juvenes subinde, ministerii sacri planè rudes, propter bonum familiæ in Coadjutores dantur, qui ipsimet, ut ex Gambaro *Tit. de Coadjutor. n. 13.* notat Hieronyma. Gonzalez

ad d. Reg. Cancell. n. 40. nedum Coadjutore, sed Pædagogo indigerent, ita, ut vix non speciem successione in Ecclesia DEI referat. Animi sui sensa etiam hac super re candide aperit Fagnan. *ad cap. 2. de Concess. Præbend. num. 75. & 2. seqq.* quem consulisse non pigebit.

Quoad numerum Coadjutorum dicendum, quod regulariter unus tantum assumi valeat, ex ratione, nè Ecclesiæ nimium graventur, quarum reditus pluribus alendis fortè non sufficient. Possunt tamen duo, non verò plures dari, si ita expedire visum fuerit. *cap. un. b. t. in 6. & Passer. ibid.*

§. III.

Ex quibus causis Coadjutores dari soleant?

SUMMARI A.

10. Non solum ex causa aegritudinis, & debilitatis (quæ causæ duntaxat in *b. t.* exprimentur) sed etiam ex aliis causis, quæ enumerantur, Coadjutor dari potest. 11. Coadjutor perpetuus cum spe successione à nemine alio præterquam à S. Pontifice dari potest. 12. Qui mox à morte coadjuti sine nova collatione jus in re in Prælatura acquirit. 13. Coadjutorie perpetuæ in Germania sunt frequentes, nec in iis forma electionis tam strictè attenditur.

10 **Q**uanquam spectata Rubrica *b. tit.* nonnisi ex duabus causis aegritudinis videlicet, & debilitatis Coadjutor temporalis dari posse videatur, complures tamen causæ aliæ à Parisio *de resign. Benefic. lib. 7. q. 20.* & Barbof. *J. E. V. lib. 3. cap. 10. à n. 5. ad 20.* recensentur. Sic datur Coadjutor Prælato de dilapidatione suspecto *cap. 27. de Offic. delegat.* Item Parochis illiteratis, & imperitis, modo aliàs honestæ vitæ sint, conformiter Trident. *Sess. 21. de Reform. cap. 6.* Sbrozza de

Offic. Vicar. lib. 5. quest. 212. qui tamen ex eo, quod Coadjutorem acceperint, ab obligatione residendi in sua Parochia neutiquam liberabuntur, nè aliàs melioris conditionis illiterati præ literatis existant. Barbof. *cit. l. num. 29.* In senibus, quanquam, ut tales dicantur, ætas 60. annorum juxta Pignatellum *cit. consil. n. 2.* sufficiat, non tamen, ut Coadjutores iisdem adjungantur, hæc ætas sufficit, nisi simul tanta virium debilitas accedat, quæ Rectorem ad exequendum officium suum impotent-

rentem reddat. *cap. 1. h. t. in 6.* Numerofitas populi fimiliter eft caufa urgens, ut Rectori de Coadjutore uno, aut pluribus provideatur, prout à S. Rota decifum refert Farinac. *decif. 484. num. 5. part. 1. recent.*

11 Quoad Coadjutorem perpetuum cum fpe fuffeffionis, qui nec à Legato à latere, nec ab alio quocunque Nuntio Apoftolico dari potefit, ut ex declaratione Cardin. confirmat. Garzias *part. 3. cap. 5. n. 18.* & Paris. *lib. 6. q. 5. n. 15.* fed à folo Pontifice. *cap. un. h. t. in 6.* duæ duntaxat caufæ in Concil. Trident. *Seff. 25. de Reform. cap. 7.* allegantur, videlicet *urgens neceffitas, aut evidens Ecclefie utilitas.* Quas caufas S. Pontifex privatim per Cardinales, & in Confiftorio examinare folet *cit. loc. Trid. Parisius d. quæft. n. 15.* Et ideo difpenfatio Coadjutori haudquaquam fuffragabitur, fed fubreptitia judicabitur, fi is aut qualitatibus in coadjuto requisitis non refulgeat, aut urgens Ecclefie neceffitas, vel evidens utilitas ejus adjutorium expoſcere non appareat.

12 Illud hic cum Fagnan. *ad cap. 5. h. t. num. 16.* adhuc noto, quòd talis fuffeffor perpetuus cum futura fuffeffione à S. Pontifice datus, mox acquirat *jus ad rem,* & vacante fubinde Prælatura etiam *jus in re,* fine nova collatione, quamvis mortuus fuerit Epifcopus, antequam litteræ Papales Roma advenerint. Adeoque Coadjutoria effectum nondum forita fuerit, modo tamen tempore *data* Epifcopus adhuc vixerit, ut probabilius docet Garz. *d. cap. 5. n. 131.* contra Gonzalez ad *Regul. Cancell. 8. Gloff. 5. §. 9. n. 56.* P. Verani *h. t. §. 3. n. 2. §. 2. feqq.* Ratio prioris eft, quia gratia fuffefforis non præcifè facta videtur de-

pendenter à labore *Coadjutorie,* quali eodem non existente, locum non haberet gratia, fed, cum à parte rei, & in effectu duæ cenfeantur factæ gratiæ, una de *Coadjutoria* in favorem coadjuti, altera de *fuffeffione* in favorem Coadjutoris, una caufa fublata, adhuc manet altera. Ratio posterioris eft, quod, Epifcopo tempore *data* jam mortuo Coadjutoria nulla conferri potuerit; mortuo enim non datur Coadjutor, nec mortuus pro ea fupplicat, nec confentit; unde nec intentio Papæ fuiſſe præſumitur, Canonicos jure eligendi privare velle, Sede jam tunc vacante, præfertim, cum id genus Coadjutorie tanquam à jure communi exorbitantes, juriſque tertii præjudicioſæ, odioſæ, confequenter ftrictè interpretandæ ſint.

Circa dictas Coadjutorias perpetuas advertit Card. de Luca in *Annot. ad S. Conc. Trid. difcurf. 45. n. 7. §. 9.* quòd earum uſus in Italia, & Hiſpania, aliſque Provinciis ubi dicta Conſtitutio Tridentini *Seff. 25. cap. 7.* accuratius obſervatur, aut rariffimus, aut omnino nullus fit, in Germania verò, & Gallia Sedes Apoftolica fimiles Coadjutorias cum futura fuffeffione in Prælatura ex juſta caufa, in S. Congregatione Confiftoriali examinari ſolita, facilius, & crebrius indulgeat. Quam ipſam tamen Coadjutoris conſtitutionem, tametsi à gratia, & beneplacito Papæ unice dependeat, facere non folet ſine Capituli illius conſenſu cujus Prælato Coadjutor dandus eſt, quem conſenſum Capitulum præſtare folet per quandam formam, ſeu ſpeciem *electionis,* quæ tamen non eſt vera, & formalis electio, ideoque de facili ſanari ſolent illæ nullitates, quæ de jure

jure stricto aliàs obstarent, cùm Papa hanc ipsam electionis formam non alio ex capite permittat, quàm, ut se cer-

tum quoquomodo reddat de consensu Capitularium. Hæc laudatus Card. de Luca l. cit. n. 10.

§. IV.

Quæ sint partes Coadjutoris? Et quanta ejus potestas.

S U M M A R I A.

14. Coadjutor eadem jurisdictione pollet, quam habet coadjutus, non tamen sine limitatione. 15. Non tamen eadem honoris prærogativa gaudet, quàm principalis. 16. Est alendus sumptibus principalis. 17. Officium Coadjutoris temporalis cessat morte coadjuti. 18. Non item Coadjutoris perpetui, cujus jus jam antè quæsitum morte coadjuti magis actuatur.

14 **Q**uoniam officium Coadjutoris in eo consistit, ut Rectorem principalem coadjuvet, ejusque vi-ces, ac munia suppleat, legitimè infer- tur, quòd eadem potestate polleat Coad- jutor, quàm habuit principalis, ideò- que Coadjutor Episcopi, vel Abbatis liberam rerum Ecclesiasticarum admini- strationem habet, modò nil alienet de bonis ad Ecclesiam, vel Episcopum spe- ctantibus cap. un. h. t. in 6. & cap. 24. de Elect. in 6. & insuper omnia ea, quæ sunt jurisdictionis, imò & ea, quæ sunt Ordinis Episcopalis, si ordinem Episco- palem habet, exercere, secùs aliis Epi- scopis, quasi suffraganeis, demandare potest. Quia tamen hæc potestas non- nunquam restringi, & limitari solet, ideò ad formam concessionis respicien- dum est. Parisius de Resign. benef. lib. 7. Quæst. 20. num. 19. Ubi verò de illa non satis liquet, attendendum est, ex qua causâ datus sit Coadjutor, si ob temporalia, putà, quia coadjutus, qui cæteroquin spiritualia benè administrat, de dilapidatione suspectus est, tantum- modo ad exercitium illius causæ tem-

poralis datus esse videtur. Quod si ve- rò detur seni, vel infirmo, ad spiritua- lia duntaxat datus esse censetur, quan- do autem datur dementi, cùm ad om- nia reddatur impotens Episcopus, tam ad spiritualia, quàm temporalia datus esse non ambigitur, ideòque ad instar principalis beneficia liberè conferre, & eorundem resignationes recipere pote- rit. Cabassut. Jur. Can. theor. & prax. lib. 1. cap. 16. num. 1. & 3. Barbof. J. E. V. lib. 3. cap. 10. num. 24. & seq. cum aliis ibidem relatis.

Quamvis autem Coadjutor dicatur 19 repræsentare suum principalem, non tamen eadem honoris prærogativa gau- det, sed vivente coadjuto, ultimo loco post omnes Canonicos sedere debet, prout censuit sacra rituum Congrega- tio in Patavina 3. Decembr. 1616. Ni- si Coadjutor in dignitate aliàs consti- tutus foret, tunc enim absente, vel im- pedito coadjuto, præcedit omnes Cano- nicos, ac idem prorsus stallum, quòd coadjutus, si præsens esset, obtineret, habere debet, prout ab eadem S. Con- gregat. in Brundusina 29. Maji 1621. de- ci-

eifum refert Barbof. ad Concil. Trident. Sess. 25. de Reformat. cap. 7. n. 18.

§ 20.

- 16 Quæres I. Cujus expensis alendus fit Coadjutor? Respondeo alendum esse de proventibus Prælati, in cujus auxilium assumptus est, habita ratione facultatum Prælati, qualitate Coadjutoris, & consuetudine patriæ. Colligitur ex cap. 3. h. t. & cap. un. §. præfenti eod. in 6. & Concil. Trid. Sess. 21. cap. 6. Passerin. ad cit. cap. un. num. 43. Quod si facultates Ecclesiæ utrique alendo non sufficiant, principalis, sive coadjutus de redditibus Ecclesiæ alendus est, utpote qui quoad *titulum*, & *jus* adhuc manet Prælati, Coadjutori verò de congrua sustentatione prospiciet Episcopus, dando eidem vel aliquod beneficium simplex juxta Concil. Trident. Sess. 24. de Reform. cap. 17. aut prout aliter providere poterit, ut loquitur cit. Conc. Trident. Sess. 21. de Reform. cap. 6. Quod si verò Coadjutori Episcopus nullo modo alimenta præstare valeat, populus ad ea suppeditanda cogendus erit. arg. cap. 4. de Consecr. Eccles. Passerin. ad cit. cap. un. num. 44. P. Reiffenstuel h. t. num. 55. §. seqq. Fagnan. ad cap. 3. h. t. à num. 8. usque ad 14.

- 17 Quæres II. Quando, & quomodo cesset officium Coadjutoris? Respon-

deo, morte coadjuti naturali, vel civili, vel etiam sublato impedimento, puta infirmitate, aut ætate, ipsum quoque officium Coadjutoris expirare, quod accipe, si Coadjutor ad tempus datus sit. cap. 2. de Suppl. neglig. Prælat. Qui dein rationes reddere tenetur, vel ipsi Prælato, si sanæ mentis fuerit, vel Capitulo, vel etiam Prælato successori. cap. un. §. præfenti h. t. in 6.

Quod si Coadjutor cum *spe futura* 18 *successionis* datus sit, hujus officium in quantum cedit in favorem *coadjuti*, morte illius simul desinit vivere, neque enim quis mortuum adjuvare dicitur. In quantum verò respicit favorem *Coadjutoris*, non expirat, sed *jus ad rem*, quod vi illius gratiæ *preventivæ* Coadjutori in beneficio, sive Prælatura jam acquisitum fuit, resolvitur in jus plenum, sive *jus in re*, ita, ut nova collatione haud opus sit, sed gratia coadjutoris absque alia solemnitate Canonica ex primo jure Coadjutori jam quæsito effectum sortiatur; nam Papa in ejusmodi Coadjutoris *ex nunc*, prout *ex tunc* facere collationem solet, ut resolvit Rota in *Tirasoneis Coadjutor*. 8. Novembr. 1599. coram Penia, quam decisionem refert Garz. de Benefic. part. 4. cap. 5. n. 128. §. 138. Fagn. ad cap. 5. h. t. num. 41.

§. V.

Quid circa coadjutorias Prælatorum majorum à Bæbmero specialiter notatum fuerit?

SUMMARIA.

19. Bæbmerus ex Coadjutoris perpetuis scandalum sumit, 20. maximè, quod earum constitutio ad causas majores Sedi Apostolicæ reservatas referatur. 21.

Z

Pri-

Primum, qui causas majores sua cognitioni reservavit, fuisse Julium I. dicit, id quod ex Concilio Antiocheno, & epistola Julii ad Orientales scripta demonstrat. 22. S. Athanasius à Concilio Antiocheno, vel vero, vel altero illo conciliabulo sua sede depellitur. 23. Causas majores ad Sedem Apostolicam deferendas esse Eusebianorum testimonio ostenditur. 24. Ulterius confirmatur testimonio Socratis, & Sozomeni. 25. Canon & consuetudo, secundum quam causas majores ad Sedem Apostolicam deferre oporteat, ex ipsa Julii epistola ad Orientales missa eruitur. 26. Hoc jus magis stabilitum fuit in Concilio Sardicensi. 27. Quae contra jus appellationum ad Sedem Apostolicam apponant Galli, remissivè. 28. Bœhmerus negat hoc Concilium fuisse œcumenicum. 29. Ex motivo futili 30. œcumenicum fuisse ostenditur. 31. Bœhmerus Innocentium I. & Zosimum PP. fraudis arguit. 32. Hæc calumnia retorquetur in authorem.

19 **B**œhmerus suas animadversiones ad h. t. §. 1. sic orditur: *Specie recti sese omnia admodum commendant, qua hoc titulo traduntur; verum etiam hic rectè applicatur Poëte illud: DECIPIMUR RECTI SPECIE.* In quo autem umbratica hæc rectitudo consistat, sequentibus mox verbis aperit: *Quid jejunius, inquiens, absurdius, & ab omni equitate alienius, quam sub involucre DEBILITATIS, vel INFIRMITATIS valenti dare Coadjutorem, non ut Episcopo ASSISTAT, sed ut ei SUCCEDAT. Et tamen proh dolor! hæc hodierna hujus tituli praxis est.* Coadjutoria ergo cum spe succedendi est ille lapis, ad quem Bœhmerus non pedem, sed cerebrum suum offendit. Non negat ille, ejusmodi coadjutorias, & successorum designationes ab antiquissimis temporibus jam invaluisse, prout exemplum adducit de Narcisso, qui circa Annum 212. teste Eusebio *Histor. Eccles. l. 6. cap. 11.* propter extremam senectutem sibi Alexandrum alterius Ecclesiæ Episcopum in Episcopalis oneris levamen, adiutorem assumpsit. Plura alia exempla, uti de

Athanasio, Augustino, & aliis referunt Thomassin. *vet. & nov. Eccles. Discipl. part. 2. lib. 2. cap. 55. & seqq.* Natal. *Alexand. Histor. Eccl. Tom. 5. Secul. 6. cap. 6. num. 4.* & ipse S. Augustinus *Epist. 213.* Similem à se successoris, & Coadjutoris designationem fuisse factam apertis verbis fatetur, loquens ad Coepiscopos suos, totumque Clerum, & populum: *Obsecro vos, & obstringo per Christum, ut huic juveni, hoc est, ERACLIO Presbytero, quem hodie in Nomine Christi designo Episcopum successorem mihi, patiamini me refundere onera occupationum mearum.* Hoc, inquam, Bœhmerus non negat, nec etiam tales Coadjutorum, & successorum designationes ab Episcopis factas improbat, quia *in casu necessitatis* (inquit, §. 7.) *non primario futuræ successionis gratiâ, sed in Ecclesia commodum, cum assensu, & auctoritate eorum, qui ad electionem concurrebant, maxime ad ejus desiderium, qui adjutorio indigebat alterius, nulla tamen Romani Papæ dispensatione interveniente, adiutores constituebantur.* Quod verò Bonifacius VIII. deinceps Coadjutorum Episcoporum, &

& superiorum Prælatorum dationem, tanquam unam *de causis majoribus* ad Sedem Apostolicam referendam, ac ab ea (consuetudine non obstante contraria) tantummodo postulandam declaraverit, atque statuerit in *cap. un. b. t. in 6.* id Bœhmerum pessimè habet. *O editum*, exclamat cum Tertulliano *de Pudicit. cap. 1. cui non potest adscribi BONUM FACTUM!* ut subinde hoc Bonifacii decretum non nisi per summam vim, & gravem injuriam Episcoporum, & Metropolitanorum, fuisse conceptum, erudito orbi patenter persuadeat, ipsarum *causarum majorum* (quibus Coadjutorum dationem accensuit Bonifacius) origines inquirat. *Agite, videamus* (exclamat *s. 10. b. t.*) *artes aule Romanæ, quibus sub pretextibus CAUSARUM MAJORUM tot præcipua jura sibi acquisierit?*

21 Primus, qui hoc jus eminens sibi vindicârat, Julius I. qui solum Pontificale conscendit Anno Domini 337. à Bœhmero fuisse perhibetur. Auspicia hujus novi juris attentandi & usurpandi occasionem arripuit Julius I. ex turbis, & motibus, quos ea tempestate Arianorum suo è busto, postliminiò reviviscentium, furor in Oriente excitaverat. Ne verò fraudes Julii cæteri Episcopi adverterent, rem ille ab initio levi brachio, & quasi per cuniculos agere cœpit. Historiam hujus rei ne aliter narrem, quàm Bœhmerus exposuit, ipsiusmet verbis refero: ita ergo ille *s. 11. b. t.* Anno 341. „ Concilium „ Antiochenum in Oriente damnaverat „ *Athanasium*, eumque Sede sua expulserat. *Athanasius* Romam petiit, postquam hostes ejus Eusebiani Julio Romano Episcopo, causæ arbitrium de-

„ tulerant, & ab eo Synodum petierant, teste ipso Athanasio *Apolog. 2. pag. 739.* quamvis eos postea facti „ pœnituisset. Julius nihil cunctatus. „ Synodum coëgit, & cognita innocentia Athanasii, eum absolvit, & ad „ communionem rursus admisit. Ægrè „ id tulerunt Antiocheni, & acerbiores „ ad *Julium* direxerunt litteras, in quibus ab Ecclesiæ legibus alienum esse „ ajebant, judicia Orientalium retrahere in Concilio Occidentalium. His „ respondit Julius, & suo, & Synodi „ nomine, & ea occasione Judicium sibi DE CAUSIS MAJORIBUS confirmavit. *Si, ut dicitis* (hic jam recitat Bœhmerus verba Epistolæ à Julio ad Orientales scriptæ) *omnino in culpa fuerunt, oportuit secundum Canonem, & non isto modo judicium fieri; oportuit scribere omnibus nobis* (Romæ congregatis, inter quos Julius Primatum tenebat) *ut ita ab omnibus, quod justum esset, decerneretur.* Rationem hanc addit: *Episcopi enim erant, qui patiebantur, & non vulgares Ecclesiæ, quæ ista patiebantur, sed quos ipsi Apostoli suamet opera ad fidem instruxerant. Cur igitur imprimis de Alexandrina civitate nobis scribere voluistis? An ignari estis, hanc consuetudinem esse, ut primum nobis scribatur, & dehinc, quod justum est, definiri possit?* „ Uti verò Romanæ Ecclesiæ prærogativam ea in re extolleret, statim addit: *Quapropter, si isthæc hujusmodi suspicio in Episcopum concepta fuerat, id hæc ad nostram Ecclesiam referri oportuit, hoc est, ad Sedem Romanam, forsitan ad mentem Julii, quæ teste scripserat, occultaveratque, explicuit planius Socrates lib. 2. cap. 17. ajens: Regula Ecclesiastica interdictum*

esse, ne præter sententiam Romani Pontificis quidquam ab Ecclesia decernatur. Sed ubinam (quærit Bœhmerus) hæc est Regula Ecclesiastica, hic Canon? Provocat Julius, ait, ad consuetudinem Ecclesiasticam, sed ubi hæc? Tantum in cerebro JULII nata & efficta.

22 Admitte jam Bœhmere, ut hanc Historiam, à te procul dubio summa fide relatam, ad sua autographa examinemus, & quid fraudis vel à te, vel à Julio hac in re commissum sit, Novellearum tuarum æstimatoribus patefaciamus. Scribis Athanasium à Concilio Antiocheno damnatum, & sua Sede depulsum fuisse. Hæc assertio contradictorem non habet. Sed quale illud Concilium Antiochenum fuerit, non aperis. Fuerunt post Baronium plerique eruditi in hac opinione, quod hæc Synodus Arianorum conciliabulum fuerit, Schelstratius verò in libro, quem edidit de sacro Antiocheno Concilio, ostendit, hanc Synodum ex nonaginta Patribus collectam, suis in primordiis fuisse incorruptam, in fine autem, fortè vitium passam, aut in altero eodem anno celebrato Antiochiæ Conciliabulo à quadraginta circiter Eusebianis celebrato, ut pluribus eruditis placet. Pagius in Breviario Historic. Chronolog. Critic. tom. 1. in Vita Julii I. pag. 86. Videantur etiam, quæ ad Concilium Antiochenum I. tom. 2. Concil. edit. Veneret. annotantur. Depositio subinde Athanasii facta fuit in illo Conciliabulo ab Arianis conflato, vel si unam tantum Synodum admittimus, à factione illa Eusebianorum, qui Patribus Orthodoxis in dicto Concilio associati fuerant.

Scribis II. causam Athanasii ab Eusebianis ejus hostibus Julii Romani Pontificis arbitrio, & examini fuisse submissam. Si res ita se habet, habet autem, qui ausus es scribere Bœhmere, Julium Romanum Pontificem per varias artes, & fraudes de causis Episcoporum cognoscendi, & arbitrandi jus sibi quæsitivisse, cum te ipso teste suprema hæc arbitrandi, & judicandi potestas in Romano Præsule ab Eusebianis, Ecclesiæ hostibus, fuerit agnita, ejusque judiciali examini causa Athanasii ultrò & sponte submissa? Si Julius primus ille fuisset, qui causas Episcoporum, in Synodis jam judicatas, ad se, suumque tribunal per iniquam usurpationem pertraheret, quomodo fieri potuisset, ut Eusebius Nicomediensis Episcopus cum suis asseclis, Arianae factionis fautor, & promotor, ut nemo magis, Papali huic ausui se non opponeret? At verò, tantum abest, ut is se opposuerit, ut datis insuper ad Julium litteris, missisque Romam legatis, ejus judicium ultrò postulaverit. Confirmata ergo jam tantum erat omnium opinio, in causis Episcoporum dijudicandis supremum arbitrium Romano Præsuli esse deferendum.

Scribis III. à Julio, nulla mora interposita, Synodum fuisse coactam, & cognita Athanasii innocentia, eum absolutum, & ad communionem fuisse admissum, atque hoc pacto judicium de causis Majoribus fuisse confirmatum, quamvis adhuc teste, & occultè, quod deinceps Mysterium Socrates lib. 2. cap. 17. videtur aperuisse. Verum nec Julium hoc indignisse interprete, paulò post ostendam, nec Socratem illa verba, quæ tu recitas, habere. In cit. quip-

pe cap. 17. agit Socrates de Eusebio Pamphilo, eumque ab Arianorum erroribus alienum fuisse, conatur ostendere, de Primatu verò Romani Hierarchæ, ejusque suprema in causis Episcoporum judicandi potestate ne verbulo quidem mentionem ingerit, unde hic Bœhmere hallucinatus es. Sed fortè error hic non tua fraude, sed per Typographi incuriam irrepserit. Scribit enim similia Socrates in aliis locis, & quidem lib. 2. cap. 5. Cùm Canon Ecclesiasticus jubeat, non oportere absque sententia Episcopi Romani Decreta Ecclesiis sancire. Et rursus cit. lib. cap. 13. Cùm Canon Ecclesiasticus vetet, ne Decreta absque sententia Episcopi Romani Ecclesiis sanciantur. Ejusdem tenoris sunt verba Sozomeni Hist. Eccles. lib. 3. cap. 9. Nam legem esse ad Sacerdotii dignitatem spectantem, que pronuntiat acta illa irrita esse, que præter sententiam Romani Episcopi constituuntur.

25 Sed ubinam hic Canon? quæris, ubi illa consuetudo, ad quam Julius provocat? non in cerebro Julii natam, aut effictam fuisse (ut petulanter asseris) ex ipso Julio discere, qui Ep. 1. ad Orientales Episcopos inter alia hæc scribit: Sancti Patres prævidentes insidias, & illicitas altercationes unanimiter in prædicta Nicæna statuerunt Synodo, ut nullus Episcopus, nisi in legitima Synodo, & suo tempore Apostolica auctoritate convocata, super quibusdam criminationibus pulsatus audiatur, id est, judicetur, vel damnetur. Sin aliter à quibusdam præsumptum fuerit, in vanum deducatur, quod egerint, nec inter Ecclesiastica ullo modo computabitur. Ipsi verò primæ Sedis Ecclesiæ convocandarum generalium synodorum jura, & judicia Episcoporum singulari privilegio,

Evangelicis, & Apostolicis, atque Canonicis concessa sunt insituta, quia SEMPER MAJORES CAUSÆ AD SEDEM APOSTOLICAM multis auctoritatibus referri præcepta sunt. Nec ullo modo potest major à minore judicari. Ipsa namque omnibus major, & prælata est Ecclesiis, que non solummodo Canonum, & sanctorum Patrum decretis, sed Domini Salvatoris nostri voce singularem obtinuit principatum. TU ES, inquit, PETRUS, ET SUPER HANC PETRAM ÆDIFICABO ECCLESIAM MEAM &c. ET QUÆCUNQUE LIGAVERIS SUPER TERRAM, ET SOLVERIS, ERUNT LIGATA, ET SOLUTA IN COELO, ET IN TERRA. Porro dudum à sanctis Apostolis, successoribusque eorum in præfatis antiquis decretum fuerat statutis, que hæc tenus sancta, & universalis Apostolica tenet Ecclesia, non oportere præter sententiam Romani Pontificis Concilia celebrari, nec Episcopum damnari, quoniam sanctam Romanam Ecclesiam Primatem omnium Ecclesiarum esse voluerunt. Et sicut B. Petrus Apostolus primus fuit omnium Apostolorum, ita, & hæc Ecclesia ipsius nomine consecrata, domino instituite, prima, & caput sit ceterorum, & ad eam, quasi ad matrem, atque apicem, omnes MAJORES ECCLESIAE CAUSÆ, ET JUDICIA EPISCOPORUM, recurrant, ejusque justa sententia terminum sumant, nec extra Romanum quidquam ex his debere decerni Pontificem, quatenus non ita protervè, & pro libitu cujuscumque, suo proprio arbitrio, quibusque Metropolitanis, sicut agere solebant, liceat, inconsulto Romano Pontifice, aut MAJORES ECCLESIAE CAUSAS deturbare, aut Episcopos damnare, sed communi sanctæ Ro-

mana Sedis Episcopi consilio, & concordia actione, quæque sunt Christi zelo agenda, disponant unanimiter, non sibimet discrepando, sed DEO placita perficiant. Et post pauca sic pergit: Et nos, scitote, hunc typhum deinceps non esse passuros, ut ea, quæ ad hanc specialiter sanctam pertinent Sedem, sicut iudicia Episcoporum, & majores Ecclesie cause, ut paulò superius prælibatum est, vos patiamur, nobis inconsultis invadere absque status vestri periculo - - - quoniam & prius, a tempore scilicet Apostolorum, hæc huic Sedi sanctæ concessa sunt, & postea in memorata Nicæna synodo, propter pravorum hominum infestationes atque Hæreticorum persecutiones, & insidiantium molimina fratrum, sunt concorditer ab omnibus corroborata. Ex hac subinde Epistola satis liquet, quis ille Canon, aut consuetudo Julio intellecta fuerit, quæ causas majores à Sede Apostolica dijudicari jubet. Fuerat nempe ipsa Christi institutio, Romanam Ecclesiam præ aliis singulari honoris, & potestatis judiciariæ prærogativa honorare volentis, à qua Apostoli nec latum unguem recessere, sed hujus sanctæ Sedis auctoritatem per legem manu traditam ad posterum propagarunt, unde postea in Concilio Nicæno contra Hæreticorum ea tempestate tumultuantium ausus suprematus Romanæ Ecclesie de novo stabilitus, & confirmatus fuit. Et quanquam de hoc nullus Canon dictæ synodi à Julio proferatur, qui hanc S. Pontifici prærogativam asserat, nihilominus credendum est, hunc honorem unanimi Patrum voto eidem adjudicatum fuisse. Quomodo enim Julius in hac causa ad institutionem Christi, ad Apostolicam observantiam, ad Nicæna

Synodi decreta tam fidenter provocasset, nisi res ipsis quoque Eusebianis indubitata fuisset, hunc honorem omnibus retrò temporibus S. Pontifici semper fuisse delatum. Unde non habes Bøhmere, quòd dicas, hanc consuetudinem in cerebro Julii fuisse natam, tuum potius inquietum redargue cerebrum, quod entia per modum non entis concipiat. Cæterum & hoc ex recitata Julii Epistola patenter constat, quod ille nequaquam tectè, aut occultè causas majores ad Sedem Apostolicam referendas esse edixerit, ut subinde opus haud fuerit vel Socrate, vel Sozomeno, aut alio interprete, qui, quod Julius palam edicere ausus non esset, ipsi tandem aperirent. Quia hoc ipsum luculento argumento est, arbitrandi in causis majoribus potestatem à SS. Pontificibus non per fraudes, & astus fuisse quæsitam, cui primi rerum Ecclesiasticarum scriptores concordi calculo testimonium tulere.

Hoc jus deinceps in Concilio Sardiceni Anno 347. ex trecentis fere Episcopis collecto, ut testatur S. Athanasius in Epist. ad Solitarios magis stabilitum, & insimul jus appellationum S. Pontifici assertum fuit. In Canone III. à Patribus sic decretum fuit: Si quis autem Episcoporum in aliquo negotio condemnandus visus fuerit, & existimet se non malam, sed bonam causam habere, ut etiam rursus iudicium renovetur, si vestre dilectioni videtur, Petri Apostoli memoriam honoremus, ut ab illis, qui iudicaverunt, scribatur Julio Romanorum Episcopo, & per propinquos Provincia Episcopos, si opus sit, iudicium renovetur; & cognitores ipse præbeat. Si autem probari non potest, causam ejus esse talem, ut eam rursus iudicari

cari opus sit, quæ semel judicata sunt, non infirmentur, sed rata sit lata sententia. Et in Canone V. *Fus appellationum* S. Pontificibus his assertum fuit: *Osius Episcopus dixit: Placuit, ut si quis Episcopus delatus fuerit, & congregati ejusdem regionis Episcopi eum gradu moverint: & veluti appellans confugerit ad beatissimum Romanæ Ecclesiæ Episcopum, & velit ipsum audire, & justum esse existimaverit, ejus rei examinationem renovari; Coepiscopis scribere dignetur, ut ipsi diligenter, & accurratè singula perscrutentur, & ex veritatis fide de re sententiam ferant. Si quis autem postulet, suum negotium rursus audiri, & ad suam supplicationem Romanorum Episcopum judicare visum fuerit, ut à proprio latere Presbyteros mittat, & sit in potestate ipsius, quodcumque rectè habere probaverit: & si decreverit, oportere eos mitti, qui cum Episcopis sint judicaturi, habentes auctoritatem ejus, à quo missi sunt; & hoc ponendum est, si autem sufficere putaverit ad rei cognitionem, & Episcopi sententiam, faciet, quod prudentissimo ejus consilio rectè habere videbitur. Responderunt Episcopi: quæ dicta sunt, placuerunt.*

27 Quæ contra jus appellationum ad Sedem Apostolicam, in recensitis Canonibus luculenter assertum, opponit Petrus de Marca in *Concord. Sacerd. & Imp. lib. 7. cap. 3.* hic non excutimus. Hoc jus Gallis semper invisum, ideòque etiam crebrius impugnatum fuit. Argumentis Petri de Marca se opposuit, eaque egregiè confutavit Natalis Alexander *Histor. Eccles. Tom. 4. ad Sæculum IV. dissert. 28.* quem consule. Jungatur etiam noster olim hic in cathedra Canonica antecessor, Eminentissimus Car-

dinalis COELESTINUS SFONDRA-
TI in *Regal. Sacerd. lib. 2. §. 8.*

Quæ verò Bœhmerus de hoc Con-28
cilio *Sardicensi*, & relatis ex eo Canonibus scripsit, id sicco pede præterire non possumus. Author hic tanto jam factu intumuit, ut jus appellationum à Conciliorum, & Pontificum decretis, aut certè jus revisionis sibi fidenter attribuat: ea enim libertate in *Canones* grassatur, ut illorum fidem jam eleveit, jam resectis iis, quæ doctrinæ suæ offendiculum parare videntur, truncatos exhibeat, aut ceu pestes foro penitus proscribat. Videamus jam, quæ ejus de Concilio *Sardicensi* sententia sit. Advertit, Concilium hoc, nisi fides ejus decretis abjudicetur, sibi, suisque dogmatis patenter obstare. Quid ergò facit? negat esse Concilium *Oecumenicum*. Concilium *Sardicense*, scribit ad *h. t. §. 12.* Eo tempore indictum fuit, quo Occidentales prævalebant, cum plerique Orientalium discesserant; unde non Synodus *OECUMENICA*, sed Occidentalium dicta fuit. Ad Canones verò hujus Concilii, Pontificiæ auctoritati oppidò faventes, respondet, eos Hosii, hujus Concilii Præsidis, Julio Pontifici, & Athanasio admodum addicti opera in Orientalium dedecus fabricatos fuisse, cui Synodus, clamoribus inconditis, facile consentiebat, utpote, quæ sæpius causa non examinata, plausum dabat. Denique hujus novi juris, ait, nullam id temporis praxin extitisse, eo, quod Orientales, qui sibi hoc jugum imponi passi non sunt, à Concilio discesserint. Ex quo jam apparet, quomodo Heterodoxi omnes, dum Conciliorum autoritate premuntur, instar anguis

con-

contrita in utrumque latus se versent, ut oneri, quo premuntur, se subtrahant.

29 Quid ais Bœhmere? Concilium Sardicense *Oecumenicum* non fuit, eo quod Episcopi Orientales plerique discesserint? Qui fuerunt illi Episcopi? numquid Ariani fuerunt, adeoque Hæretici? an ergo Concilium propterea fidem amisit, quia Ariani ab Orthodoxorum Patrum cœtu se segregarunt? ubi pondus, ubi vis argumenti tui Bœhmere? Quid, amabò, defuit huic concilio, utne *Oecumenicum* habeatur? fuit *Julii Pontificis* maximi autoritate indictum, præsentibus ejusdem legatis, ut testatur *Socrates lib. 2. cap. 16.* convenerunt ex Oriente, & Occidente Episcopi frequentissimo numero, ut perhibet *S. Athanasius Apolog. 2.* Imperatores *Constans, & Constantius* omnem dederunt operam, ut Episcopi ex omnibus serè Provinciis convenirent, ut rursus fidem facit *Socrates cit. loc. & Sozomenus lib. 3. cap. 11.* Accedit testimonium Imperatoris Justiniani, qui in edicto de tribus Capitulis hæc scribit: *Quoniam ex his, qui in Nicæna sancta Synodo convenerunt, & expositæ ab ea fidei definitioni, vel symbolo subscripserunt, quoniam postea contraire sapientes apparuerunt, alii quidem vivi, alii post mortem anathematizati sunt à Damaso sanctæ memoriæ Papa antiquioris Romæ, vel ab UNIVERSALI Sardicensi Synodo, prout testatur S. Athanasius.* Hæc Justinianus. Omitto SS. Pontificum *Leonis IV. & Nicolai I.* testimonia, qui huic Concilio tanquam *Oecumenico* honorem habuere, prout constat ex Epistola *Leonis* ad Episcopos Britanniarum, & ex *Epist. 10. Nicolai* ad Clerum Constanti-

nopolitanum scripta. Videatur Natalis Alexander *Hist. Eccles. Tom. 4. Sæcul. 4. dissert. 27. art. 3.* Et hæc Bœhmerum ignorasse, quis credat? à quo hos ipsos authores, quos in testimonium veritatis adduximus, studiosè fuisse excusos non nescimus. Unde si apertæ fraudis Bœhmerum reum agimus, quod hos testes silentio præterierit, aut ipsorum testimonia non refutaverit, injuriam ei non facimus. Habent hoc omnes Hæretici, habet hoc perpetuò Bœhmerus, ut centonibus quibusdam, ex probatorum scriptorum monumentis, astu plagiario avulsis, hominum vulgo fucum faciant, imò etiam sciolis illis, qui, quod Bœhmeri, aut alterius similis farinæ scriptoris Hæretici libros evolveriat, orbi pro eruditibus se venditant, egregiè imponunt.

Talem impostorem agit Bœhmerus; dum in *§. 13. b. 1. Innocentium I. & Zosimum* fraudis arguit, eo quòd ille ad conciliandam auctoritatem Concilii *Sardicensis* Canones illos, qui agunt de *causis majoribus* ad Sedem Apostolicam referendis, & de appellationibus ad eandem Sedem ab inferioribus Episcopis admittendis, scribens ad *Victorium Rotomagensis* Episcopum, sub nomine *Nicænarum Canonum* alleget, *Zosimus* verò, ut Africanis persuaderet, ab Episcoporum tribunalibus rectè ad Sedem Apostolicam appellari, id, quod in Concilio Sardicensi *Canone VII.* statutum erat, in commonitorio ad Episcopos Africae dato, in Concilio *Nicæno* jam fuisse decretum dixit, unde, cum illi postea legatos in Orientem misissent, ubi gemina d. Concilii exemplaria asservabantur, deprehensum fuit, non in *Canonibus Nicænis, sed Sardicensibus*

bus hoc jus *appellationis* quærendum esse, & sic *fraus dd. PP.* detecta fuit. Hæc Bœhmerus *cit. loc.*

32 Ut utrumque Pontificem ab hac impostura liberemus, & fraudem in ejus artificem Bœhmerum, retorqueamus, sciendum est, quod *Sardicense Concilium*, cum non novas fidei, vel Ecclesiæ causas susceperit, sed tantum *Nicænæ* fidei tutelam, ac patrocinium, & ut est in Concilio Chalcedonensi *Act. 16.* Arianorum reliquias oppugnaverit, atque adeo Synodi *Nicænæ* duntaxat interpres extiterit, cum *Nicæno* una eademque Synodus habita fuit, id quod ex vetustissimo Canonum Codice in editione Quesnelliana perspicuum fit, qui sub unico *Nicæni Concilii* titulo tam *Nicænos*, quam *Sardicenses* Canones comprehendit. Accedit, quod is, qui utriusque Synodi Canones collegit, nomine, & titulo *Sardicensis*, quod ab Arianis valde diffamatum fuerat, expuncto, ita conjunxerit, ut omnes unius, ejusdemque *Nicæni Concilii* Canones esse viderentur. Videatur *Historia Concilii Sardicensis tom. 3. Concil. edit. Venet. pag. 656. & seq.* Binius in *Not. ad d. Concil. Baronius Anno 347. num. 40. & 2. seqq.* Cabassut. *Notit. Eccles. Sæcul. IV. ad Concil. Sardicenf. post Canon. 20.* Ludovicus Bail. in *Summa Concil. in Append. Concil. Nicæn. pag. 183.* Quapropter nec *Innocentius*, nec *Zosimus* quidquam fraudis admiserunt, quod Canones *Sardicenses*, sub nomine, & titulo *Nicænorum* allegaverint. Et sanè hanc fraudem non dissimulassent Africani, si eidem se obnoxium fecisset *Zosimus*, cum acquisitis genuinis exemplaribus *Nicæni Concilii*, hos,

quos allegaverat, Canones non repererint. Verùm tantum abest, ut ipsum de impostura, dolo, aut fallacia redarguerent, ut etiam ejus Successorem *Cælestinum* (*Bonifacio* immediate *Zosimam* consequente fati functo) submisso animo rogarent, ut posthac majori cautela, & circumspectione uteretur in admittendis ejusmodi querelis, & appellationibus ex Africa. *Præfatio debite salutationis Officio* (sonat tenor *Epistolæ Concilii Africani ad Cælestinum* Papam missæ) *impendiò deprecamur, ut deinceps ad vestras aures hinc venientes non faciliùs admittatis.* Hæc omnia, Bœhmere tē neutiquam latuerunt, ut quid ergo ea duntaxat afferre voluisti, quæ dictos Pontifices in suspicionem fraudis adducere poterant, illa verò, quæ eorum innocentiam, & animum à fraude prorsus alienum detegerent, studiosè dissimulasti? aut, si tam infirma adducta rationum momenta tibi visa sunt, cur non confutasti? Hæc non est germani, & candidi scriptoris, sed vasserrimi impostoris, qui, quæ speciem falsi habent, in publicum proferre, veritatem autem celare non refugit. Et tamen fides Bœhmeri (quod sciamus) apud prudentes, & sapientes hujus Sæculi nihil quidquam labat. Aded verum est, quod apud Terentium legimus *Phorm. Act. 5. Scen. 2.*

*His nunc præmium est,
Qui recta prava faciunt.*

Bœhmerus ulterius in *Origines*, & fontes hujus Juris à Pontificibus, sua quidem opinione, per fraudes quæsit

A a

f. 14.

§. 14. § 4. seqq. inquit. Nos, quoniam pagellarum angustia nos premunt, ad alia properamus, suo tempore, si superis placet, ubi secundas forte curas nostris scriptis adjecerimus, defectum hunc compensaturi.

TITULUS VII.

De Institutionibus.

Inter modos legitimos acquirendi Beneficia Ecclesiastica recensetur etiam *Institutio*, quæ fit ad præviam Patroni præsentationem. Et de hac, postquam *Tit. 5.* præcedente collatio Beneficii *libera* explicata est, recto ordine in præsentati Titulo agitur.

§. I.

Quid, & quotuplex sit Institutio?

SUMMARI A.

1. *Institutio latè accepta convenit cum aliis modis Canonicis alicui de beneficio providendi, strictè accepta describitur.*
2. *Institutio alia dicitur collativa, alia authorizabilis, alia corporalis.*
3. *Institutio corporalis, quæ & investitura vocatur, alia est verbalis, alia realis.*

Vox hæc *Institutio* in latiori significatione accepta denotat quemcunque modum Canonicum, alicui de beneficio providendi, *cap. 1. de R. 7. in 6.* vel etiam admissionem, sive susceptionem ad Ecclesiam, vel Monasterium, juxta *cap. 1. § 5.* ubi plures ad Monasterium suscipi prohibentur, quam ali de bonis Ecclesiæ commodè possint. Strictè sumpta, prout opponitur *Electiōni*, & *Collatiōni*, denotat illam provisionem beneficii, quæ fit ad præsentationem Patroni, & in hac acceptione.

Describitur, quòd fit *concessio Beneficii vacantis non libera, ad præsentationem, vel nominationem alicujus legitima auctoritate facta.* Ex qua descriptione relucet differentia inter *Collationem*, & *Institutionem*, dum in illa collator, cuicumque vult, modo idoneo, beneficium liberè conferre valet. *cap. 9. de Præbend.* In hac verò inallituens beneficium præsentato, vel nominato, si ceteroquin dignus reperitur, præcisè conferre teneatur, ut pluribus traditur in *Tit. de Jur. Patronat.*

Di-

2. Dividitur Institutio sic descripta in *collativam, authorizabilem, & corporalem*. *Collativa* dicitur, qua ad praesentationem Patroni Beneficium conceditur. *Authorizabilis* vocatur, qua datur potestas exercendi curam animarum. Institutio denique *corporalis* est ipsa investitura, & introductio in possessionem. *cap. 5. de Offic. Archid.* Hæc ipsa tamen *investitura* potest vel strictè, vel latè accipi. Propriè & strictè accepta significat ipsam possessionem realiter traditam. Ut patet ex *lib. 2. feud. Tit. 2. Hotoman. de Verbis feudalius Verbo investitura*. Aliquando tamen, si latius hoc vocabulum intelligatur, significat duntaxat jus adipiscendi possessionem corporalem. *1. feud. 3. §. si verò, 2. feud. 7. §. fin.* unde canonicè electus, quia habet jus, ut sibi constituatur locus in Capitulo, & stallus in choro, latè dicitur investitus in *cap. 2. de Renuntiat. Gonzalez ibidem n. 5.*
3. Investitura rursus vel est *verbalis*, vel *realis*. Illa fit per verba cum traditione alicujus symboli, puta, annuli, baculi, libri, sigilli, vel funis campanæ, & hæc non est investitura propriè dicta, quia non transfert possessionem, sed tantum tribuit jus apprehendendi eam. Unde Joannes VIII. in *cap. 1. C. 16. Q. 2.* ait: *Magis fuisse possessionem dare, quàm investituram concedere.* Gonzalez ad *cap. 4. de Concess. præbend. num. 2* Realis investitura fit, dum quis in locum beneficii actualiter introducit, & ut vocant, installatur. Circa utramque investituram stylum, & observantiam locorum attendendam esse monent DD. De investituris *Symbolicis* videndus est Boehmerus ad *h. t. §. 6. & seqq.*

§. II.

Cui competat jus instituendi?

SUMMARI A.

4. De Jure communi institutio competit ei, cui aliàs, si beneficium liberæ collationis esset, jus conferendi competeret, quod tamen ab inferioribus Prælatiis præscriptione, privilegio, aut consuetudine acquiri potest. 5. Institutio competit Capitulo Sede vacante. 6. Potest etiam à S. Pontifice concedi Abbatissis, aliisque Monialium Præpositis. 7. Non tamen hoc jus acquirere possunt laici, etiam præscriptione immemoriali. 8. Institutio authorizabilis competit Episcopo, aut alteri Ordinario. 9. In quibus casibus Episcopi approbatione opus non sit? 10. Institutio corporalis cui competat?
4. Jus instituendi in beneficio, si loquamur de Institutione *collativa*, regulariter, & de Jure communi competit illi, ad quem aliàs collatio beneficii, si liberæ collationis esset, spectaret, ideóque Episcopus loci, in quo beneficium est situm, hac in parte fundatam pro se in jure intentionem habet. *cap. 3. h. t.* Quin tamen hoc ipsum jus etiam Prælati inferioribus per privilegium, præscriptionem aut consuetudinem acquiri possit, dubitare non

sciunt. textus in *cap. 6. h. t. cap. 15. de Offic. delegat. cap. 15. § 18. de Præscript. non obstante Tridentino Sess. 14. de Reform. cap. 12.* ubi statuitur, ut in casu *fundationis, aut donationis hujusmodi Institutio Episcopo, & non alteri inferiori reservetur*, quia, ut ait Card. de Luca *ad cit. loc. Concil. discurs. 11. num. 27.* Concilium per hoc in nihilo alteravit dispositionem Juris communis, seu legem etiam particularem *fundationis, aut aliam ex consuetudine, vel privilegio quæsitam instituendi potestatem, sed, ne præsentati citra legitimam superioris Ecclesiastici institutionem, sola patroni præsentatione freti, possessionem beneficii sua unius auctoritate occuparent, his, inquam abusibus, qui fors per id tempus irrepsissent, hac constitutione Concilium occurrere voluit, quod ipsum confirmatur ex alio loco Concilii, scilicet cap. 9. de Reform. Sess. 25. in illis verbis: Quodsi ad inferiores Institutio pertineat &c. ubi simul adjicitur, quod præsentatus se Episcopo sistere, & examen subire debeat, secus Institutio ab inferioribus facta irrita sit.*

5 Quod Capitulo sede vacante competat tum approbatio, tum Institutio præsentatorum, tametsi in jure conferendi beneficia libera non succedat, patet ex *cap. 1. h. t. in 6.* Ratio est, quod Institutio sit actus jurisdictionis, quem Episcopus ex officio impertiri debet, in iis autem, quæ sunt ex necessitate Episcopo faciendæ, Capitulum succedit. *cap. 11. § 14. de M. & O. Panorm. ibid.* Quod tamen ita limitat Lotter *de Re benefic. lib. 2. Q. 2. num. 34.* ut, si plures fuerint præsentati in concursu, ita, ut locus sit gratificationi, Institu-

tio non transeat ad Capitulum, quia hoc jus gratificandi quasi privativè videtur esse reservatum Episcopo, per *cap. 24. de Jur. Patron.* Hanc ipsam potestatem Vicario generali etiam simpliciter constituto competere, eruitur ex *cap. 3. h. t. & cap. fin. de Offic. Vicar. in 6. Fagnan. ad cit. cap. 3. n. 5.*

6 Quæres I. An jus instituendi Abbatibus, & aliis Monialium Præpositis respectu beneficiorum, pleno jure incorporatorum, concedi possit? Respondeo ex speciali Sedis Apostolicæ indulto posse, quia, etsi potestatis clavium de Jure Divino incapaces existant, ideoque jurisdictionem fori interni Clericis dare nequeant, non tamen sunt simpliciter incapaces illius jurisdictionis, quæ ex Jure Ecclesiastico promanat, qualis est *collatio, & Institutio* in beneficiis, & ita sentit Layman. *ad cap. 12. de M. & O. num. 1. § 2. & in Theol. Moral. lib. 1. Tract. 5. part. 1. cap. 3. num. 4. cum Garzia part. 1. cap. 2. n. 33. & aliis ibidem relatis.*

7 Quæres II. An laici jus instituendi præscriptione *immemorabili* acquirere possint? Certum est, non implicare, quin, à S. Pontifice, si potestatis plenitudine uti velit, adhuc habilitari possint, sicut defacto ad jus præsentandi (quod est spirituale) habilitari sunt. Garzias *loc. cit. n. 33.* Præscriptione tamen *immemorabili* jus instituendi ideo acquirere non possunt, quod sit *jus spirituale*, quod à laico possideri nequit. *Arg. cap. 56. de Elect. sine possessione* verò præscriptio non procedit. *cap. 3. de R. 7. in 6.* Quodsi tamen in quasi possessione hujus juris per tempus *immemorabile* constituti fuerint, relinquendi sunt, quia præsumuntur per pri-

privilegium Apostolicum ad hoc jus fuisse habitati. Resolvitur autem rursus hoc jus, si postmodum constiterit, nullum revera iis datum fuisse privilegium. Vid. Leuren. *in foro benef. part. 2. sect. 1. cap. 3. q. 174.*

8 Institutio *authorizabilis*, qua confertur potestas exercendi curam animarum, spectat ad solum Episcopum. Conc. Trid. *Sess. 23. de Reform. cap. 15.* vel alium Prælatum, jurisdictionem quasi Episcopalem habentem. Fagnan. *ad cap. 4. de etat. qualit. num. 4.* quamvis enim quilibet Sacerdos in sua Ordinatione accipiat potestatem absolvendi in *actu primo*, hanc ipsam tamen citra approbationem Episcopi validè in *actu secundo* exercere nequit, ob defectum *jurisdictionis*, cum enim Sacramentum Pœnitentiæ in forma *judicii* sit institutum, judiciaria potestas simplici Sacerdoti competere nequit, nisi sibi ab Episcopo consignentur subditi, & insimul concedatur *jurisdictio* in eosdem. Salmanticens. *de Sacram. in genere tract. 6. cap. 11. n. 5.* Hanc autem duobus modis Episcopus impertiri solet. I. Conferendo beneficium *curatum*, quo obtento, Parochus hoc ipso censetur approbatus, & jurisdictione instructus ad absolvendum, & ligandum in foro pœnitentiæ. II. Per simplicem concessionem, qua Episcopus Sacerdotem prævio examine (si ita visum fuerit) approbatum, deputat ad curam animarum exercendam. Clericatus *de Sacrament. Pœnit. Decis. 37. num. 6. § 9.*

9 Nonnulli tamen casus, in quibus ad validam impertiendam absolutionem approbatione Episcopi opus haud esse, videtur, à DD. referuntur. I. Pro absolutione à venialibus tantum, à qui-

bus simplicem Sacerdotem citra Episcopi approbationem absolvere posse, docuerunt Diana, Card. de Lugo, Salmanticenses, prout refert Clericatus *d. Decis. n. 26.* II. Quoad alia peccata jam confessa, etsi mortalia fuerint, ex eadem ratione. III. Pro absolutione peccatorum mortalium, inculpabiliter in prioribus Confessionibus oblitorum, si postea pœnitens eorum recordetur, & simplici Sacerdoti confiteatur. IV. Pro Doctoribus, & Magistris, quibus approbationem Episcopi necessariam non esse, plures docuerunt. V. Hac ipsa approbatione haud egere Prælatos Regulares, quorum tamen sententiam in recensitis casibus tanquam erroneam, & improbabilem haud quaquam in praxi sequendam esse, docet Clericatus *de Sacram. Pœnit. Decis. 37. n. 26.* Sogar *in Theol. Radical. tract. 2. cap. 1. num. 17.* Duo igitur duntaxat sunt casus, in quibus Episcopi approbatione opus haud est. I. In articulo, vel periculo mortis, in quo omnes Sacerdotes (etiam Hæretici, excommunicati degradati, irregulares) plenariam potestatem, & jurisdictionem habent absolvendi moribundos à quibuscunque peccatis, censuris, & reservationibus juxta expressam sanctionem Conc. Trid. *Sess. 14. de Reformat. cap. 7.* Clericatus cum pluribus à se citatis. *d. Decis. 37. num. 27.* Alter casus est circa Confessarios Regulares, qui Confessiones Regularium, & etiam illorum sæcularium, qui sunt verè de familia, & continui commensales, cum sola Prælati licentia, sine speciali approbatione Episcopi, excipere possunt, quia Concil. Trid. *cit. Sess. 23. de Reform. cap. 15.* approbationi Episcopali Regulares eo tan-

tum casu subicit, quo audire volunt
 facularium confessiones, ergo quoad
 Confessiones Regularium huic legi non
 subjacent, sed sicut quoad reliqua Sa-
 cramenta, ita etiam quoad Sacramen-
 tum Pœnitentiæ administrandum ab
 unius Prælati sui jurisdictione depen-
 dent, qui auctoritate sibi à SS. PP. con-
 cessa vel per seipsum, vel per alios à se
 deputatos regulares suos absolvere va-
 let. Accedit declaratio Cardin. ad d.
 cap. 15. Trid. n. 3. Clericat. de Sacram.
 Pœnit. Decis. 39. n. 1.

10 Institutio corporalis, sive investitu-
 ra, & introductio in possessionem Be-

neficii competit de jure comuni Archi-
 Diacono per cap. 7. de Offic. Archi-Diac.
 quamvis in cap. 28. de Præbend. in 6. di-
 catur ad Episcopum pertinere, id enim
 commodè intelligi potest, pro decreto,
 quo hanc institutionem, sive installa-
 tionem per alium fieri mandat. Ho-
 die Episcopi plerumque Commissarios,
 etiamsi illi Archi-Diaconi non sint,
 deputare solent, qui præsentatos in
 possessionem beneficii sui introducant,
 & installent. P. Reiffenstuel h. t. n. 44.
 qui etiam à num. 46. ritus institutionis
 corporalis, in beneficiis, sive investitura
 explicat.

§. III.

*Quinam possint, aut debeant institui? Et quis institutionis
 effectus.*

SUMMARI A.

11. Requisita ex parte instituendi recensentur. 12. Seipsum, habens jus instituen-
 di, præsentare, & instituere nequit. 13. Solvuntur due oppositiones. 14. In
 institutione, sicut in collatione habenda major ratio indigenæ, quam alienige-
 næ. 15. Per institutionem acquirit institutus jus in re in beneficio. 16. An
 cadat suo jure, si institutus propria auctoritate possessionem beneficii capiat,
 sub distinctione resolvitur. 17. Effectus ex parte instituentis genuinus pandi-
 tur.

11 **U**T quis institutionis passivæ sit ca-
 pax, sequentia desiderantur. I.
 Ut sit Clericus, Laici enim ad ob-
 tinenda beneficia capaces non existunt.
 cap. 2. h. t. cap. 17. de Rescriptis. Et ideo
 institutio illa citra specialem dispensa-
 tionem Sedis Apostolicæ non teneret,
 quæ facta est de Laico, tamen si is post
 factam institutionem mox Ordines re-
 ciperet, quiaabilitas instituendi præ-
 cedere debet institutionem arg. cap. 6.
 de Transact. P. König h. t. n. 7. Aliud

est, si Clericus præsentetur ad Benefi-
 cium, ante receptum certum ordinem,
 quem ipsius Beneficii qualitas requirit,
 sufficit enim, ut is aliàs sit idoneus, &
 infra tempus à jure definitum illum
 Ordinem recipiat. Clem. 2. de etat. &
 qualit. P. König loc. cit. II. Requiritur,
 ut à Patrono intra tempus legiti-
 mum præsentetur. Est autem pro præ-
 sentatione faciendâ tempus 4. Mensium
 Patrono Laico, semestre verò Patrono
 Ecclesiastico præfinitum, quod tempus

à die cognitæ vacationis, primum currere incipit. *cap. 3. 10. § 27. de Jur. Patron. cap. un. §. verum eod. in 6.*

III. Præsentatus sit instructus iis qualitatibus, quæ ad beneficium condignè administrandum necessariæ sunt, quibus, si careat, ab Episcopo repellitur, & alius, ab Ordinario in ejus locum sufficitur, qui à patrono laico iteratò fuerit præsentatus (patronis enim laicis plures simul, aut successivè, re adhuc integra, præsentare licet. *cap. 24. § 29. de J. P.*) patronus Ecclesiasticus hoc jure variandi non gaudet. Quodsi plures præsententur ad beneficium, is, cui jus instituendi competit, digniorem assumere necesse habet. *cap. 3. h. t. Concil. Trid. Sess. 24. de Reform. cap. 18.* Eò tamen casu dignum præ digniori assumere tenetur, quo inter præsentantes dignior à minore, dignus verò à majori parte præsentatur. *cap. 3. de Jur. patron.* Ratio est, quòd regulariter in negotiis Universitatis, quæ à majori parte gesta sunt, subsistant. *arg. cap. 1. de his, quæ fiunt à major. part. Capit.* Num verò necesse sit, ut conveniat major pars, habito respectu ad omnes patronos, an sufficiat major pars, habita comparatione ad minorem? E. G. sunt quatuor patroni, duo præsentant *Titium*, tertius *Sempronium*, quartus *Cajum*. Præsentatus à duobus non habet vota absolutè majora, sed tantum respectivè majora, habito respectu ad alios præsentatores. Panormit. *ad cit. cap.* Sic resolvit: Aut præsentatio fit ab istis quatuor patronis tanquam à collegio, & tunc requiritur majoritas votorum absoluta, hoc est, respectu totius collegii. *cap. 1. de Elect.* Aut isti patroni præsentant ut singulares, ut

communiter faciunt Laici, quibus jus Patronatus patrimoniale est, & tunc sufficit major pars votorum respectiva, hoc est, respectu aliorum patronorum singularium, ut *cit. cap. 3. de J. P.* cum Panormitano intelligit Vivianus *ibid.*

Quæres: An patronus Clericus habens alioquin jus instituendi, seipsum præsentare, & instituere possit? Resp. negativè: Textus in *cap. ult. h. t. & cap. 26. de J. P.* Ratio itidem datur, quòd inter dantem, & accipientem debeat intercedere distinctio personalis, & ne patronus seipsum instituere volens, de ambitu se reum, & hoc ipso indignum beneficio faciat. Nam, ut ait Gregorius Papa in *cap. 9. C. 8. Q. 1. Sicut locus regiminis desiderantibus negandus est, ita fugientibus offerendus.* Et idè nec delegatus Prælati, cui jus conferendi beneficium, aut instituendi competit, poterit conferre beneficium, aut instituere delegantem, quia delegatus non tam suo, quàm delegantis nomine agit, *l. 1. ff. de Offic. ejus, cui mandat*, & sic in effectu ipse delegans sibi met beneficium conferre censeretur, ac in facto proprio sibi auctoritatem præstaret, contra *l. 1. ff. de Auth. Tutor.* Duos tamen casus excipit Panormitanus ad *cit. cap. fin. h. t. in 6.* I. Si talis collator absolutè transferat potestatem instituendi in alium, eamque penitus à se abdicet, tunc enim, quia novus collator proprio nomine confert, poterit ab ipso beneficium recipere. II. Si talis Prælati, cui aliàs jus conferendi, vel instituendi competit, beneficium reciperet à S. Pontifice, non ejus legato à latere, tunc enim, quia & Pontifex, & legatus de jure communi cum quolibet collatore concurrunt, & jure

or-

ordinario conferunt, inter dantem, & accipientem intercederet distinctio personalis, adeoque collatio, aut Instructio jure subsisteret. P. Reiffenstuel *h. t. num. 89.*

13 Quæ contra hoc assertum solent opponi, est I. instantia à jurisdictione voluntaria, quam quis in seipsum exercere non prohibetur. II. S. Pontifex dat jurisdictionem, & potestatem suo confessario, eundem absolvendi à peccatis: ergò à fortiori poterit aliquis Prælatus dare alteri potestatem conferendi beneficium sibi, aut se instituendi. Respondeo ad instantiam à jurisdictione voluntaria petitam, illam ad casum nostrum ex eo non posse applicari, quòd in Institutione sui ipsius in beneficio specialis turpitudine versetur, scilicet, vitium ambitus, ob quod quis se usque adeò indignum reddit beneficio, ut ne ab alio quidem institui possit, *arg. cap. 9. C. 8. Q. 1.* tantum abest, ut seipsum instituere valeat, quia, ut ait Pontifex in *cap. 28. de Jur. patr. Nullus se ingerere debet Ecclesiastica Prælationis officio.* Ad alterum dico, quod Confessarius absolvens Pontificem non procedat ut delegatus Pontificis, ejus jurisdictione utens, sed utitur jurisdictione sibi à DEO in sacra ordinatione collata *cap. 1. de SS. Trinit.* ita, ut, si Pontifex se ultrò, & sponte subjicit Confessario, ejus radicalis potestas, quam Sacerdos in sua ordinatione accipit absolvendi in foro interno à peccatis, actuatur, & sic non utitur jurisdictione delegata in delegantem, quod contra fieret, si Prælatus daret alteri jurisdictionem, & facultatem sibi conferendi beneficium, vel se instituendi, quod enim quis per alium facit, per

seipsum facere censetur. *cap. 71. de R. J. in 6. Panorm. ad cap. ult. h. t. n. ult. P. Verani h. t. §. 3. num. 19. & seq.*

Circa instituendos id porro notandum est, quod indigena alienigena præponendus sit, quia in *cap. ult. de Cleric. peregrin.* prohibentur Prælati in suis Ecclesiis absque consensu Episcopi Clericos de alienis Diocæsis, & Episcopatus instituere. Hujus prohibitionis non una ratio reddi potest. I. Præsumuntur indigenæ magis diligere oves, quàm extraneis. II. Propter idiomatis diversitatem, ut enim populus pastoris sui idioma intelligat, summè necessarium est. Ex hac ipsa causa S. Augustinus coadjutor datus fuit, ut supra notavimus. III. Præsumuntur indigenæ præ alienigenis majorem patriæ, & residentia habere amorem. IV. Quod non deceat, ut alienigenæ alienorum laborum fructibus gaudeant, id quod fieret, si decimas, & stipendia ex bonis ab alienis parentibus quæsitis perciperent, & consumerent. V. Quod publica utilitas certius promoveatur per indigenas, quia in exteris facilius timetur proditoris periculum. Sic irati DEI signum est regi ab extero. *Deut. 22. Advena, qui tecum versatur in terra, ascendet super te, eritque sublimior; tu autem descendes, & eris inferior: ipse scænerabitur tibi, & tu scæneraberis ei: ipse in caput, tu eris in caudam.*

Institutio alium effectum operatur ex parte instituti, alium ex parte instituentis. Ex parte instituti operatur Institutio collativa jus in re, seu jus perfectum in beneficio, etiam ante apprehensionem, sive traditionem possessionis. *arg. cap. 4. de Præbend. in 6.* Modò tamen beneficium acceptaverit, vel per

per se *cap. 17. de Præbend. in 6.* vel per alium. *cap. 24. de Præbend.* tametsi is Laicus fuerit. *Arg. cap. 1. §. 1. de Procurat. in 6.* ubi Laicus admittitur ad agendum, & defendendum in causis spiritualibus. Quamvis tutius, & convenientius sit, ut absens Clericus per Clericum institutionem acceptet. Panormit. *ad cit. cap. n. 5.* Per institutionem, sive investituram realem acquirit institutus veram, & actualem ipsius Beneficii possessionem, ut jam supra dictum est.

16 Hic jam quæritur: An, si præsentatus post institutionem Tituli collativam propria autoritate possessionem Beneficii capiat, is suo jure per institutionem quæsito cadat? Respondeo cum Covarruv. *V. R. lib. 3. cap. 16. num. 7.*

& Garzia *part. 4. cap. 2. n. 4.* sub distinctione: aut vacuam ingreditur possessionem, aut alium possessorem violenter expellit. Hoc casu omne jus amittit. *cap. 18. de Præbend. in 6.* priori non item, quia id nullibi expressum reperitur, poterit tamen arbitrariè puniri, tametsi verus possessor efficiatur. Ex parte Instituentis institutio hos 17 operatur effectus I. tenetur præsentato, si præmissis examine idoneus reperitur, & proposito citationis edicto nullus contradictor appareat, conferre Titulum, sive jus in re ad Beneficium Patronatum *arg. cap. 14. de Jur. Patron.* II. tenetur præsentatum collato semel Titulo investire, seu in possessionem Beneficii corporaliter introducere. Vid. P. Reiffenstuel *h. t. n. 46. & seqq.*

TITULUS VIII.

De Concessione Præbendæ, & Ecclesiæ non vacantis.

Dupliciter in Concessione Præbendæ, vel collatione Beneficii errari potest: vel tardè nimis illud conferendo, non observato videlicet termino Concilii Lateranensis, trimestri, aut semestri, per ea, quæ traduntur in *Tit. de supplend. neglig. Prælat.* vel nimis maturè, & præproperè, antequàm scilicet vacaverit. Quid de utroque præpostero hoc providendi modo jure cautum sit, in præsentis Titulo exponitur.



§. I.

Quid sit vacatio Beneficii? Et quotupliciter eam induci contingat?

S U M M A R I A.

1. *Quando beneficium vacare dicatur? 2. Beneficium potest vacare vel de jure tantum, vel de facto tantum, vel utroque simul.*

1 **V**acare Beneficium dicitur, quando nemo apparet, ad quem Beneficium vel Titulo *proprietas*, vel jure *Possessionis* pertineat. Sic *vacare* dicitur mulier in *l. 5. §. 2. ff. ad Leg. Jul. de vi publ.* quæ est vidua, si ve, quæ caret marito, & domus vacua dicitur, in *l. 22. §. 1. ff. de usu & habit.* quæ caret Possessore. P. Wiestner *h. t. num. 1.*

2 Vacatio Beneficii (secùs ac pensio, quæ morte Pensionarii penitus extinguitur) tribus modis inducitur. I. *De facto tantum*, cum nimirum *possessio* amittitur, non autem *Titulus*. Sic, si Beneficiatus vi, aut metu à possessione sui Beneficii dejiciatur, aut resignare cogatur, *cap. 2. §. 7. de restit. spoliat.* vel cum actualem ejus possessionem nondum habet Clericus, cui Beneficium est collatum. *Arg. cap. 17. de Præbend. in 6.* de *facto* tantum vacare dicitur, quia, etsi tunc nemo in possessione Beneficii existat, Beneficiatus tamen *jus*, & *Titulum* ad Beneficium adhuc retinet. II. Vacare dicitur Beneficium *de jure tantum*, quando Beneficiatus ipsum beneficium quidem detinet, sed sine ju-

re, & *Titulo*, fortè, quòd conferens *jus* conferendi non habuit, aut, quòd detinens *jus*, & *titulum* Beneficii amisit. Quod quandoque fit per sententiam judicis, v. g. si in pœnam neglectæ residentie beneficio privetur *cap. 6. §. 10. de Cleric. non resid.* quandoque ex dispositione juris, ut si decernat beneficium ipso facto vacare, v. g. quod beneficiatus matrimonium contraxerit. *cap. 1. §. 3. de Cleric. Conjug.* aut Religionem approbatam professus sit. *cap. 4. de Regul. in 6.* aut beneficium incompatible affectus sit. *cap. 28. de Præbend.* de quibus, aliisque modis beneficiorum vacationem ipso jure inducentibus videri potest Barbosa *J. E. U. lib. 3. c. 14.* cum aliis ibidem relatis. III. Vacare beneficium *de jure*, & *facto simul* contingit, quando apud aliquem nec *jus* sive *titulus*, nec *possessio* existit, ut si Beneficiatus moriatur. *cap. 6. de Rescript. in 6.* quia mors omnia solvit, adeò quidem, ut si mortuus miraculosè resuscitaretur, *jus*, quod in beneficio antecederet habuit, cum ipso nequiquam revivisceret. Barbof. *loc. cit.*

num. 2.

⦿ (o) ⦿

§. II.

§. II.

Qualiter vacantia beneficia aliis conferri possint?

SUMMARI A.

3. Beneficia de jure, & factō simul, aut de jure tantum possunt, & debent intra terminum juris alteri conferri. 4. 5. Quæ Regula duas patitur limitationes. 6. Beneficia de factō tantum vacantia alteri valide conferri nequeunt. 7. Beneficium nondum vacans alteri valide promitti nequit. 8. Ita, ut similis promissio nequidem adjecto juramento convalescat.

3 **D**ico I. Beneficia de jure, & factō simul, aut etiam de jure tantum vacantia, non solum possunt, sed debent intra terminum legalem (de quo in *Tit. de Elect. & de Supplend. neglig. Prælat. & Tit. de Præbend.*) Clericis idoneis conferri. Textus in *cap. 2. §. cum verò b.t. cap. 5. §. fin. eod. cap. 3. de supplend. neglig. Prælat.* P. Wiestner *b.t. n. 6.* P. Reiffenstuel *eod. n. 7.* Quæ tamen conclusio duas patitur limitationes: I. Si alius sit in possessione colorata Beneficii, quod de jure vacat, tenetur supplicans facere mentionem hujus possessionis, secus rescriptum impetranti non suffragabitur, sed tanquam subreptitium omni robore destituitur. *cap. 6. b. t.* Ratio est, quòd Pontifex, Possessoris jure non discussio, non præsumatur velle alteri conferre beneficium. Panorm. *ad cit. cap. 6. num. 7.* Dixi notanter: *Si alter in possessione colorata fuerit.* Nam si possessio notoriè injusta foret, rescriptum, non facta ejus mentione, haud quaquam vitiaretur. Ratio est, quòd illa duntaxat qualitas tacita vitiet rescriptum, qua expressa Pontifex aut nullo modo, aut saltem de facili non dedisset litteras *cap. 20. §. 27. de Rescript.* non autem præsumendum est, Pontificem denegaturum

fuisse litteras, si à supplicante fuisset suggesta alterius notoriè injusta possessio, quin potius, hoc consulto, facilius ad concedendum beneficium fuisse inclinandum capienda præsumptio est, nè scilicet notoriè intrusus diutius beneficium occuparet. P. Reiffenstuel *b. tit. num. 12.* Dicitur autem colorata possessio, quæ nititur legitimo, & jure non reprobato Titulo, qui tamen hic & nunc ob occultum defectum non subsistit, prout est casus in *cap. 6. b. t.* & notat Panormit. *ibid. num. 17. §. 23.* II. Limitatur Conclusio, quod, si provisio fiat *motu proprio*, tametsi de alterius possessione nulla facta fuerit mentio, rescripti valor propterea non corruat, quia hoc subreptionis vitium per hanc clausulam purgatur. *cap. 23. de Præbend. in 6.* P. Wiestner *b. t. num. 7.* & P. Reiffenstuel *num. 14.* cum Menochio, Barbofa & aliis.

6 **D**ico II. Beneficia de factō tantum vacantia validè alteri conferri nequeunt *cap. 2. b. t. cap. 4. de Donat.* Ratio est, quòd tale beneficium verè, & propriè non vacet, hoc ipso, quod *jus, & Titulus* penès alium adhuc existat, qui suo jure, sine sua culpa, aut causa publica privari nequit, & idèd ejusmodi beneficiatis à possessione sui beneficii vio-

lenter expulsis datur regressus *cap. 2. § seqq. de his, quæ vi, metûsve causâ.* Is, verò, qui acceptavit ejusmodi beneficium, aut scienter se institui passus est, à communione fidelium removeri jubetur. *cap. 4. C. 7. Q. 1. cap. 1. h. t.* nec illud posthac vacans citra Apostolicam dispensationem obtinere amplius potest. *Arg. cap. 39. C. 7. Q. 1. P. Wiestner h. t. num. 9.*

7 Quæres I. An promissio beneficii nondum vacantis validè fieri possit? Ratio dubitandi est, quòd beneficiû nondum vacans alicui Ecclesiæ, putà, Monasterio, Hospitali &c. ab Episcopo uniri possit, ita, ut postmodum vacans debeatur Monasterio *cap. 9. de Restit. spoliat. cap. 4. de Donat. Clem. 2. de reb. Eccles. alien.* Qua ratione tamen non obstante, pro certo tenendum est, beneficium nondum vacans ab Episcopo, vel alio inferiore Prælato, nec concedi, nec promitti posse, per Textum expressum in *cap. 2. h. t.* & rationem ibidem allegatam: *Nè desiderare quis mortem proximi videatur, in cujus locum, § beneficium se crediderit successurum.* Sive deinde beneficium certum, aut incertum sit. *cap. 13. h. t.* ita, quidem, ut ex tali promissione nulla nascatur obligatio. *cap. 2. h. t. in 6.* eaque non obstante, cuicumque idoneo, si postea vacaverit, liberè conferri possit *cap. 2. § 3. h. tit.* Imò, licèt Jure Decretalium valuerit, promissio generalis, quâ Episcopus promisit alicui Clerico providere de Beneficio eum poterit, vel se facultas obtulerit. *cap. 14. h. t.* id tamen postea correctum fuit à Bonifacio VIII. in *cap. 2. h. t. in 6.* quia etiam sub tali palliatione verborum latere videbatur provisio beneficii primò vacaturi, & sic periculum

captandæ mortis non excluderetur. Ad rationem dubitandi respondeo cum P. Wiestner *h. t. num. 11.* quod ex unione Beneficii nondum vacantis, facta alicui Monasterio votum captandæ, vel optandæ mortis vel ideò non inducatur, quod nemo ex membris talis Monasterii in singulari jus ad tale Beneficium unitum acquisiverit, quod enim Collegio, vel communitati datur, nemini in particulari datum videtur *cap. 59. §. qui manumittitur C. 12. Q. 2. Naturale quippe vitium est negligi, quod communiter possidetur; isque se nihil habere, qui non totum habeat, arbitretur. l. 2. princ. C. Quando, § Quibus Quarta &c.*

8 Quæres II. An Promissio Beneficii nondum vacantis, adjecto saltem juramento, reconvaleat? Affirmativam suadere videtur, quod simile juramentum non vergat in alterius tertii præjudicium, nec ipsius promittentis conscientiæ offendiculum paret; ergò servandum est, per *cap. 28. de Jurejurand. cap. 2. de Pact. in 6.* Accedit, quod etiam Pacta, & promissiones de successione viventis jure reprobandur. *l. fin. C. de Pact. l. 16. ff. de V. O.* & tamen, si juramento vallata fuerint, obligant, & servari debent, ex ratione, quòd omne juramentum obliget, quod sine peccato, & tertii præjudicio servari potest per *cc. tt.*

Pro negativa tamen fortius urget argumentum, quòd scilicet ejusmodi promissio beneficii non vacantis jure nostro reprobata fuerit, non in privati cujusdam commodum, & favorem, sed ob utilitatem publicam, ad damna videlicet Ecclesiarum, & animarum pericula, totiùsque status Ecclesiastici opprobria avertenda, cui fini, sicut pri-

vatorum pactis derogari non potest. l. 38. ff. de Pact. ita nec juramenti vim ei inferre debet, cum juramentum, non (ut inquit Innocentius III. in c. 18. de Jurejur.) ut esset iniquitatis vinculum, fuerit institutum. Hinc facilis jam redditur disparitas ad adductam paritatem pacti de hæreditate viventis, quod illa, juramento firmata valeant, etsi aliàs juramento non adminiculante, nullius roboris sint, quia pactiones ejusmo-

di adversantur solum dispositioni Juris Civilis, ac præterea privatis duntaxat præjudicant. Econtra promissio beneficii non vacantis offendit bonum publicum, & repugnat Sanctionibus Ecclesiæ, sive præceptis generalium Conciliorum, & Constitutionum Apostolicarum, cui proinde vim obligandi per SS. Canones ademptam, juramentum restituere non potest. P. Wiestner b. t. n. 13. cum Panorm. ad cap. 13. h. t. n. 3.

§. III.

Quem valorem hodie habeant Gratia expectativa?

SUMMARI A.

9. Gratia expectativa per Concilium Tridentinum fuerunt cassatae. 10. S. Pontifex gratias expectativas concedere quidem potest, sed regulariter non solet. 11. Canonici supernumerarii cum expectatione futuræ præbendæ stricto jure suscipi non possunt, contraria tamen consuetudo corruptela non est. 12. Innocentii III. Decisionem in cap. 19. de Præbend. Bæhmerus malè interpretatur. 13. Similiter alteram ejusdem Decretalem in cap. 14. h. t. malè à Bæhmero fuisse expositam, ostenditur.

Gratia expectativa ex eo sic dicitur, quod illi, quibus beneficia proximè vacatura promittuntur, eousque expectare jubeantur, dum illa vacaverint, & tum demum effectum talium gratiarum consequantur. P. Reifensuel b. t. §. 3. n. 37.

Id genus gratias expectativas & aliàs quascunque gratias ad vacatura beneficia cassavit, & abrogavit novissimè Concil. Trid. Sess. 24. de Reformat. cap. 19. idque justissimis ex causis, quod scilicet ejusmodi gratia expectativa, non minus, ac aliæ promissiones nondum vacantium Beneficiorum votum captandæ mortis involvant. P. Wiestner b. t. n. 18. Et quia etiam aditus præ-

cluditur dignioribus, dum vacant, ac insuper litibus causam præbent. Van Espen J. E. V. part. 2. tit. 23. cap. 2. num. 1.

Quæritur I. An S. Pontifex gratias expectativas concedere valeat? Respondeo regulariter, & de via ordinaria S. Pontificem tales gratias concedere non solere, de via tamen extraordinaria, & utendo plenitudine suæ potestatis concedere posse. Ratio quoad priorem partem est, quod SS. PP. decreta Concilii Tridentini exactè observare soleant, cum igitur Tridentinum ejusmodi gratias expectativas voluerit esse abolitas, decreto huic, quod ipsa Pontificali auctoritate firmatum est, Summi Ponti-

fices regulariter contravenire non solent. Accedit altera ratio, quod æquè in his gratiis expectativis periculum voti captandæ mortis non quidem formaliter, vel causaliter, sed occasionaliter tamen subsit, ac in aliis reservationibus specialibus, ac promissionibus beneficiorum non vacantium.

Probatur etiam quoad secundam partem: Pontifex est supra Concilium, & super omne jus humanum. *cap. 4. h. t.* ideòque plenitudo suæ potestatis, quàm immediatè à Christo accepit, per Concilium restringi non potuit, utpote quod ipsum omnem vim, ac robur suum ab autoritate Romani Pontificis accipit, & in suis decretis auctoritatem Pontificis patenter excipit. Conc. Trid. *Sess. 25. de Reform. cap. 21.* inquit: *Omnia, & singula, quæ de morum reformatione, atque Ecclesiastica disciplina in hoc sacro Concilio statuta sunt, ita decreta fuisse, ut in his salva semper auctoritas Sedis Apostolicæ & sit, & esse intelligatur.* Hac ipsa tamen plenitudine potestatis, nisi ex causa urgentis necessitatis, vel publicæ utilitatis, S. Pontifex uti non solet, sed ordinariè Conciliorum statutis se conformat. Et ideò, si quis impetret beneficium contra hanc constitutionem conciliarem, sine expressa ejus derogatione, vel revocatione, rescriptum ob- aut subreptitium censetur, non ob defectum potestatis Papalis, sed voluntatis, quia Papa à jure communi, recedere voluisse nunquam præsumitur, nisi exprimat; nec solet exprimere, nisi ex causa justissima, prout Gonzal. ad *reg. Cancell. s. s. 1. Procem. num. 60.* in presenti casu post Concil. Trid. non nisi unicam gratiam expectativam miraculosè quasi uni Clerico

concessam testatur, quod tantò magis locum habet in Germania ob concordata dictæ nationis, in quibus Pontifex expressè promittit, quod Ordinarios collatores in mensibus alternis, suæque collationi relictis per quamcunque aliam reservationem, gratiam expectativam, aut quamvis aliam dispositionem gravare nolit.

Quæres II. An, salvo decreto Concil. Trid. Canonici supernumerarii cum expectatione futuræ præbendæ recipi possint? Respondeo non posse, ita declarasse S. Congregationem Cardinalium refert Gonzalez *d. l. n. 67.* Quia tamen passim in Ecclesiis Germaniæ consuetudo invaluit, ut plures supernumerarii Canonici cum expectatione præbendæ recipiantur, eorum quoque nomina Calendariis jam inserantur, hinc pro justificanda hac consuetudine dicendum est, eam eatenus valere, quatenus receptio Canonici supernumerarii sit purè, & simpliciter, sine speciali, & expressa promissione præbendæ proximè vacaturæ, textus sunt in *cap. 19. & 22. de Præb.* Nec quidquam officit, quod Canonico supernumerario debeat conferri præbenda proximè vacatura. *cap. 9. de Præbend.* Id enim non ex promissione facta fluere, sed ex dispositione juris, quæ Canonico tali provideri de Præbenda mandat, propter connexionem, quam Canonici ad Præbendam videtur habere, quia videtur indignum (ait Pontifex in *cap. 19. de Præbend.*) ut receptus in Canonicum, Præbendæ beneficio fraudetur. Pagnorm. ad *cap. 9. de Constit. n. 29.* Fagn. ad *cit. cap. num. 63.* P. Reiffenst. *b. t. num. 26. & seqq.*

Contra hanc Pontificis Decisionem 12
in-

insurgit Bœhmerus, dicens *§. 4. h. t.* quod Innocentius III. in hac sua Decretali factum sibi propositum simul approbet, & reprobet. Casus erat iste: Ex mandato Papæ alicui in Ecclesia Liconiensi beneficium, sive præbenda fuit assignata, sed, cum Capitulum ipsum nollet admittere, interventu Legati Apostolici compositio inter dictum beneficiarium, & Capitulum taliter facta est, ut is reciperetur in Canonicum, concessio sibi stalli in choro, & participatione qualibet Divinorum, addita promissione, quod præbendam proximè vacaturam reciperet, modo interim à fructuum perceptione alicujus præbendæ abstineat. Quoniam verò prædictum Capitulum nullam ex post vacantibus præbendis eidem contulit, sicque promissi fidem infregit, re ad S. Pontificem delata, Innocentius III. ita rescripsit: *Cum ergò dictum (beneficiarium) in Canonicum recipi, Canonicis non obviet institutis, & vacaturam expectare præbendam Lateranensi Concilio non sit dubium obviare, nos factò ejusdem legati illicitò reprobatò, quod est illicitum, approbantes: quia videtur indignum, ut receptus in Canonicum Præbendæ beneficio defraudetur: mandamus, quatenus dictos Episcopum, & Canonicos, ut ei præbendam (cum se facultas obtulerit) non differant assignare, appellatione postposita compellatis.* Bœhmeri hac super Decretali sensum jam refero. *Quid verò hoc rei est? inquit, an non Pontifex mutatis tantum verbis, idem injungit, præcipit, jubet, quod Episcopus Canonico, sine Præbenda recepto, promiserat? Hic præbendam promisit, CUM PRIMUM VACAVERIT, Pontifex jubet, ut ei Præbenda conferatur, CUM*

SE FACULTAS OBTULERIT: facultas verò conferendi se non aliter offert, quàm ubi Præbenda vacat. Ita simul reprobat, quod factum est, & simul decisione sua approbat. Hæc sub lucis crepusculum, die jam advesperascente, Bœhmerum scripsisse non vanus auguror, adedò nil lucis habet hæc crisis. Distinctione potuisset sibimet has nebulas abigere, si advertisset, aliam esse provisionem de beneficio vacaturo, quæ fit ex dispositione hominis, aliam, quæ fit ex dispositione juris. Priorem, Concilio Lateranensi obviantem reprobat Pontifex, quia per hujus Concilii Canonem omnes promissiones, & pactiones circa beneficia vacatura prohibentur. Posteriores, cum jus ex receptione in Canonicum beneficiario ad præbendam quæsitum sit *cap. 9. de Præbend.* Innocentius admisit, sicque ut ait Fagnan. *ad cit. cap. 19. de Præb. num. 7.* approbavit finem, scilicet consecutionem præbendæ, sed reprobat modum, scilicet mediante promissione. Estne hoc unum idemque factum sub eodem respectu approbare, & reprobare?

Aliam priori similem Bœhmeri cri-
sin accipe. Innocentius III. in *cap. 14. h. t.* dicit, aliud esse, si Prælati promittat beneficii collationem cum poterit, sive, cum facultas se obtulerit, & aliud, si promittat beneficium, cum vacabit. Hanc obviare Decretis Lateranensis Concilii, non priorem ait, addita hac ratione: *Cum in multis casibus se facultas offerre posset, in quibus collatio non esset in expectatione vacaturi beneficii differenda, veluti (jam interpretem nostrum audiamus) si per testamentum, vel aliam fundationem interim no-*

va erigatur præbenda, ad quam talis Canonicus admitti debet, adeoque ex Philosophia hujus Pontificis dici nequit, talem Canonicum esse assumptum cum expectativa ad vacaturum beneficium. Hac subtili Philosophia revera destruitur, quod contra Concilium Lateranense esse ipse adseveraverat. Rarius forsitan contingit, ut interim nova præbenda erigatur, frequentius verò, ut erecta vacet. Qui itaque sub hac clausula: *CUM PRIMUM FACULTAS SE OBTULERIT*, receptus est in Canonicum, magis posteriore, quàm priorem expectat casum, & in effectu expectativam habet. O te fallacem interpretem! Putasne unum tantum modum superesse, eumque rariorem, scilicet erectionem novæ præbendæ ad quem Pontifex respexisse videtur, dum illam duntaxat promissionem ratam esse vult, qua promittitur beneficium, cum facultas se obtulerit. Erras profectò & quàm longissimè à mente Pontificis aberras. Sunt equidem plures alii modi, in quibus beneficia vacare contingit. Ita vacant beneficia per

resignationem, depositionem, translationem, postulationem, beneficiorum divisionem &c. in quibus omnibus, facultas conferendi non infrequenter se offerre potest. Unde promissionem sub tali clausula factam, si facultas se obtulerit cum non præcisè expectetur mors alterius, consequenter nec votum captandæ mortis inducatur, Pontifex approbavit, alteram, sub clausula: *cum vacaverit*, tanquam SS. Canonibus inimicam rejecit. Hæc fuit mens Pontificis, hic sensus dicti Canonis. Jam prudens Lector arbitretur, utrius melior sit Philosophia, Innocentii III. Pontificis, an Bœhmeri? De Philosophis sic quondam Lactantius lib. 3. de fals. sapient. Non est, quòd Philosophis tantum honoris habeamus, ut eorum eloquentiam pertimescamus. Loqui enim bene potuerunt, ut homines eruditi, verè autem loqui nullo modo. Cur ita? rationem idem Lactantius reddit lib. un. de Offic. DEI. Quoniam sunt ad perturbandam veritatem perniciosi, & graves. Hæc Bœhmero in aurem.

TITULUS IX.

Ne Sede vacante aliquid innovetur.

NE mortuo Prælato Capitulum quidquam statuatur in præjudicium successoris, hoc Titulo cavetur, simulque, quid Capitulum Sede vacante possit, aut, quid non possit, sub hac Rubrica declaratur.

§. I.

§. I.

Quid possit Capitulum Sede vacante?

SUMMARI A.

1. Per Sedem intelligitur Ecclesia. 2. Sedis vacantia variis modis inducitur, qui enumerantur. 3. Munia Prælati vel spectant ad potestatem Ordinis, vel jurisdictionis. 4. Circa utramque potestatem quid possit Capitulum Sede vacante, duplex Regula ab AA. statuitur. 5. Utraque à nobis sub certa limitatione recipitur. 6. Capitulum non succedit in iis, quæ Episcopo competunt ex speciali Sedis Apostolicæ delegatione, subjuncta limitatione. 7. Non confert beneficia. 8. Nec alia negotia successoribus præjudiciosa expedit. 9. Succedit tamen in omnibus iis, quæ Episcopo jure ordinario competunt. 10. Etiam in casu necessitatis in iis, quæ is jure delegato expedire potest. 11. Item in exercitio jurisdictionis contentiosæ. 12. Et quæ Episcopus ex quadam necessitate facere debet. 13. Etiam in jure territoriali, eique appertinentibus juribus. 14. Exceptis iis, quæ personæ ipsius adherent. 15. Quomodo Capitulum succedat in iis, quæ sunt Ordinis Episcopalis, exponitur. 16. Litteræ dimissoriæ ab Episcopo concessæ, ejus morte non expirant. 17. Capitulum Sede vacante tenetur infra octo dies à morte Episcopi novum Vicarium constituere, aut Constitutum confirmare. 18. Quod tamen duntaxat obtinet in Ecclesiis Cathedralibus.

1. Præmittendum I. per Sedem intelligi Ecclesiam, quacum Prælati in matrimonium spirituale. cap. 41. de Elect. qualis est Episcopalis. cap. 2. h. t. Abbatialis cap. 8. de Consuet. cap. 2. de in integr. restit. Regularis, & Collegiata cap. 40. de Elect. in 6. Item Ecclesiæ Cardinalium, quæ Tituli vocantur. cap. 11. de M. & O.

2. Præmittendum II. Sedis vacantiam variis modis induci. I. Per mortem naturalem Prælati. Mors enim, ut alia omnia, ita matrimonium spirituale dissolvit. cap. 39. C. 7. Q. 1. II. Per mortem civilem, puta per renuntiationem cap. 10. de Renuntiat. per Translationem ab una Ecclesia ad alteram cap. 4. de Postul. Prælat. per depositionem, privationem cap. 10. de Excess. Prælat. c. 7. de stat. Monach. per mutationem Reli-

gionis, quo casu beneficiatus statim jure suo excidit, salvo tamen honore, & fama, idque si Prælati per electionem conferri consuevit, mox ad Capitulum transit. Videatur Instr. Pacis Artic. 15. §. 15. III. Per Excommunicationem, suspensionem, aut aliud impedimentum Canonicum, quoad munus suum obeundum Prælati impotens, & inhabilis redditur. Arg. cap. 1. de Offic. Vicar. in 6. & cap. un. h. t. in 6. IV. Per diurnam Prælati absentiam, ut, si captus ab hostibus sit, aut aliis ex causis ab Ecclesia sua diu absit. cap. 3. de supplem. neglig. Prælat. in 6. cap. un. §. fin. h. t. in 6. hoc enim casu, cum Prælatum Ecclesia non habeat, qui ejus necessitatibus intendat, quasi viduata censetur. Arg. cap. 2. de Translat. Episcop. ubi dicitur, quod juxta communem lo-

C e

quen-

quendi modum illa dicitur Ecclesia viduata, quæ licet Episcopum habeat, inutilem tamen perhibetur habere. Prioribus tribus modis Ecclesia propriè vacare dicitur, ejusque vacantia eousque durat, dum de novo Prælato per Canonicam electionem, subsecuta Confirmatione, eidem provisum fuerit. Tertio, & quarto modo Ecclesia impropriè vacat, cessâtque ejus vacatura, cessante impedimento, aut redeunte Prælato. cap. 39. § 42. C. 7. Q. 1. Magnificus P. Schmier lib. 3. tract. 1. part. 1. cap. 4. num. 46. § seq.

3 Præmittendum III. Munia Prælati (loquimur autem hic principaliter de Episcopo) esse in duplici differentia. Alia potestatem *Ordinis*, alia potestatem *Jurisdictionis* spectant. Ad potestatem *Jurisdictionis* referuntur tum actus jurisdictionis *contentiosæ*, tum *voluntariæ*, temporalis, aut spiritualis, quos Prælati vel jure ordinario, vel extraordinario, aut delegato exercet.

4 Præmittendum IV. Circa utramque potestatem, *Ordinis* videlicet, & *Jurisdictionis* cum suis speciebus, an, & cum qua amplitudine Sede vacante in Capitulum transeat, Authores dissidere in comperto est, dum alii cum Gloss. in cap. 14. de M. & O. V. in Capitulo, & Patrom. ad Rubr. b. t. pro Regula statuunt neutram potestatem in Capitulum aliter transire, quàm in casibus jure expressis. Colligunt id ex Rubrica hujus Tit. qua simpliciter prohibetur, ne Sede vacante quidquam innovetur, sed omnia in suo statu usque ad novum Episcopum relinquuntur. Unde hanc Rubricam, cum perfectum sensum faciat, meritò pro Regula recipiendam

existimant. Alii huic oppositam Regulam statuunt, dicentes, jurisdictionem Episcopi, Sede vacante, ea cum plenitudine in Capitulum transire, ut omnia ad Episcopi jurisdictionem, & Officium spectantia valeat expedire, nisi quæ specialiter sibi prohibentur. Hujus Sententiæ est Magnif. P. Schmier cit. cap. n. 48. cum Barbofa, Fagnano, & aliis. Nititur hæc doctrina non uno juris textu. Sic in cap. 3. § seq. de supplem. neglig. Prælat. in 6. perspicuè conceditur Capitulo indefinitè Sede vacante administratio in *spiritualibus*, & *temporalibus*. Ejusdem tenoris est cap. 11. § 14. de M. & O. in quorum priori Honorius III. expressè dat facultatem Capitulo, Sede vacante in jurisdictione, & administratione succedendi generalem, exceptis iis duntaxat casibus, qui specialiter jure excepti reperiuntur, & quorum aliquos ibidem recenset.

Ego utramque Regulam cum distinctione recipio, nimirum, ut in iis, quæ Episcopo defuncto non jure *Ordinario*, sed ex privilegio, aut speciali commissione, sive delegatione competeant, aut etiam in iis, quæ Episcopus nulla necessitate cogente, sed ex mera gratia, & liberalitate facere poterat, habeat locum prima Regula, quòd scilicet Sede vacante nihil innovandum sit, nisi sit specialiter permissum. Altera verò Regula, quòd Capitulum simpliciter succedat in jurisdictione Episcopi, nisi specialiter reperiatur in jure prohibitum, obtineat in iis, quæ Episcopo jure ordinario competeant, aut quæ instante necessitate, sive ex debito Officii expedire debuerat. Placet jam hu-

hujus distinctionis sensum magis specificè declarare, & quidem quoad I. membrum.

6 Dico I. Capitulum Sede vacante non succedit in iis, quæ Episcopo, non ut Episcopo, sive Ordinario suæ Diocesis, sed ex speciali Sedis Apostolicæ delegatione, vel privilegio competunt. Ratio est, quod specialis delegatio, aut privilegium non excedant personam, cui dantur. *Arg. cap. 17. §. si eundem C. 7. Q. 1. cap. 9. de Privileg. l. 57. ff. Mand. P. König h. t. n. 11.* & ideò potestas Episcopis, ut *Apostolicæ Sedis delegatis* à Concil. Trid. attributa, Sede vacante in Capitulum non transit, nisi, ut limitat Fagnan. *ad cap. 11. de M. & O. n. 56.* facultas illa Episcopo competat utroque jure, *Ordinario & Delegato*, ut si Concilium det facultatem Episcopi procedendi *etiam* autoritate Apostolica; quia hæc particula *etiam* est *implicativa* jurisdictionis ordinariæ, ut proinde Concilium in iis casibus, quos Episcopus ante Concilium poterat expedire *jure Ordinario*, si eum jubeat procedere *autoritate Apostolica*, jurisdictioni suæ Ordinariæ non derogasse, quin potius adjungendo pondus autoritate Apostolica eam magis firmare voluisse præsumendum sit. *Van Espen J. E. V. part. 1. tit. 9. cap. 2. num. 2.*

7 Dico II. Capitulum Sede vacante non potest conferre beneficia, quorum collatio libera ad Episcopum tantum spectat. *Textus in cap. 2. h. t. cap. 1. de Instit. in 6.* Ratio est, quòd talis collatio non sit actus necessitatis, aut justitiæ, sed liberalitatis, & gratiæ, quæ donatio vocatur in *cap. fin. de Offic. Vicar. in 6.*

Dico III. Capitulum Sede vacante 8 illa negotia expedire nequit, quorum expeditio successorì præjudicium afferre posset. Colligitur *ex Rubr. & cap. 1. h. t.* ratione ibidem subjuncta, *cùm non sit, qui Episcopale jus tueatur.* Unde Capitulum non potest res Ecclesiæ *immobiles*, aut etiam *mobiles*, quæ servando servari possunt, alienare, aut donare. *cap. 42. C. 12. Q. 2.* sed tenetur successorì reservare *cap. 40. de Elect. in 6.* quæ autem servari non possunt, eas ex justa causa liberè distrahere potest, perinde, ac tutor, res pupilli, quæ servando servari nequeunt. *l. 22. C. de administ. Tutor. Fagnan. ad cap. 11. de M. & O. num. 58.* Rursus Capitulum Sede vacante non potest judicare de causis pertinentibus ad Episcopum, ut si quæstio vertatur super proprietate alicujus juris Episcopalis, v. g. si contendatur, an aliquis subjiciatur Episcopo, vel sit exemptus, an talis locus pertineat ad Diocesis, vel non. An aliquod beneficium sit de jure *Patronatus*, vel pertineat ad liberam Episcopi collationem. *Panorm. ad cap. 7. de for. compet. n. 12.* Ratio est, quòd examen ejusmodi quæstionum posset futuro Episcopo præjudicium causare. Ideòque dijudicatio id genus causarum novo Episcopo reservanda erit, ut fusè tradit Panvinus *de Potest. Capit. part. 2. Q. 9. Molin. tom. 6. tract. 5. disput. 2. n. 16.* Et hæc quoad sensum, & intellectum primæ Regulæ. Secunda Regula per ulteriores particulares Conclusiones sic declaratur.

Dico IV. Capitulum Sede vacante 9 succedit in omnibus iis, quæ Episcopo ut Episcopo, sive Ordinario, non tam jure communi, vel consuetudine quàm
C c 2 etiam

etiam statuto vel indulto speciali concessa sunt per *citt. cc. 11. § 14. de M. § O. cap. un. b. t. in 6. cap. penult. de supplend. neglig. Prælat. in 6.* Unde Capitulum Sede vacante super irregularitatibus, ex delicto occulto provenientibus, dispensare potest, quia licet hæc potestas Episcopis ex speciali indulto Concil. Trid. *Sess. 24. de Reform. cap. 6.* tributa sit, competit tamen iisdem jure communi, & vi jurisdictionis *Ordinarie.* Van-Espen *cit. Tit. cap. 1. num. 3. Garz. part. 3. cap. 7. n. 40.* rationem reddit Molina *d. disput. num. 8.* quod, cum hæc Episcopali muneri perpetuò annectatur, tanquam pars *jurisdictionis*, & non tanquam privilegium respiciens commodum Episcopi, sed potius bonum eorum, in quos jurisdictio exerceri jubetur, meritò etiam in eos hæc jurisdictio transire censenda est, in quos reliqua Episcopi jurisdictio transit, nempe Capitulum Sede vacante.

10 Noli tamen hanc facultatem cum *cit. Molina* extendere ad ea, quæ Episcopo ut *Sedis Apostolicæ delegato* competunt, ut illa quoque ad Capitulum Sede vacante transire autumes, nisi, ut limitat Quaranta, si Sedes diutius vacet, & id, de quo agitur, per Capitulum expediri, necessarium aut utile sit, tunc enimverò Capitulum in jurisdictione Episcopo etiam à jure generaliter delegata succedit, eò, quod casus necessitatis licitum faciat, quod aliàs lege prohibetur. *cap. 4. de R. J. cum quo etiam sentiunt Felinus in cap. 7. de Rescript. Pavinus part. 1. Q. 10.*

11 Dico V. Capitulum Sede vacante succedit in iis, quæ sunt jurisdictionis *contentiosæ*, ideòque potest cognoscere de causis *matrimonialibus, beneficalibus,*

criminalibus, contractibus, ferendis censuris &c. *cap. 11. de M. § O. cap. 7. de eo, qui duxit in matrim. cap. 3. § seq. de supplend. neglig. Prælat. in 6. cap. un. de M. § O. in 6. Fermosinus tract. 1. de Capit. Sed. vacant. Q. 14. § seq. per tot. Cabassut. in Theor. § Prax. Jur. Can. lib. 2. cap. 24. n. 34. Magnificus P. Schmier cit. part. 1. cap. 4. n. 66.*

Dico VI. Capitulum etiam succedit in iis, quæ Episcopus ex quadam necessitate debebat facere. Textus generalis in *cap. 42. de Elect.* Inde potest Capitulum confirmare, aut infirmare electiones Prælatorum inferiorum. *cap. 14. de M. § O. Præsentatos instituire. c. 1. de Instit. in 6. recipere resignationes & permutationes. Gloss. in Clem. 1. de ver. permut. absolvere à Censuris. cap. un. de M. § O. in 6. Panorm. ad cit. cap. 14. de M. § O. Gonzalez ad cap. 2. h. tit. num. 5. Cabassut. in Theor. § Praxi Jur. Can. lib. 2. cap. 24. num. 29. § seqq.* Ratio est, quòd recensitos actus Episcopus ex necessitate expedire debeat. Dicuntur autem ideò actus isti *necessitatis*, vel quòd propter periculum animarum differri nequeant, vel quod aliis jus jam sit quæsitum, ut contingit in præsentatis, & Canonicè electis. Gonzalez *cit. l.*

Dico VII. Capitulum Sede vacante etiam succedit Episcopo in temporalibus, ut in *jure territoriali*, eique appartenentium Regalium, Privilegiorum, & beneficiorum, sive bonorum feudaliū, ita, ut jure *statuum immediatorum Imperii* gaudeat, imò rectè *Status Imperii* dici possit. Ita Boehmerus ad *h. tit. §. 23. 24. § 25.* ubi, quæ Gail. *lib. 1. observ. 30. num. 13. Conringius de Constit. Episc. Germ. §. 68. in fin. Heroldus observ. forens. decis. 6. p. 159. § seq.*

opponunt, doctè, & solidè resolvit. Probatur Conclusio, antiqua Imperii praxi & Legum publicarum sanctione: ut ex Rec. Imp. de Anno MDLV. & MDLIX. & MDCLIV. ex quibus patenter constat, Capitula, Sede vacante, ad Comitata tam universalia, quàm particulares conventus fuisse vocata. Illæ verò prerogativæ quæ specialiter Dignitati Archi-Episcopali, vel Episcopali adherent, veluti *Archi-Cancellarius, Electoratus, Directorii Moguntini &c.* in Capitulum, Sede vacante non trans-eunt, cit. Bœhmer. §. 27. & Bernard. Mulz. de *Majest. Imperat. part. 3. cap. 16. §. 3. num. 45.* Ratio est, quòd hæ prerogativæ, tanquam personalissimæ, non alia intentione ipsorum Prælatorum, Dignitati videantur fuisse annexæ, quàm ut ab ipsis Archi-Episcopis personaliter administrantur. Idem Bœhmer. cit. §. 27. ubi pluribus argumentis id ipsum confirmat. Cui adjungendus est noster Clariss. DD. Hermannus Hermes in *fasciculo Jur. Publ. cap. 6. Q. 10.* ubi scribit, quod eo tempore, quo convocandi sunt Electores ad electionem Imperatoris, Sede Moguntina tunc vacante, Capitulum Electores convocare nequeat, sed ipsi Electores *motu proprio, etiam non vocati in virtute fidei, quæ sacrum prosequi tenentur Imperium, convenire debent.* Ut sonant verba Aureæ Bullæ cap. 1. §. cum autem 21. Rationem autem, cur hoc casu excludatur Capitulum, assignat laudatus Hermes, quod Capitulum duntaxat succedat Episcopo, quæ ipsi ut Episcopo competunt, non vero ut Electori. Hæc causalis non placet, quia, ut supra dictum est, succedunt etiam in jurisdictione territoriali. Ratio ergo alia est,

quia nempe actus convocationis personalissimus est, ipsius Electoris Moguntini dignitati individualiter adherens.

Dico VIII. Capitulum Sede vacante, etiam succedit in iis, quæ sunt *Ordinis Episcopalis*, non quidem eo effectu, ut ea, quæ ministerium consecrationis desiderant, per se, vel Vicarium suum exercere valeat, sed, ut subditi sui ab alio Episcopo Ordines suscipiant. cap. 3. de *tempor. Ordin. in 6.* vel alteri Episcopo licentiam impertiatur, etiam in Diocesi viduata, quæ *Ordinis* sunt, exercendi, cum protestatione, tamen, & cautelæ studio (ut monet Fagnanus ad cap. 11. de *M. & O. n. 64.*) ut nihil juris inde Episcopo extraneo acquiratur cap. 4. C. 7. Q. 1. Ratio Conclusionis est, quòd in his casibus dare licentiam non tam *Ordinis*, quàm *jurisdictionis* sit. Ideoque eam Capitulum vi jurisdictionis Ordinariæ per vacationem Sedis, ad se devolutæ, impertiri valet. cap. 3. de *tempor. ordin. in 6.* Van-Espen *J. E. V. part. 1. tit. 9. cap. 2. n. 6.*

Hodie tamen per Concil. Trident. *Sess. 7. cap. 10. de Reform.* hæc facultas eatenus restricta fuit, ut Capitulum, sede vacante infra Annum à die vacationis nec licentiam ordinandi alteri, nec Diocesianis suis litteras *dimissorias* concedere valeat, nisi iis, qui ratione beneficii aut *recepti*, aut *recipiendi* arctati fuerint. Dicitur autem *arctatus* ratione beneficii *recepti*, qui obtinet beneficium, ratione cujus infra Annum adhuc tenetur certum ordinem suscipere. Ugol. de *Offic. Episc. cap. 26. §. 20. num. 3.* Arctatus ratione beneficii *recipiendi* dicitur ille, qui caret ordine, quem requirit ipsum beneficium, ad quod jus jam habet, ut contingit in

presentato. In his quippe casibus Capitulum sede vacante litteras *dimissorias* etiam infra Annum concedere non prohibetur. Garz. de Benefic. part. 7. cap. 1. num. 30. ex Congregatione Cardinalium super cap. 10. Sess. 7. de Reform. Van-Espen cit. cap. 2. num. 7.

Extra hos casus, si Capitulum *dimissorias* concesserit, interdicto subiacebit Ecclesiastico, licet is, cui concessæ sunt, iis usus non sit, quia quoad concedentem actus jam fuit perfectus, ut ex declarat. S. Congregat. notat Garz. d. l. num. 92. Ordinatus verò, si *minoribus* tantum Ordinibus initiatus fuerit, privilegio Clericali non gaudebit. Sin verò *maiores* insuper receperit, ab eorum executione ipso jure usque ad beneplacitum successoris Episcopi suspensus erit, & hoc d. Sess. etiam ad alios extenditur, qui sede vacante, loco Capituli *dimissorias* concesserint, Vicarios scilicet, vel administratores, ut ipso jure ab officio, & beneficio per Annum sint suspensi. In casibus autem, quibus Capitulo sede vacante dandi *dimissorias* facultas competit, scilicet aetatis infra annum, & post annum, si Ecclesia adhuc vacat, omnibus, in interstitiis quoque dispensare poterit, ut à S. Congregat. declaratum notat Barbosa. in Collect. ad Concil. Trid. d. cap. num. 12. litteras verò *testimoniales* de probitate vitæ, ipsius ordinandi omni tempore Capitulum concedere potest, quia illæ solæ non sufficiunt sine litteris *dimissoriis*, ut quis ab alieno Episcopo ordines recipere valeat. Navarr. lib. 1. Consil. ad Tit. de Tempor. ordin. Consil. 18.

16 Sed, quid si aliquis habeat litteras *dimissorias* à suo Episcopo ordinario, iis

tamen, Episcopo vivente, usus non sit, an adhuc vigore illarum etiam post mortem sui Ordinarii ab alieno Episcopo ordinari valeat? Respondeo, affirmat. Ratio est, quòd gratia morte concedentis non expiret. cap. 9. de Offic. deleg. in 6. cap. 36. de Præbend. in 6. cap. 16. de R. J. in 6. Gonzalez ad regim. 8. Cancell. Gloss. 12. num. 36. & seq. Et tenent communiter DD. quin Gutierrez lib. 2. CC. Q. Q. cap. 17. Extendit hoc etiam ad litteras *dimissorias*, concessas à Capitulo, sede vacante, in casibus, in quibus juxta dicta litteras *dimissorias* concedere potest, ut scilicet, finita quoque potestate Capituli, ordinandus illis uti possit, nisi Successor Episcopus eas revocaverit, antequam effectum fortitæ fuerunt, suadet tamen idem author sub num. 12. ordinatoribus, ut si tempore præsentationis talium litterarum de successore Prælato constiterit, eorum revalidationem, non novam concessionem à successore Episcopo, vel ejus officiali petant produci, quia contingere posset, ut ordinandi tales litteras præsentantes revocationem factam fraudulenter reticeant.

Unum porrò prætereundum hic non est, videlicet, quòd Capitulum sede vacante, per novissimam constitutionem Conc. Trid. Sess. 24. de Reform. cap. 16. teneatur infra octo dies post mortem Episcopi *Officialem*, seu *Vicarium* constituere, vel antehac constitutum confirmare, alioquin Capituli negligentiam supplebit Metropolitanus, aut si ipsa Ecclesia Metropolitana fuerit, antiquior suffraganeus, & si exempta, propinquior Episcopus *Vicarium* deputabit.

Circa hoc decretum conciliare nota ex Fagnano ad cap. 11. de M. & O. num.

num. 77. quod illud in Ecclesiis Cathedralibus, & Metropolitanis duntaxat locum habeat, ex declaratione Cardinalium, quam refert idem Fagnanus *loc. cit.* nec extendatur ad Capitula Titulorum Cardinalium, & aliarum Col-

legiatarum Ecclesiarum, sed in his servanda juris communis constitutio, qua conceditur Capitulis sede vacante, jurisdictionem Prælati ad se devolutam per se etiam exercere. Panormit. *ad cap. 13. de Offic. jud. ordin. num. 2.*

§. II.

Dubia quadam circa Capituli potestatem, sede vacante, resolvuntur.

S U M M A R I A.

19. Beneficiorum collatio, quæ jure devoluto ad Episcopum spectat, non transit ad Capitulum. 20. Oppositionibus occurritur. 21. 22. Capitulum beneficia ad collationem Episcopi spectantia nec unire, nec dividere potest. 23. Potest tamen illa beneficia sede vacante conferre, quorum collatio alias ad Episcopum, & Capitulum simul spectat. 24. Similiter illa Episcopo suspenso, quæ sine Capituli consilio, aut consensu, sede plena conferri nequeunt, non item Episcopo mortuo hanc facultatem Capitulo adjudicamus. 25. Subsistit collatio à Capitulo facta, si consilium, quod regulariter acquirere oportebat, fortè propter absentiam haberi non potuit. 26. Capitulum potest largiri indulgentias, quas Episcopus vivens poterat de jure communi concedere. 27. Potest etiam, sede vacante, Diœcesin visitare. 28. Non obstat cap. ult. de Suppl. neglig. Prælat. in 6. ostenditur. 29. Potest Capitulum sede vacante, dare licentiam Prælato transeundi ad Prælaturam alterius Diœcesis. 30. Ecclesia non Cathedralis, sed exempta iisdem jurebus sede vacante gaudet, quibus Capitula Ecclesiarum Cathedralium. 31. In Ecclesiis Collegiatis secularibus, & non exemptis jurisdictione, Prælato mortuo, non transit ad Capitulum, sed Episcopum. 32. Nec si Prælatus hanc jurisdictionem vel prescriptione, vel speciali privilegio privativè acquisiverit. 33. 34. 35. Quid circa Prælaturas regulares obtineat, relatis aliorum opinionibus, nostra sententia exponitur.

19 **D**ubitatur I. An beneficia, quorum collatio jure devoluto propter negligentiam, aut delictum inferioris collatoris ad Episcopum spectat, Capitulum sede vacante conferre possit? Difficilem hanc questionem vocat Felinus *ad cap. 14. de M. & O. n. 3.* quia pro utraque contradictionis parte stant magni nominis AA. & tam uni,

quàm alteri parti probabilitas intrinseca suffragatur. Ut conformiter nostris principiis doceamus, negativam eligimus, cui calculum suum adjecere præter Felinum *loc. cit.* Panormitanus in *cap. 14. de M. & O. num. 2.* (qui tamen sibimet contrarius affirmativæ tutelam suscepit in *cap. 2. b. t. num. 3.*) Zoëf. *b. t. num. 3.* Layman. *ad cap. 14. de*

de M. G. O. n. 3. Garz. part. 5. cap. 7. n. 53. Van-Espen J. E. V. part. 1. tit. 9. num. 3. cum aliis. Probatum I. ex regula generali ex cap. 2. h. t. desumpta, ubi Pontifex universaliter asserit, quod *nusquam inveniatur cautum in jure, quod Capitulum vacante sede fungatur Episcopi vice in collationibus prebendarum*, à qua regula tantò minus casus presentis dubii excipiendus est, cum constet, collationem, quæ fit jure devoluto, non minus esse liberam, & gratuitam respectu collatarii, ac aliam, quæ Episcopo jure proprio competit, licet enim actus iste devolutionis non favore Episcopi, sed potius ipsius beneficii intuitu fiat, ipsa tamen potestas conferendi, & libera beneficiati electio species quædam donationis, ac liberalitatis, apta computari inter fructus successori Episcopo reservandos, censetur.

Probatum II. ex cap. 14. de M. G. O. ubi, licet conventus Monasterii Messanensis indignum Prælatum elegerit, adeoque pro hac vice jure eligendi privatum, ac jus illud ad superiorem, nimirum Episcopum Ecclesiæ Cathedralis Messanensis devolutum fuerit, quia tamen sedes eo tempore vacaverat, Gregorius IX. non Capitulo Ecclesiæ Cathedralis (quod in AA. sententia jus quæsitum habuisset) sed ne propter sedem Episcopatus vacantem, electio Abbatis nimium differetur, Monasterio liberam eligendi facultatem dedit, ita tamen, ut Capitulum Cathedrale hanc novam electionem vel confirmaret, vel infirmaret, quod ei sede vacante aliunde competeat, non verò jure devoluto eligeret, cui Pontifex, alteri concedendo gratiam, utique non derogasset, si reverà hoc jus Capitulo competiisset,

cum non soleat derogare juri tertio quæsito, nisi derogationis expressè mentionem faciat per Regul. 18. de Cancellar. de non tollendo jus quæsitum.

Si dixeris, mentionem hujus derogationis fieri per illa d. cap. verba: *De gratia tamen eligendi, seu postulandi de- tis ipsis auctoritate nostra liberam facultatem*. Respond. negando, hunc sensum dictorum verborum esse, sed gratiam, de qua hic Pontifex loquitur, in eo constituisse, quod successor Episcopus, cui jure devoluto electio illa competiisset, expectatus non fuerit, non verò, quod Capitulum jure suo (quod secundum nos nullum habuit) privatum fuerit.

Dices I. Potest Capitulum, etiam sede non vacante, propter negligentiam Episcopi beneficia, quorum collatio jure proprio ad Episcopum pertinet, post semestre conferre per cap. 2. G. 5. de Concess. prebend. ergò multò magis beneficia jure devolutionis ad Episcopum spectantia conferre poterit. Verum negatur hæc paritas, ratio discriminis est, quod Episcopus negligens sibi ipse sponte præjudicet, quam proinde negligentiam Capitulum meritò supplere potest, nec etiam per hoc præjudicatur successor; secus in beneficio devoluto, quod ex dictis gratiam, & liberalitatem continet, atque ita tanquam fructus successoris reservandus est. Accedit, quod de priori casu habeatur expressa decisio in cap. 2. h. t. non etiam de posteriore.

Dices II. Tali modo diu vacabunt beneficia, quia diu subinde vacat sedes Episcopalis, jura autem ejusmodi diuturnas beneficiorum vacationes non ferunt: ergò Capitulum hoc casu jure de-

devolato beneficium conferre poterit. Resp. Ecclesiæ satis prospectum iri, si Capitulum interim Ecclesiam alteri commendet, aut œconomum Ecclesiæ præficiat. *cap. 1. h. t. in fin. Azor. part. 2. lib. 3. cap. 38. quest. 6.*

21 Dubitatur II. An Capitulum sede vacante beneficia, quæ ad Episcopi collationem spectant, *unire*, aut *dividere*, aut saltem simili unioni ab inferiore faciendæ autoritatem suam præstare possit? Sunt, qui Capitulo hanc potestatem *uniendi* adjudicent, modo juri Episcopi nil detrahatur, ut videre est apud Zerol. *in prax. Episc. part. 2. V. Capitulum. Rebuff. de Union. benef. n. 36. Barbos. ad Concil. Trid. Sess. 7. cap. 6. num. 6.* & alios ibidem relatos. Mihi simpliciter negandum videtur, tum, quod *unio* sit species alienationis, & extractionis beneficii, quæ Capitulo sede vacante omninò interdicta est, *cap. 1. h. t.* tum, quod talis unio non possit non esse Episcopo præjudiciosa, utpote qua fit, ut beneficium, facta semel unione, jam amplius liberè conferre non possit, & consequenter illa clausula: *Dummodo juri Episcopali non præjudicet*, videtur esse frustranea: tum quod vix dabilis sit casus, in quo necessitas urgeat unionis accelerationem, & ita sentiunt Fermosinus *Tract. 1. de Capit. sed. vacant. Q. 26. num. 6. & seq.* Böhmerus *ad h. t. §. 34.*

22 Num verò beneficia Capitulum sede vacante *dividere* possit (quæ est altera pars hujus dubii) nescio, an æquè promptè accedendum sit Böhmero, affirmativam tenenti: nam, etsi tali casu conditio Episcopi non videatur fieri deterior, sed potius melior reddi, cum multiplicatis præbendis, etiam colla-

tiones Episcopales augeantur, tamen, quia similis *divisio*, aut *dismembratio* (ut vocat Böhmerus) est species cujusdam *alienationis*, utut non extra-
usum, & patrimonium Ecclesiæ, & status Ecclesiæ per eam alterari censetur, nec etiam tam repentina *necessitas*, aut *utilitas* (ex qua causa divisiones beneficiorum fieri permittunt jura *cap. 26. de Præbend.*) vacante sede facilè ingruere posse videtur, probabilius judico, hanc potestatem, utpote unam ex majoribus, & gravioribus, Capitulo, sede vacante, non competere.

Dubitatur III. An beneficia, quo-
rum collatio aliàs ad Episcopum simul, & Capitulum spectat, sede vacante Capitulum conferre valeat? Resp. affirmative. Textus est in *cap. un. h. t. in 6.* & quidem, si collatio ad Episcopum simul, & Capitulum pertineat, uno facto inhabili, jus conferendi devolvitur ad alterum, ita, ut si suspendantur, aut excommunicentur omnes de Capitulo (intellige excommunicatione *majori*, minor enim collationi non officit. *cap. ult. de Cleric. excomm.*) potestas conferendi sit *privativè* penes Episcopum, & viceversa. Nota tamen, quod totum Capitulum, collegialiter sumptum, excommunicari nequeat, benè verò interdici; & ideò sententia excommunicationis in singulos, quos culpabiles esse constiterit, proferenda est. *cap. 5. de Sent. excomm. in 6.* Unde, si vel unus non esset excommunicatus singulariter, in illo solo jus Capituli resideret, & Episcopus sine eo beneficia conferre non posset.

Dubitatur IV. An, si collatio ad Episcopum spectet, dependenter tamen à consilio, vel consensu Capituli, eo

mortuo, vel suspensò, possit præbendas vacantes conferre? Hic distinctio adhibenda est inter Episcopum *mortuum*, & *suspensum*, ita, ut priori casu jus collationis in Capitulum non transeat. Ratio est, quod, licet Episcopus *consilium*, aut *consensum* Capituli requirere teneatur, administratio tamen ad solum Episcopum pertineat, isque solus, utut prærequisito consilio, vel consensu Capituli, *authoritative* confert beneficium. In posteriore verò casu, si Episcopus in petenda relaxatione culpabilem moram commiserit, post sex menses jure devolutionis collatio Capitulo competit. *cap. 5. de Concess. præbend.* Secus, si mora culpabilis in petenda suspensionis relaxatione non intervenerit. *cap. un. §. un. h. t. in 6.* Quodsi Episcopus negligentiam commiserit in collatione beneficii *devoluti*, post sex menses collatio non ad Capitulum, sed ad proximum Episcopi superiorem defertur. *arg. cap. 41. de Elect. Vivian. ad h. t.* Et ratio est, quod in iis, quæ pertinent ad Episcopum jure *proprio*, & *suo*, major est communicatio inter ipsum, & Capitulum, quam in obvenientibus aliunde *cap. 15. §. secus autem est. de Testam.*

25 Dubitatur V. Quid juris, si collatio beneficii alicui non quidem simpliciter, sed cum consilio alterius v. g. Episcopi faciendâ competat, consilium verò ejus haberi non possit, fortè, quia mortuus, aut longè absens est, an inquam hoc casu collatio sine consilio ejus ab altero validè fieri possit? Resp. affirmativè, supposito, quod ejus præsentia tam citò sperari non posset, tunc enim, ne ex diuturniori vacatione Ecclesia dispendium patiat, collatio ab

altero licitè, & validè fieri poterit. Ita expressè decisum extat in *cap. un. §. fin. h. t. in 6.* eapropter docet Panormitanus *ad cap. 52. de Elect. num. 13.* quandocunque aliquis ex obligatione legis, vel statuti cum consilio alterius aliquid agere jubetur, illud verò hic & nunc ex accidenti requirere non possit, periculum tamen moræ urgeat, validum fore actum etiam sine consilio expeditum, nisi alia fuerit mens mandantis: secus dicendum foret, si præcipiatur aliquid fieri cum *consensu* alterius; tunc enim collatio v. g. facta sine illius consensu, tanquam *conditione sine qua non* irrita erit, & potestas, non existente econditione, cessabit, uti colligitur ex *cit. cap. un. §. fin. h. t. in 6.* ubi Pontifex solum loquitur de collatione facta, omisso consilio, nil verò dicit de *consensu*, qui in eo differt à *consilio* juxta dicenda in *Tit. seq.* quòd *consilium* requirere jussus, illud sequi non teneatur; secus, qui *consensum*.

Dubitatur VI. An potestas concedendi indulgentias data Episcopis in *cap. 14. de Pœnit. & remiss. & cap. ult. eod. in 6.* scilicet unius Anni in Dedicatione Ecclesiarum, & 40. dierum in Anniversario Dedicationis, sede vacante transeat in Capitulum? Resp. probabilius transire. Licet enim Capitulum in iis non succedat, quæ Episcopo ratione dignitatis, & præeminentiæ Episcopalis concessa sunt, ut licentia legendi Missam extra Ecclesiam super portali in loco decenti *cap. ult. de Privileg. in 6.* & aliis allegatis à Glossa *ibidem V. indulgemus*, quia verò concessio indulgentiarum non est actus, fluens ex potestate *ordinis*, sed *jurisdictionis*, hinc Capitulo hanc facultatem

cont-

competere ex præactis fundamentis bene inferimus. Et ita tenent Pavinus *de Potest. Cap. sed. vacant. part. 1. Q. 4.* Molin. *Tom. 5. disp. 11. num. 6.* Azor. *part. 2. lib. 3. cap. 37. quest. 9.* Hi ipsi tamen AA. tutius esse, ajunt, ut Capitulum committat alicui Episcopo, ut indulgentias concedat nomine Capituli.

27 Dubitatur VII. An jus visitandi Diocesim competat Capitulo Sede vacante? Resp. affirmativè. Probatur ex *cap. ult. de supplend. neglig. Prælat. in 6.* ubi constituitur, Archi-Episcopum non posse in Ecclesia Cathedrali, mortuo Episcopo, constituere *visitatorem*, nisi Capitulum in spiritualibus, & temporalibus negligenter administraret; unde infert Panormitanus, in *cap. 14. de M. & O. num. 2.* Capitulum debere posse visitare, quoniam aliàs ab Archi-Episcopo negligentia non argui, nec alius *visitator* constitui poterit. Accedit, quòd visitatio sit actus, non solum utilis Ecclesie, & Diocesi, sed ex Officio incumbens cuivis administrationem habenti. *cap. 15. de Offic. Ordin.* hac tamen facultate ex universali consuetudine Capitulum non solet uti, quia non censetur tanta necessitas, & periculum in mora esse, ut, non expectato successore, Capitulum totius Diocesis visitationem instituat. Et ita sentiunt Barbof. *de Offic. & potest. Episc. allegat. 73. num. 24.* & ad *cap. ult. de suppl. neglig. Prælat. in 6. num. 3. & 4.* Molin. *d. disput. n. 7.* Azor. *d. loc. quest. 14.*

28 Qui hanc potestatem Capitulo denegant, fundant se in eodem à nobis supra *cit. cap. ult. de supplend. neglig. Prælat. in 6.* ubi in *princ.* dicitur: *Ecclesia Cathedrali vacanti visitator ab*

alio, quàm à Romano Pontifice deputari non potest: ergo Capitulo hæc facultas indulta non est, ut *visitatorem* constituat, aut per se munus visitationis obbeat. Hunc textum celebris quidam author sic interpretatur, quod nomine *visitatoris* intelligatur is, qui curam de vacante Ecclesia habeat. Quæ cura olim vicinis Episcopis demandabatur, ut testatur Thomassinus *part. 2. lib. 2. cap. 3. num. 2. & part. 3. lib. 2. cap. 51. num. 11. & cap. 53. num. 1. & seqq.* qui propterea etiam *interventores, intercessores, commendatores &c.* dicebantur. Verùm subdubito, an hæc interpretatio sit ad mentem Bonifacii VIII. Eo quippe tempore, quo citata Decretalis emanavit, jam erant stabilita Capitulorum jura, iisque omnis cura Ecclesie vacantis demandata, ut constat ex Decretali Gregorii IX. in *cap. 14. de M. & O. 1228.* emanata & ex Bonifaciana in *cap. 3. de supplend. negligent. Prælat.* Anno 1299. emissa, & testatur idem Thomassinus *part. 1. lib. 3. cap. 10. num. 10.* Unde conjicio, quod Bonifacius VIII. in *d. cap. ult.* non loquatur de *Visitatore*, qui curam Ecclesie viduatæ gerat, ad instar illorum *visitatorum*, qui primis Ecclesie sæculis dabantur, & de quibus duntaxat loquitur Thomassin. *cit. loc.* sed, de visitatore, qui, si Capitulum in administrando negligens fuerit, à S. Pontifice, etiam sine causæ cognitione dari potest, qui tamen, si ex capite negligentia ab Archi-Episcopo detur, non nisi vocato Capitulo, & cum prævia causæ cognitione dari debet. Et hic sensus textum *cit. cap. ult.* attentè expendenti ocysus occurret. Vid. Barbof. *ad cit. cap. ult. num. 4.*

29 Dubitatur VIII. An Capitulum, Sede vacante, possit dare licentiam Abbati, transeundi ad prælaturam alterius Diœcesis, si scilicet alibi in Prælatum eligatur? Ratio dubitandi videtur esse, quod Capitulum Sede vacante res Ecclesiæ nequeat alienare: ergo minus personas, quæ majoris æstimantur, quàm res. *cap. 24. C. 12. Q. 1.* Verùm hac ratione non obstante, existimo, cum Panorm. ad *cap. 14. de M. & O. quæst. 2.* Capitulo hanc facultatem competere. Quia facultas dandi licentiam transeundi ad alienam Diœcesin, spectat ad jurisdictionem Episcopi *ordinariam*, in qua, ut dictum est, Capitulum succedit. Ad rationem oppositam negatur, quod hæc sit vera alienatio, ad quam plurimæ solemnitates requiruntur, ut *tit. 13.* dicetur, quæ tamen non requiruntur ad translationem personæ, ut colligitur ex *cap. 27. §. quia verò de Elect. in 6.* Deinde majus est periculum damnificationis in alienatione rerum, quàm translatione personarum; hic enim continuò alius substitui potest Prælatus, rebus autem alienatis non mox succedunt aliæ.

Hactenus de Capitulis Ecclesiarum *Cathedralium*, eorumque potestate Sede vacante. Jam quoque explorandum est, quid juris competat Capitulis Ecclesiarum *non Cathedralium*? Potest autem hæc quæstio moveri tum de Ecclesiis exemptis, tum de Collegiatis, iisque vel Sæcularibus, vel Regularibus. Rem per distinctas Conclusiones lubet exponere.

30 Dico I. Si Ecclesia sit exempta, cujus Prælatus jurisdictionem *quasi Episcopalem* habeat, Sede vacante Capitulum eandem jurisdictionem obtinet,

quam habent Capitula *Cathedralium*, nisi S. Pontifex sibi quædam specialiter reservaverit. *cap. 11. de M. & O. & DD. ibidem.*

Dico II. In Ecclesia *Collegiata Sæculari*, non exempta, spectato jure communi, jurisdictione Præpositi, aut Decani Sede vacante non transit ad Capitulum, sed ad Episcopum, quia ista jurisdictionis devolutio non debet induci, nisi in casibus jure expressis *cap. 18. de Elect. in 6.* Jura autem, quæ jurisdictionem Sede vacante Capitulo adjudicant, loquuntur solum de Ecclesiis *Cathedralibus*, vel *quasi Episcopalibus exemptis. cap. 11. §. 14. de M. & O.* non verò de inferioribus Collegiatis. Ex ratio rationis est, quod in Ecclesiis *Cathedralibus*, & exemptis, si Capitulum Sede vacante non succederet, non esset alius, qui Ecclesiæ in defectum Prælati provideret: quæ ratio cessat in Ecclesiis inferioribus, quarum curam, & providentiam habet Episcopus. *c. 10. C. 16. Q. 7. Fagnan. ad cap. 11. de M. & O. num. 40.*

Quod si Præpositus, aut Decanus jurisdictionem in Clericos sibi subiectos obtineat *privativè*, ita, ut, eo officium suum ritè præstante, Episcopus in prima instantia se immiscere non possit, tunc videndum est, an hanc jurisdictionem acquisiverit mediante præscriptione, vel consuetudine, num verò privilegio speciali? Priori casu jurisdictione, Sede vacante non transit ad Capitulum, quia præscriptio est *stricti juris*, & consequenter ultra præscribentem non extenditur, nisi fortè ipsum Capitulum una cum Prælato præscripserit, aut legitima consuetudine acquisierit. Posteriore casu Capitulum
ite-

iterum non succedit, quia, quæ Episcopo speciali jure concessa sunt, ea ne quidem ad Capitulum Cathedrale, transcunt ut supra *num. 6.* dictum est. Dixi de jure communi hanc Conclusionem procedere, de consuetudine enim in istis quoque inferioribus Ecclesiis, prælatura vacante, Capitulum succedere, testatur Felinus ad *cap. 11. de M. & O.* circa finem.

33 Quid circa Prælaturas Regulares censendum sit, tam promptè non definiveris. Triplex enim est Sententia. Prima Felini, qui negat, Capitulum, seu Conventum, aut Priorem Claustralem, vel Decanum in Jurisdictione succedere, sed eam ad Episcopum, cui Monasterium subjectum est, devolvi, quia ille jurisdictionem in omnia Monasteria suæ Diocesis non exempta habet. Et licet in iis, quæ ad regularem disciplinam pertinent, jurisdictionem exercere non possit, Prælato Officium suum ritè implente, posse tamen, eo mortuo, administratorem etiam in iis, quæ regularem disciplinam concernunt, constituere. Præterquam, quod Religiosi votum obedientiæ Prælato, non vero Priori, vel Capitulo fecerint, adeoque jurisdicção, per quam Prælatus in virtute obedientiæ, vel sub excommunicatione Religiosis suis præcipere potest, ad ista non extendatur. Et ita cum Felino, & aliis à se relatis discurret Layman. ad *cap. 11. de M. & O. num. 5.*

Tamburinus de *Jur. Abbat. tom. 2. 34 disp. 1. quæst. 4. n. 5.* è diametro oppositum docet, videlicet Prælato vita functo, vel à munere suo amoto, vel etiam absente, totam jurisdictionem, & auctoritatem Priori Claustrali competere, nisi aliud speciali Religionis lege, aut superioris præcepto constitutum sit, & testatur de consuetudine variarum Congregationum, quam præcipuè ibi procedere putat, ubi Prior non ab Abbate tantum, sed simul cum Conventu, vel à Capitulo generali constituitur.

Panormitanus ad *cap. fin. de Stat. 35 Monach. num. 8. & 9.* in plerisque quidem cum Tamburino convenit, hanc tamen ponit limitationem, ut, si Prælatura vacet propter depositionem Prælati ex delicto, jurisdicção eo casu nec ad Priorem, nec ad Capitulum transeat, quia præsumptio est contra Capitulares, quod delicti sui Prælati se participes fecerint, ideoque à superiore dandum esse administratorem existimat. Verum cum *Clement. Ne in agro s. si quis autem V. si quis verò de Stat. Monach.* expressè dicat, quòd, Prælato ob delictum suspenso, nihilominus jurisdicção ad Priorem claustralem devolvatur, ideò limitationi à Panormitano factæ non aliter deferendum esse arbitror, nisi plures de Conventu actualiter suspensi essent, ut notat P. Engel *b. t. n. 16.* Cæterum hæc Sententia cum dicta Clausula *Tamburini*, & auctoritate *Panormitani* amplectenda videtur.

¶¶¶ (o) ¶¶¶

TITULUS X.

De his, quæ fiunt à Prælati sine consensu Capituli.

Circa jura Prælati multa Capitulo Sede vacante licere; multa itidem eidem esse vetita, præcedente Titulo expositum fuit. Multa non minus sunt negotia, ad quæ valide expedienda Prælati Capitulo sui vel *Consilium*, vel *Consensum* adhibere debet. Utérque Canon multa æquitate nititur. Veluti enim Ecclesiæ viduatæ interest, habere defensorem, qui ejus jura tueatur, & ideò Capitulo vices Prælati Sede vacante demandantur; ita non minus è re Ecclesiæ fore creditum fuit, in Prælati plenitudinem potestatis, ne in tyrannidem, & desposin degeneret, certis quibusdam retinaculis constringere. Quapropter in politia sacra (sunt verba Zypæi in *Analyfi princ. h. t.*) ne, qui præsumt, quod lubet, licere putent, & in Clero dominantur contra præceptum Apostoli. *1. Petri 5. v. 3.* Capituli sui in quibusdam negotiis jam *Consilium*, jam etiam *Consensum* adhibere à jure jubentur. Quæ vetò sint illa negotia, ocyus exponetur.

§. I.

Quid intersit inter Consilium, & Consensum Capituli?

SUMMARI A.

1. *Notabilis differentia inter Consilium, & Consensum assignatur.* 2. *Cur Prælati Consilium requirere teneatur, ad quod tamen amplectendum non adstringitur.*

1. **I**nter *Consilium*, & *Consensum* Capituli ea notabilis est differentia, quod ubi de jure ad actum aliquem expediendum Prælati *Consilium* requirere jubetur, ut in *cap. 4. §. 5. h. t.* illud citra actus nullitatem omittere non possit, *d. cap. 4. in fin. Barbof. ibid.* (nisi aliter habeat consuetudo. *cap. 6. h. t. cap. 3. de consuet. in 6.*) sequi tamen simpliciter non teneatur, sed contra omnium Capitularium sententiam liberè, quod videbitur, disponere possit, quia adhuc

ve-

verum manet, actum expeditum eſſe cum Conſilio, quod monet ſapiens *Ecclēſ. 32.* quamvis non ſecundum Conſilium, quod jura non requirunt. *cap. 7. de Arbitr. cap. 1. de Capell. Monach. cap. ult. de Regul. l. 5. §. Papinianus ff. de adminiſtr. Tut.* Econtrâ, ubi requiritur ad aliquem actum expediendum *Conſenſus* Capituli, non ſufficit, quod Prælatuſ Sententiaſ Capitularium rogataſ auſcultet, ſed quod major pars concluſerit, id omninò ſequi tenetur, ſecùſ actus à ſolo Prælato geſtuſ invaliduſ eſt. *cap. 1. h. t. & ratio hæc eſſe poteſt, quòd, ſi actus ſine Conſilio expedituſ, ubi id requirendum eſt, omni robore firmitatiſ caret. cap. 4. h. t. quantò magiſ actus ſine conſenſu expedituſ omni robore deſtituetur.*

2 Scilicetariſ, ad quid conſilium Capituli, ſi illud Prælatuſ ſequi non tenetur? Reſpondeo, id fruſtrâ haud quaquam fieri, ſed utile omnino eſſe ex eo, quod, auditiſ Capitularium ſen-

tentiſ, præcipitantiæ occurratur, ſi nimirum Prælatuſ ſecum exploret, an expediat ſibi conſilium juxta *l. 2. §. ult. ff. Mandati.* & ita, licet non cogi, ſaltem prudenti Capitularium deliberatione moveri poſſit ad amplectendum, quod fortè ſoluſ minus conſultò feciſet. *Faciliuſ enim invenitur, quod à pluribuſ queritur, ait Innocent. I. in cap. 3. diſt. 20. & integrum eſt judicium quod plurimorum ſententiſ confirmatur. c. 5. diſt. 64.* aded, ut Juſtiniano teſte in *l. fin. C. de fideicommiſſ. per amplioſ homineſ perfectiſſima veritaſ reveletur, & ideo uniuſ etiam conſilium reſpueſndum non ſit arg. cap. 12. diſt. 31.* ubi ſoluſ Paphnutiuſ in Nicæna Synodo conſilio ſuo, & rationibuſ à ſe propoſitiſ reliquos PP. omneſ à concepta ſententia dimovit, & in ſuaſ parteſ traxit, ne ſcilicet Preſbyteriſ uſuſ uxorum, quaſ ante Ordinationem duxerant, prohiberetur, ad evitaſda ſcandala, & fornicationiſ pericula.

§. II.

In quibuſ actibuſ Prælatuſ conſenſum Capituli requirere, & ſequi teneatur?

S U M M A R I A.

3. Pro Regula traditur, quod conſenſum tantum in caſibuſ à jure expreſſiſ adhibere teneatur Prælatuſ. 4. Inter caſuſ expreſſoſ eſt alienatio. 5. Quod quadruplicem patitur limitationem. 6. Item requirere tenetur conſenſum Capituli in præſentatione, & collatione beneficii. 7. In unione Eccleſiarum. 8. In Contractu Mutui, aut alia conventionem oneroſa. 9. Et in omnibuſ aliis negotiis, in quibuſ utriuſque Prælati, & Capituli intereſſe vertitur. 10. Ipſum conſenſum debet præcedere tractatuſ, conſenſuſ debet à collegialiter congregatiſ requireri, & ſufficit, ſi pars major conſentiat.

3 Canoniſtæ comūniter hanc ſtatuuſt Regulam, quòd Prælatuſ conſenſum ſui Capituli expetere, & ſequi non teneatur, niſi in caſibuſ à jure expreſſiſ.

sis. Et ita resolvisse sacram Congregationem Cardinalium refert Piafecius *part. 2. cap. 2. num. 8.* apud Van-Espen *J.E.V. part. 1. tit. 8. cap. 4. n. 5.*

4 Inter casus in jure exceptos numeratur I. alienatio rerum Ecclesiasticarum immobilium, aut mobilium pretiosarum, *cap. 1. b. t. cap. 25. § 52. C. 12. Q. 2.* quia interest Capituli, ne per ejusmodi alienationes status Ecclesiæ deterior reddatur, Panormit. *ad cap. 4. b. t. num. 7.* & nec sufficit nudus Capitularium consensus, nisi & accedat collaudatio, & subscriptio, *cap. 1. § 8. b. t.* quæ tamen non nisi in alienatione perpetua, & aliis casibus singillatim à jure expressis necessaria est. Nam regulariter in qualibet dispositione sufficit solus consensus, nec requiritur Scriptura, *l. 17. C. de Pactis*, quæ hodie etiam in pluribus locis non servatur, teste Panormit. *ad cit. cap. 1. b. t. num. 4.* Absentium tamen consensus, ad hunc actum non requiritur. Panormit. *cit. l. num. 5.* qui etiam *ad cap. 1. de his, quæ fiunt à major. part. num. 15.* enumerat casus, ad quos expediendos capitulares absentes vocandi sunt.

5 Hæc exceptio sequentes patitur limitationes I. in alienatione ad modicum tempus, ubi Prælati Capituli consensum adhibere non tenetur. *cap. ult. Ne Prælat. vices suas §c. Covarruv. var. resolut. lib. 2. cap. 15. num. 6.* Et ideò fundos ad tempus modicum, aliis excolendos pro pensione elocare potest. II. Casu, quo Capituli consensus expectari non possit, & præsens necessitas alienationem urgeat, ut contingere potest tempore hostilis irruptionis, Prælati validè se solo rem Ecclesiæ alienat, quia, ut ait Venerabi-

lis Beda, relatus in *cap. 4. de R. J. quod non est licitum in lege, necessitas facit licitum.* Interim, Prælati in defectu Capitularium, alios testes adhibere debet, qui de præsentis necessitate fidem facere possint. *arg. cap. 39. C. 17. Q. 4. Panormit. ad h. t. cap. 1. num. 7.* III. Nec illo casu Capituli consensus requiritur, quo Prælati aliquam rem, v. g. domum alienat, quam non habere, quàm habere, fortè propter expensas in ejus conservationem faciendas, Ecclesiæ utilius esse, notorium est, utiliter enim hoc casu Ecclesiæ negotia gerere Prælati censetur. *arg. cap. 20. C. 12. Q. 2.* Redoanus *de bon. Eccles. non alien. rubr. 33. casu 20.* Quanquam & hoc casu consultari fore, ut Capituli consensum adhibeat, censet Laymaa. *ad cap. 1. b. t. arg. cap. 52. C. 12. Q. 2.* IV. Donatio decimarum à Laico, qui eas ante Concilium Lateranense, ab Ecclesia in feudum accepit, alteri Ecclesiæ, quàm à qua detinet, facta, solo Episcopi consensu confirmatur. *cap. 7. b. t. cap. ult. C. 16. Q. 1.* Ratio est, quia tali casu nil alienatur, possessum ab Ecclesia, sed potius acquiritur Ecclesiæ id, quod Laicus non injustè, sed titulo feudi ab Ecclesia detinuit. Et licet de rigore propriæ Ecclesiæ restituendæ forent, si tamen Laicus monitus ad id induci non possit, melius utique est, quod alia Ecclesia decimas istas possideat, quàm quod cum periculo animæ detineantur. *cap. 19. de Decim.* quia sic saltem utilitati universalis Ecclesiæ consultitur, cujus omnes aliæ membra sunt. *cap. 6. C. 7. Q. 1.*

II. Excipitur presentatio, & collatio beneficii, supposito, quod illa ad utrumque, Prælatum nempe, & Capitu-

tulum ſpectet. *cap. 6. h. t.* Ita, ut vo-
cem dimidiam Prælatuſ, dimidiam Ca-
pitulum habeat, eo effectu, ut vox, ſive
ſuffragium Prælati ſolius æquivalcat Ca-
pitulo toti, vel majori illiuſ parti. *arg.*
l. 7. ff. de Uſufr. accreſc. § l. 59. §. 2.
ff. de Hæred. inſtit. Et ſi contingat, ut
Capitulum à Prælato diſcordet, *colla-*
tio, aut *preſentatio* ab alterutra parte fa-
cta non teneat, tametiſ etiam aliqui de
Capitulo Prælati ſuffragio acceſſerint.
P. Wieſtner *h. t. num. 20.* & alii ibidem
relati.

7 III. Excipitur *unio* Eccleſiarum, ma-
ximè Parochialium, earumque fru-
ctuum, ac obventionum, quæ, ſi fiat
alteri dignitati, vel præbendæ, aut lo-
co religioſo, putà Monafterio, Capi-
tuli conſenſuſ intervenire debet. *cap. 8.*
§ 9. b. t. quia talis unio eſt ſpecies alie-
nationiſ perpetuæ, qua ſucceſſoribuſ
Prælatiſ in jure conferendi, quod in-
ter fructuſ Episcopaleſ numeratur, præ-
judiciuſ fieret. Eo tamen caſu ne qui-
dem Capituli conſenſuſ ſufficeret, quo
unio ab Episcopo vel propriæ menſæ, vel
ipſi Capitulo fieret, eò quòd indecens
foret, in factò proprio, & ad commo-
dum ſuum, authoritatem ſibi præſtare,
ſed tunc accedere deberet authoritaſ
Papæ, ut cenſuit Rota in *una Beruſina*
beneficiuſ 4. Junii 1608. coram Penia,
niſi (ut cum aliis excipit Barboſ. *de*
Canoniciſ, § dignit. cap. 42. num. 11.)
unio fiat præbendiſ capitularium di-
ſtinctè, & ſigillatim conſideratiſ. Ho-
die poſt Conciliuſ Trid. *ſeſſ. 24. de Re-*
form. cap. 13. Eccleſiaſ Parochialeſ Mo-
naſteriis quibuſcuſque, aut Abbatiis,
ſive dignitatibuſ, ſeu præbendiſ Eccle-
ſiæ Cathedraliſ, vel Collegiatæ, ſive
aliis beneficiis ſimplicibuſ, aut Hoſpi-

talibuſ, militiſque Episcopus nequi-
dem cum conſenſu Capituli unire po-
teſt, niſi unio fiat pro *fundatione*, *do-*
tatione, vel *conſervatione* collegiorum,
aliorumque priorum locorum, ad fidei
Catholicæ deſenſionem, & propaga-
tionem, bonarumque artium cultum.
Gonzalez *ad reg. 8. Cancell. Gloſſ. 5.*
§. 7. num. 47. Barboſa *ad cit. cap. Trid.*
num. 10. § ſeq.

IV. In contractu *mutui*, aut alia 8
conventionem oneroſa, qua Prælatuſ Ec-
cleſiam ſuam onerare intendit. *cap. 1.*
de Depoſ. cap. 4. de Fidejuſſ. § cap. 2.
de Solut. de quo noſ inferiuſ, ubi de
contractibuſ agemus.

V. Conſenſuſ Capituli regulariter 9
requiritur in omnibuſ illiſ, quæ com-
muniter ad Prælatum, & Capitulum
ſimul ſpectant, vel ubi Capituli parti-
culariſ intereſſe vertitur, vel ubi Eccle-
ſiæ, & ſucceſſoribuſ notabile præjudi-
cium inferri poſſet. *cap. ult. de M. & O.*
ubi Gonzalez *cap. 6. § ult. h. t. cap. 29.*
de R. J. in 6. cap. 11. de Præſcript. l. ſin.
C. de Author. præſtand. Panormitan. in
cap. 4. h. t. num. 7. Barboſ. *de Canon.*
§ dignit. d. cap. 42. apud quem plureſ
caſuſ excepti videri poterunt.

Nota I. in hiſ, quæ minoris mo- 10
menti ſunt, ut eſt alienatio ad tempuſ
facta, ſufficere conſenſum Capituli *ta-*
citum, hoc eſt, ſi Capitulum ſciat, alie-
nationem factam eſſe, nec contradicat.
Panormit. *ad cap. 2. h. t. num. 1.* No-
ta II. Capituli conſenſuſ debere præ-
mitti Tractatum, quo Prælatuſ cum Ca-
pitulo deliberet, num hæc v. g. aliena-
tio Eccleſiæ neceſſaria, aut utiliſ futu-
ra ſperetur. *cap. 1. de rebus Eccleſ. alie-*
nand. in 6. Quoad inferioreſ Eccle-
ſiaſ, quæ *collegiatæ*, aut *conventualeſ*

E c

non

non sunt, & consequenter Capitulum non habent, sufficit intervenire auctoritatem Episcopi. P. Wiestner *h. t. num. 4.* Nota III. Consensum à Capitularibus collegialiter congregatis præstandum esse, nec sufficere, suffragia singulorum seorsim rogare. Ratio est, quod jura requirant consensum Capituli quæ talis. *cap. 2. § 3. h. t. Clem. 1. § 2. de rebus Eccles. alien.* quia id significat vox Capituli *arg. cap. 5. de Probat.* quod Canonici non ut singuli, sed in corpore congregati constituunt, *arg. cap. un. princ. Ne sed. vacant.* P. Verani *ad h. t. §. 1. num. 3.* Nota IV. Consensum

Capituli, quem jura desiderant, non necessariò debere esse unanimum, hoc est, nemine dissentiente, sed sufficere, quem pars major Capituli, habito respectu omnium capitularium præsentium (absentium non habetur ratio) præstitit. Magnif. P. König *ad tit. de his, quæ fiunt à major. part. num. 9.* Excipe nisi, ubi agitur de singulorum capitularium interesse, tunc enim non sufficit majoritas votorum, etiam absoluta, sed singulorum consensus desideratur. *cap. 29. de R. J. in 6.* Magnif. P. Schmier *lib. 3. Tract. 1. part. 1. cap. 4. num. 105. § seqq.*

§. III.

In quibus casibus Prælatus Capituli consilium requirere teneatur?

S U M M A R I A.

11. Consilium Capituli requirit Prælatus in negotiis minoris momenti, nisi consuetudine contraria huic legi derogatum sit. 12. Quomodo Episcopus in dijudicandis causis capitularium procedere debeat, ostenditur. 13. Capitulum potest alienationem ratihabitatione superveniente revalidare. 14. Solvitur objectio. 15. Consuetudo est irrationabilis, qua Prælatus deobligatur pro omni casu à petendo Capituli consensu. 16. Prælati regulares conventus sui consensum non in omnibus casibus, in quibus tenetur Episcopus, requirere obligantur. 17. Eundem adhibere tenentur in admissione Novitii ad professionem. 18. Non etiam in receptione Novitii ad probationem. 19. Episcopi Germaniæ, qui simul sunt status imperii, in actibus pertinentibus ad regimen politicum Capituli consensum non requirunt.
- 11 **C**ommuniter apud Canonistas hæc regula obtinuit, quod consilium Capituli in rebus levioris momenti à Prælato requirendum sit, ut in institutionibus, destitutionibus, confirmationibus, correctionibus *cap. 4. § 5. h. t.* In exercitio jurisdictionalium, & administratione temporalium extra casum alienationis, item in statutis conder-
- dis. *d. cap. 5. h. t.* In puniendis Clericis *cap. 23. dist. 86.* ferendis censuris. *cap. 1. de Excess. Prælat.* Cognitione causarum, *cap. 6. C. 15. Q. 7.* nisi consuetudine, vel præscriptione introductum sit, ut Prælatus etiam se solo ejusmodi negotia expediat, quam consuetudinem passim obtinere, testantur Stephanus Gratianus *in Disc. for. cap. 100. n. ult.*

n. ult. & Zerola in prax. Episc. part. 1. V. Capitulum num. 8. eamque ut validam, & rationabilem probant ex cap. 6. h. t. § cap. 3. de Consuet. in 6.

12 Circa personas capitulares dijudicandas hoc peculiare statuit Conc. Trid. *Sess. 25. de Reform. cap. 6. ut Episcopus duos de Capitulo (qui in principio cujuslibet anni ab ipſo Capitulo deputari debent) ſibi adjungat, & cum eorum conſilio cauſam diſcutiat. Quodſi Capitulum illam deputationem negligat, poſt monitionem præviã, poterit Episcopus ſolus judicare. Piaſecius part. 2. cap. 2. art. 3. num. 9. Riccius in Prax. decif. 566. Quod tamen intellige de Capitulo exempto, quia cit. cap. Trid. loquitur relativè ad cap. 4. Sess. 6. ubi fermo eſt de exemptis: ergò Capitula non exempta manent in diſpoſitione juris communis, ut Episcopus contra ea procedere valeat, ad ſummum cum conſilio, non verò conſenſu Capituli. Barboſ. ad cit. cap. 6. num. 3. Gallemart. ex Declar. Card. ad cit. cap.*

13 Quæres I. An alienatio facta per ſolum Prælatum à Capitulo ex poſt factò ratificata (id quod facere poteſt per cap. 2. § 3. h. t.) ita reconvaſcat, ut non à tempore, quo Capitulum conſenſit, ſed retrò à tempore, quo Prælatuſ ſine ejus conſenſu alienavit, valida fuiſſe cenſeatur? Panorm. ad cap. 3. h. t. n. 5. cum Molina *Tract. 2. diſp. 468. num. 6.* à tempore præſtiti conſenſus capitulariſ alienationiſ valoreſ incipere autumant, propter regulam 18. de R. J. in 6. *quia non firmatur tractu temporis, quod de jure ab initio non ſubſiſtit. Et l. 29. ff. eod. Quod ab initio vitioſum eſt, non poteſt tractu temporis convaſcere.*

Verùm contrarium probabilius eſt, quod ſcilicet ſubſequens Capituli ratificatio faciat, ut alienatio retrò à tempore celebrati contractuſ fingatur fuiſſe valida, ratio eſt, quod in tali alienatione ſaltem intervenerint illa ſubſtantialia, quæ de jure naturæ requiruntur, videlicet mutuus contrahentium conſenſuſ, remota omni fraude, accedente inſuper (ut ſupponimus) cauſa neceſſitatiſ, vel utilitatiſ Eccleſiæ, unde talis alienatio ſaltem de jure naturæ ab initio valida fuit, etenim ſolennitateſ juris poſitivi non deſtruunt valoreſ actus, quem habet de jure naturæ, cùm in eum finem duntaxat ſint inductæ, ut fraudeſ, & deceptioneſ evitentur, & ſcandala removeantur, ut nos in *lib. 1. ad Tit. de Pact. num. 27.* ex Panormitano oſtendimus, & docet Navarruſ *Tom. 1. in Comment. de Alienat. rer. Eccleſ. num. 17. & in Comment. de Spoliis Cleric. §. 2. num. 6.* Ideoque, ſi hæc abſint, & interveniat veruſ conſenſuſ, validuſ eſt actus, ſpectato jure naturali, & ſubinde per ſubvenientem poſtea ſolennitateſ, jure poſitivo præſcriptam, ita confirmari poteſt, perinde, ac ſi ab initio etiam jure poſitivo valuiffet. *arg. l. un. §. 1. C. de Contract. jud.*

Objicies: Quando ſolennitateſ eſt 14 de forma actus, illa, tametiſ ex intervallo actui adjiciatur, eundem non revalidat, ſed actus manet tam jure naturali, quàm poſitivo nulluſ, ut patet in tutore, qui, niſi pupillo, calente adhuc negotio, autoritateſ præſtet, nulliter fit, quidquid à pupillo fit, poſt tempuſ verò, vel per epistolam interpoſita auctoritateſ nihil agit, ait Imperator in §. 2. J. de Auctorit. tut. ergò ſimiliter conſenſuſ Capituli ſubſequens actui

ab initio invalido nihil roboris amplius adicere poterit. Ad hanc paritatem respondemus, eam non minus claudicare, ac ipsa contractum à pupillo sine autoritate tutoris initum; nam Ecclesia quidem comparatur pupillo in favorabilibus, & ubi alia juris dispositio non habetur, non etiam in odiosis, & ubi dispositio juris in contrarium est, ut est *cap. 42. C. 12 Q. 2.* Deinde circa actus, ad quorum valorem requiritur alterius consensus, notandum est, quod quandoque actus ex defectu concursus jure positivo irritus adhuc subsistat potestati, & dispositioni ejus, qui ex postfacto vult ratum habere, atque ita conditio, seu solennitas à jure requisita sit ex consentire volentis potestate, ut loquitur Panormitanus ad *cap. 21. de Offic. delegat. n. 19.* & sic poterit accedere consensus etiam ex intervallo. Quod si verò solennitas illa à jure requisita non est in potestate illius, qui eam adhibere jubetur, etiam actus, solennitate ex intervallo adjecta, non revalidatur. Jam verò autoritas à tutore præstanda in negotiis pupillaribus non est in ejus arbitrio, quandoque eam præstare velit, sed, ut actus à pupillo gestus valeat, debet illam durante negotio interponere: e contra consensus Capituli, cum per ratihabitionem quoque suppleri posse, admittant jura in *cap. 2. § 3. h. t.* dependet à voluntate eorum: ergo etiam ex post imperitus actum informat. Ulterius, si consensus requiratur ob favorem privatorum (ut hic) tunc illi, quorum interest, renuntiare possunt, & si nihil contra talem actum opponunt, tacite consentire censentur *arg. cap. ult. §. is autem de Offic. delegat.* sin verò ob favo-

rem publicum consensus desideretur Capituli, ut in *electione &c.* contingit, eidem nec renuntiari, nec ex post suppleri potest. Panormit. *cit. loc.*

Quæres II. An consuetudine introduci possit, ut Prælatus in nullo casu vel consilium, vel consensum Capituli adhibeat? Respondeo, talem consuetudinem non fore rationabilem, eo quod cederet in grave præjudicium ipsius Ecclesiæ, qualis consuetudo reprobat in *cap. 1. de consued.* quod tamen Glossa ad *Clement. 2. V. consentiente de reb. Eccles. non alienand.* restringit ad eum duntaxat casum, quo Prælatus res Ecclesiæ sine consensu alienaret. In aliis verò casibus minus arduis, aut Ecclesiæ non multum præjudiciosis v. g. in præsentatione, in correctione delinquentium &c. talem consuetudinem, aut, si mavis vocare, præscriptionem subsistere. Ratio est, quòd facile fieri possit, ut ob circumstantias locorum, & personarum magis expediat similia cum consilio aliorum virorum prudentium à solo Prælato expediri, quàm à Capituli consensu dependere. Interim notat Layman. in *cap. 9. de consuet. num. 4.* quod, etsi Episcopus forte præscripserit contra Capitulum exercitium jurisdictionalium, non tamen hoc ipso etiam possit condere statuta, irrequisito Capitulo, cum sit aliquid separatum ab exercitio jurisdictionis circa casus particulatim incidentes, & præscriptio de casu ad casum non extendatur.

Quæres III. An Prælatus regularis in iis casibus teneatur requirere consilium, aut consensum sui Conventus, in quibus tenetur Episcopus à suo Capitulo? Respondeo id non procedere æquali rigore de Prælatis regularibus, quia

quia ipſis libera, & independens à conventu adminiſtratio conceſſa legitur in *cap. 9. C. 18. Q. 2.* ubi expreſſè Pelagius Papa dicit, convenire, ut tota poteſtas ad Abbatem pertineat, ex ipſa ſcilicet Ordinis Regula, & maximè propter votum obedientiæ *cap. 11. §. cum hujus C. 12. Q. 2.* Navarr. in *Coment. 2. de Regul. n. 64.* & facit huc *cap. 18. de Regul.* ubi Religioſus zelo ſanctioris vitæ ad Religionem ſtrictiorem transire volens, à ſolo Prælato licentiam petit. Unde etiam ſolus regulares ſuos ſubditos corrigere poteſt *cap. 6. §. ult. de Stat. Monach.* Item ea ordinare, quæ pertinent ad cultum Divinum, aut Eccleſiæ neceſſitatem. Panormit. ad *cap. 6. h. t. n. 4.* Aſcanius Tamburinus *tom. 3. diſp. 1. quæſt. 2.* quem allegat Van-Eſpen *J. E. V. part. 1. tit. 31. cap. 4. num. 25.* plures caſus ex noſtro Joanne Trithemio recenſet, in quibus Abbates ad conſenſum ſui Conventus adſtricti ſunt. Mihi placet cum laudato Eſpenio *loc. cit. num. 26.* hanc generalem circa Prælatorum Regularium poteſtatem dare Regulam, quod conſenſum Capituli ad valorem actus requirere non teneantur, niſi in caſibus à jure, vel Conſtitutionibus Ordinis ſpecialiter expreſſis, quemadmodum hanc Regulam ſuperius de Epifcopo aſſignavimus. Ratio eſt, quod ex ſua inſtitutione Abbatum regimen ſit *Monarchicum*, ut patet de inſtituto *S. Benedicti Reg. cap. 3.* ubi S. Benedictus, quanquam velit, ut fratrum conſilio utatur Abbas, tamen ſubdit: *in Abbatis pendeat arbitrio, ut, quod ſalubrius judicaverit eſſe, cuncti obediant.* Quod idem de Regula D. Auguſtini teſtatur Navarr. in *Comment. 3. de Regulay. num. 8.* quia tamen (ſcribit idem

Navarrus *loc. cit. n. 15.*) non omnes, qui regunt, eſſe poſſunt *Auguſtini*, aut *Benedicti*, nec omnes ſubditi *Poſſidonii*, factum eſt, ut Religiones loco *Monarchie absolute* cum ea ſimul *Ariſtocratiæ* amplexæ ſint. Illud extra dubium eſt, quod, quæ alienationem bonorum Eccleſiaſticorum concernunt, ea, quæ de Epifcopis ſupra diximus, æque in Prælatiſ regularibus procedere, quod ſcilicet iſti non minus, ac Epifcopus, conſenſum ſui Capituli requirere obſtringuantur.

Illud non æque certum eſt. An Præ-¹⁷ latus aliquem Novitium ad Profeſſionem ſuſcipere valeat absque conſenſu ſui Conventus, num verò eundem requirere, & præciſè ſequi teneatur? Quæſtionem hanc operoſè, & prolixè conſueta ſoliditate deducit Clariff. D. P. Placidus Bockhn in *Comment. ad h. tit. num. 7. §. 2. ſeqq.* Panormitanus in *cap. 6. h. t. n. 4.* & in *cap. 16. de Regul. num. 12.* putat, hoc caſu ſolum conſilium, non verò conſenſum Capituli requireri. At probabiliùs cenſemus cum Navarro *Comment. de Regul. n. 5.* Miranda *tom. 5. quæſt. 15. art. 2.* Benedicto Haſteno in *Diſquiſt. Monaster. lib. 3. tract. 5. diſquiſt. 6. pag. 325.* & laudato P. Bockhn *cit. loc.* etiam conſenſum majoris, aut principalioris partis Capituli neceſſarium eſſe, quia talis profeſſus à Monasterio perpetuò ali, & cæteri cum eo communiter vivere debent. Id quod etiam confirmat univerſalis omnium Monasteriorum conſuetudo. Quodſi tamen alicubi obtineret contraria conſuetudo, illam irrationab ilem pronuntiare non audemus *arg. cap. ult. de Regul. in 6.* ex quo inſuper id notandum venit, quod ſi creatio Monachorum,

rum, hoc est, susceptio eorum ad professionem, communiter ad Prælatum, & Capitulum spectet, Abbate defuncto solum Capitulum creare eos possit.

18 Sed numquid etiam in receptione Novitii ad probationem opus erit consensu Capituli? Præscindendo à locorum consuetudine, & particularibus Ordinum statutis respondeo negativè, quia nullibi id jure cautum est. Interim illud omnino improbandum censet Hæftenius *cit. disquisit.* si Prælatus hac in re nequidem consilium à suo Conventu expeteret. Nam & Novitium, ait, ita indutum aliis redderet odiosum, & periculo rejectionis tempore imminentis professionis exponeret, seque aliorum Judiciis, tanquam, qui sibi nimium præfidat, objiceret, & deceptioni ab ipso exordio occasionem præberet.

19 Illud hæc ex Bœhmero adhuc adnotare placet, quod Episcopi Germaniæ,

qui insimul sunt status Imperii, gaudentes jure regalium, & superioritate territoriali, in iis, quæ concernunt regimen politicum, non dependeant à consensu, vel etiam consilio sui Capituli, sed id genus negotia cum senatu secretiore, quem Episcopi sibi met constituunt, expediant. Ratio autem, cur in ejusmodi actibus nullæ sint partes Capituli, à Bœhmero ad *h. t. §. 6. redditur*, quod Episcopi hæc non quæ Episcopi, sed quæ Principes, & Sæculares Domini procedant. Unde Canones, qui Episcopum ad consensum Episcopi alligant, huc aptari nequeunt, cum, ut dictum est, ejusmodi jus regalium non exerceant ut Episcopi, sed ut Principes politici. Interim in multis Ecclesiis Cathedralibus per Capitulationes potestas Episcoporum limitata fuit, prout aliqua exempla refert Bœhmerus *loc. cit.* ut de Archi-Episcopo Coloniensi, & Episcopo Lubecensi.

TITULUS XI.

De his, quæ fiunt à majori Parte Capituli.

IN præcedentibus duobus Titulis de potestate Capituli, quæ eidem tam Sede vacante, quam Sede plena, seu vivente ejus Prælato, competit, actum est. Sub præsentis jam Rubricæ disquiritur, quomodo actus Capitulares instrui, suffragia rogari, eorumque computus iniri debeat. Disquisitionem hanc suo ordine per distinctos §§. instituemus.



§. I.

§. I.

Quid sit Capitulum? Et qui nomine Capitularium veniant?

S U M M A R I A.

1. Hujus vocis Capitulum varia est homonymia, de ea remissivè. Que hujus loci est, exponitur. 2. Prælati non veniunt nomine Capituli. 3. Ad constituendum Capitulum ad minimum tres intervenire debent. 4. Quid requiratur, ut aliqua communitas nomine Capituli veniat? 5. Qui Capitulares propriè dicantur?

1 **V**Ox hæc Capitulum homonyma est, & varias in jure sortitur significationes, quas exhibent. Magnificus P. Schmier lib. 3. tract. 1. part. 1. cap. 4. sect. 1. n. 1. § 2. seqq. & P. Reiffenstuel h. t. num. 1. § 2. Benedictus Hæftenus in Disquisit. Monast. lib. 8. tit. 1. disquisit. 1. Sensui hujus Rubricæ illa propinquior est, qua Capitulum sumitur pro certa hominum classe, communis consilii, & auxilii gratia in uno loco collecta, & describitur cum laudato Magnifico P. Schmier cit. cap. num. 4. quòd sit Corpus quoddam Politicum, seu morale, vel Mysticum ex pluribus personis Ecclesiasticis communibus legibus, & juribus ad communem utilitatem coadunatum.

2 Ex qua definitione colliges I. quòd Episcopus, aut Abbas nomine Capituli non comprehendatur, quia non est pars, & membrum hujus corporis Mystici, sed caput illius, cap. 13. de Offic. Jud. Ordin. cap. 4. de his, quæ fiunt à Prælat. cap. 7. de Concess. Præbend. cap. 14. de Excess. Prælat. Panormit. ad cit. cap. 7. num. 9. & alii Canonistæ communiter. Ubi verò Canonici ipsam Ecclesiam representant, non possunt dici constitutæ unum corpus, nisi cum Episcopo.

cap. 15. de Testam. Barbof. J. E. V. lib. 1. cap. 32. n. 2.

3 Colliges II. Ad Capitulum constituendum plures personas desiderari, & quidem ad minimum tres, quia tres facere dicuntur Collegium. l. 85. ff. de V. S. Potest tamen jus Capituli, semel legitimè constitutum, etiam in unico membro conservari. l. 7. §. 2. ff. Quod cujusc. univers. Fagn. ad cap. 1. de Elect. num. 30.

4 Colliges III. Ut aliqua communitas Ecclesiastica nomine Capituli veniat, debet communibus legibus vivere, juriumque communionem frui; ideòque communem arcam, commune sigillum, & Syndicum, qui ejus negotia expediat, habeat necesse est. cap. 14. de Excess. Prælat. l. 1. §. 1. ff. Quod cujusc. universit. nom. Fagnan. ad cap. un. de Syndic. n. 9. Talia Collegia unius personæ vicem sustinent, l. 22. ff. de fidejuss. nec singuli de Collegio ut singuli aliquod jus habent. l. 10. §. 4. ff. de in jus vocando. Et ideò plures Clerici, aut Beneficiati in una Ecclesia, cum considerentur ut singuli, Capitulum non constituent. Barbof. de Canon. § Dignit. cap. 37. n. 17.

5 Nominè Capitularium, si hunc termin-

minum laxius sumamus, veniunt omnes Canonici, quibus per assecutionem Canonici omnia jura eidem annexa perfectè quæsitæ sunt, ita ut statim dicantur de *Capitulo*, licet non sint in *saceris*. Barbof. de Canon. § Dignit. cit. cap. 37. num. 1. § 2. Propriè autem, & strictè loquendo ii duntaxat *Capitularium* numero censentur, qui vocem in *Capitulo* habent. Non habent autem vocem, qui non saltem in *S. Sub-Diaconatus* ordine sunt constituti, idque obtinet tam in Ecclesiis *Regularibus*, quàm *Cathedralibus*, & *Collegiatis* per textum expressum in *Clem. 2. de atat. § qualit. § ord.* & *Concil. Trident. Sess. 22. de Reform. cap. 4.* quòd ideò statutum, ut Canonici hac ratione propensius ad *SS. Ordines* suscipiendos inducantur, & post perceptos pluribus subinde annis fructus Ecclesiasticos statui Clericali renuntiandi ansa præcludatur. Et licèt ex particularibus quorundam *Ordinum* statutis omnes *Regulares* professi ad actus *Capitulares* admittantur, his tamen ipsis *Constitutionibus*, cùm in veteri jure communi tan-

tum fundatæ sint, *Concilium Trid.* derogare voluisse, probabilius mihi videtur cum *Gloss. in cap. 32. V. conversi Laici de Elect. in 6.* nisi fortè huic *Constitutioni Trident.* iterum per aliam consuetudinem, quæ juris antiqui dispositionem aut retinuit, aut innovavit, derogatum sit, quam consuetudinem (excepta electione) quoad reliquos actus *Capitulares* ut passim in *Ecclesiis Regulariù* invaluisse scimus, vel ideò rationabilem quoque existimamus, quod non eadem sit *Regularium*, quæ sæculatium Clericorum ratio, utpote, quibus post emissam professionem nec ad sæculum reverti liberum, nec *Ordinum* susceptionem sine jussu *Abbatis* maturare arbitrarium est, & sæpe, ut notat *D. Benedictus in cap. 3. Regule: Dominus revelat juniore, quòd melius est.* Unde *d. Clement. vel Concil. Trid.* loquens de *Ecclesiis etiam Regularibus*, non incommode de *Collegiatis* Canoniorum, aut illis, ubi particularia statuta in contrarium non habentur, explicari poterunt. *Vivianus ad d. Clement. princ.*

§. II.

De Convocando Capitulo.

SUMMARI A.

6. Jus convocandi Capitulum est regulariter penes Episcopum, vel Abbatem. 7. Quòd trinam patitur limitationem. 8. Quid juris, si Episcopus insimul sit Canonicus suæ Ecclesiæ? 9. Ad Capitulum vocari debent, qui debent, volunt, & commodè interesse possunt. 10. An, qui extra Provinciam degunt, vocandi sint? 11. Absentes, non vocati, agere possunt de contemptu, & actum à presentibus valide gestum rursus destruere. 12. Quamdiu audiri debeant, qui volunt agere de contemptu? 13. Absentes in tribus duntaxat casibus vocandi sunt. 14. Interim male agit, Prælati, si ad alios actus valdè arduos, cum posset, absentes non vocet. 15. Pro expediendis negotiis Capitularibus debent Capitulares in uno loco docenti collegialiter esse presentes.

Cir-

Circa hoc punctum plura quæri possunt, & quidem I. Penes quem sit jus convocandi Capitulum?

II. Quinam vocari debeant? III. Ad quos actus vocandi sint? IV. Et quis locus pro expediendis negotiis Capitularibus idoneus & opportunus esse dicatur? Ad singulas Quæstiones per distinctas Assertiones respondeo, &

6 Dico I. Jus convocandi Capitulum est regulariter penes Episcopum, vel Abbatem, ita, ut, si quædam gravioris momenti negotia tractanda occurrant, Episcopus ipse in persona tractatui intersit, vota singulorum exquirat, & juxta ea concludat. Concil. Trident. Sess. 25. de Reformat. cap. 6. Ratio est, quod Prælati sit Caput Capituli, ideoque conveniens esse videatur, ut is Capitularia membra, ceu capiti subjecta, ad negotia Ecclesiæ communi consilio expedienda convocet. Dixi regulariter id muneris ad Prælatum spectare. Excipiuntur enim à Concil. Trid. loc. cit. tres casus. I. Quando res, vel negotium ipsius Episcopi, vel suorum commodum respicit, hoc est (ut Sac. Congregatio Cardinalium declaravit) in iis casibus, in quibus Episcopus iudex esse non potest, scilicet, si res privato nomine ad Episcopum, vel ad suos pertineat, in re autem, quæ ad Dignitatem Episcopalem spectant, cum possit esse iudex, etiam Capitulum convocare potest. Barbof. ad cit. loc. Concil. num. 44. Leurenus in foro benefic. part. 2. quæst. 671. n. 1. II. Si Prælati sit absens, jus convocandi Capitulum de jure, vel consuetudine ad Præpositum, Decanum, vel Senioremem spectat, non autem ad Vicarium vel Officialem Episcopi, qui vigore Concil. Trid. l. c.

ad Capitulum admitti non debet, sed, si Capitularis sit, & res ad deliberandum proposita, ad suum, vel Episcopi commodum pertineat, inde exire debet, prout à S. Congregatione negotiis Episcoporum, & Regularium præposita die 17. Jan. 1584. resolutum fuisse, refert Barbof. de Canon. & Dignit. c. 35. num. 12. & licet Senior, vel Decanus jurisdictionem aliàs in Capitulares nullam habeat (utpote, quæ tota in Episcopo residet) ita, ut comparere nolentes cogere nequeat, convocatio tamen illum operabitur effectum, ut non comparentes habeantur pro contumacibus, & præsentem, apud quos jus totius Collegii pro hac vice residet, validè in negotio Capitulari procedere valeant. cap. 19. de Elect. Panorm. ad cap. 2. h. t. num. 3. III. Si negotium tangat Capitulum quæ tale, id seipsum per Decanum, vel Senioremem, etiam non petita Episcopi venia, congregare potest, ut ab eadem Congregatione die 20. Augusti 1601. decisum refert Barbof. cit. cap. num. 4.

Cæterum nota: si Episcopus ex speciali gratia sit simul Canonicus suæ Ecclesiæ (id quod fieri posset, patet ex cap. 15. de Concess. Præb. & cap. penult. de Appellat. in 6.) tunc, si quæ Canonicus Capitulo intersit, jure convocandi non gaudet, nec primò loco sedet, sed post Præpositum, vel Archi-Diaco-num secundum cuiusque Ecclesiæ consuetudinem. Layman. ad cap. 15. de Concess. Præbend. n. 3. Et eo etiam casu, si à gestis in Capitulo per Canonicos in eo congregatos appellari contingat, ad eum appellatio facienda est, & similiter, si Capitulum in collatione Beneficii sit negligens, ad eum devolutionem

nem fieri oportet, quia, ex quo Episcopus non interfuit Capitulo quàm Episcopus, sed tanquam *Canonicus*, non appellatur ab eodem ad eundem, sed ab inferiore ad superiorem: secùs dicendum, si qua Episcopus Capitulo præfideret. *cap. 11. de Appellat. in 6. Gloss. ibid. arg. l. 1. §. solent ff. Quando appelland. Layman. ad cit. cap. 15. num. 3. Barbosa cum aliis relatis de Canon. §. Dignit. cap. 35. n. 13.*

9 Dico II. Ad Capitulum sunt omnes vocandi, qui *debent, volunt, & commodè possunt interesse. cap. 42. de Elect. cap. 33. de Præbend. in 6.* Non debent autem vocari illi, qui jus suffragii non habent, licet sint de Collegio, ut sunt *excommunicati, suspensi, irregulares. cap. 8. de Consuet. cap. 18. de Sent. Excommunic. in 6.* aut si qui propter proprium delictum expulsi sint. *Arg. l. 5. §. 1. ff. de Capite minut. II. Qui volunt.* Potest enim quisque favori pro se introducto renuntiare *l. 38. ff. de Pactis*, nisi interfit Ecclesiæ, tunc enim absentes ad comparandum etiam inviti compelli possunt. Panormit. ad *cap. 42. de Elect. num. 4. & 5.* ubi simul notat, in numerum duarum Tertiariarum, quæ ab initio ad actus universitatis convenire debent, *l. 3. §. 4. ff. Quod cujusque univers.* non venire absentes, & comparere nolentes. III. *Qui commodè possunt.* Habita ratione commoditatis, non respectu vocandi, sed Ecclesiæ. Panormit. ad *cit. cap. 42. n. 5.*

10 Quæres I. An, qui extra Provinciam degunt, in qua actus Capitularis, v. g. Electio est celebranda, vocari debeant? Rationem dubitandi suggerit *cap. 35. de Elect.* ubi mandat Pontifex, fratres omnes in *Provincia* existentes

esse vocandos, utique ex ea ratione, quòd illi censeantur commodè posse vocari, qui intra eandem Provinciam degunt: ergo, qui extra Provinciam commorantur, vocandi non sunt. Verùm, quòd nulla habenda sit ratio Provinciam, an vocandi intra, vel extra illam existant, sed bonum duntaxat, & utilitas ipsius Ecclesiæ, meliori jure docet Panormit. ad *cit. cap. 35. num. 3.* Nam contingere potest, ut quis in alia Provincia agat, & tamen vicinior sit suæ Ecclesiæ, quàm alius, qui absens sit intra Provinciam suam, maximè, ubi illa vasta, & admodum spatiosa esset, unde *cap. 42.* jubet, non illos tantum, qui intra Provinciam existunt, sed simpliciter, & indefinitè omnes vocari, qui *commodè* actui Capitulari interesse possunt.

Ad *cap. 35. de Elect.* respondeo, quòd vel exaudiendum sit de casu illo, quo nullus Capitularium extra Provinciam degebat, vel de consuetudine speciali illius loci, qua fratres duntaxat intra Provinciam existentes vocari consueverunt, præsertim cum illa tam lata, & spatiosa non esset, quin commodè ad Capitulum absentes intra illam Provinciam vocari potuerint. Ideò hic Textus non est indifferenter ad alias Ecclesias extendendus, cum aliæ Provinciam possint esse latiores: dispositio enim legis, vel Canonis non se porrigit à casu ad casum, nisi eadem omnino militet ratio. *l. 12. ff. de LL.* Panormit. ad *cit. cap. 35. n. 4.* & propterea hæc quæstio: *quinam commodè vocari possint?* una Regula generali definiri non posse, advertit ibidem Nobilissimus hic Canonum iaterpres, sed id sagax judex secundum pericula imminetia, & discrimi-

mina viarum, ex æquo & bono arbitratitur, arg. cap. 4. de Offic. deleg. & l. 1. ff. de jur. delib. Censetur autem super hoc dubio idoneus iudex is, ad quem spectat confirmatio electionis, aut alterius negotii Capitularis. Arg. cap. fin. de Offic. deleg. in 6. sæpè laudatus Panormit. d. n. 5.

11 Quæres II. Quid juris, si qui ex absentibus, qui de jure vocari debuissent, ad Capitulum vocati non sint? Respondeo, actum Capitularem à præsentibus gestum ipso quidem jure subsistere, ab absentibus tamen, qui vocati non sunt, si velint agere de contemptu, irritari posse, per cap. 36. de Elect. cum plus (ut ibi inquit Pontifex) in talibus consueverit contemptus unius obesse, quam multorum contradictio in præsentibus. Prius membrum ita limitat Panormit. ad cit. cap. n. 4. ut actus Capitularis à præsentibus gestus non aliter valeat, quam si duæ saltem partes, sive Tertiæ de vocandis præsentibus fuerint. Nam si duæ partes non adfuerint, actus Capitularis, ex quo pars minor est contempta, vel non legitimè vocata, ipso jure nullus est, per vulgatos Textus in l. 3. § 4. ff. Quod cujusc. universit. l. 46. C. de Decurion. Rationem addit, quod potentia Capituli in principio sit apud duas partes, dum Capitulum est in congregando, licet in desiniendo valeat, quidquid à majori parte illarum duarum partium præsentium decretum fuerit, per l. 19. ff. ad municip. cap. 1. b. t.

12 Quæres III. Quamdiu audiri debeant, qui volunt agere de contemptu? Respondeo, si intra terminum legalem, & peremptorium, quem is, ad quem actus Capitularis confirmatio pertinet, pro facienda contradictione præfigere

solet & debet. cap. ult. de Elect. in 6. compareant, & actui gesto se opponant, audiendos, secus si terminum peremptorium, & competentem præterlabi siverint, audiri amplius non debere. Panorm. ad cap. 2. de his, quæ fiunt à Prælato n. 8.

Dico III. Ad actus Capitulares quos-
cunque absentes vocandos non esse, exceptis tribus casibus à Gloss. in cap. 2. de Testib. in 6. expressis, videlicet I. in negotio Electionis per cap. 42. de Elect. II. In receptione alicujus in Canonicum, per cap. 33. de Præbend. in 6. III. In cessatione à Divinis, per cap. 8. de Offic. Ordin. in 6. in quibus jura absentes vocari expressè præcipiunt. Ità tenent Ferosin. in cap. 6. de Constitut. Quest. 2. num. 18. Fagnan. in cap. 2. de N. O. N. n. 52. Mantica de Tacit. § ambig. convent. lib. 4. tit. 7. n. 9. Lotter de re Benefic. part. 3. Quest. 17. n. 118. Ratio est, quòd nugatorium, & superfluum fuisset, in prædictis tribus casibus hanc legem ponere, si generaliter ad omnes actus Capitulares vocandi essent absentes. Interim non diffiteor, 14 quin superior peccare possit, si, ubi profelicius expediendo aliquo actu Capitulari valde arduo, præsentiam etiam absentium necessariam esse duxerit, vocare negligat, quia tenetur bono Capituli omni meliori modo consulere, & sic utilitas universitatis eidem debet esse regula vocandorum, & non vocandorum, quod ipsum tamen duntaxat pro foro interno intelligendum est, ut acutè observant Passerin. ad cap. 2. de Testib. in 6. n. 105. & Eminentiss. Vincent. Petra in Comment. ad Constit. Apostol. tom. 1. pag. 66. n. 42. vadè fundamentum Adversariorum, in arduitate

causarum positum, inter quos præcipuus est Panormit. *ad cap. 1. num. 15. h. t.* ex hac limitatione solutionem capit, quod scilicet obligatio vocandi absentes in negotiis arduis stringat superiorem pro foro quidem interno, nulla tamen lege pro foro externo. Panormitano verò & ejus sequacibus in tantum accedo, ut consuetudinem illam rationabilem agnoscam, si quæ in quibusdam Capitulis vigeat ad actus capitulares magis arduos vocandi absentes, ita tamen, ut actus, absentibus non vocatis, primùm sit validus, ab ipsis postea, si de contemptu agere placeat, invalidandus. Passerin. *loc. citat. num. 106.* & Petra *num. 43. Rota decis. 4. part. 10. recent.*

15 Dico IV. Ad expedienda negotia capitularia quilibet locus aliàs honestus aptus esse videtur. *arg. l. 21. §. 11. ff. de Recept. qui arbitr. Panorm. ad c. 14. de Elect. num. 4.* in quo omnes, qui jus suffragii habent, collegialiter congregati votum suum explicare debent, ut communi consilio tantò maturius deli-

beratio instituatur: neque enim dicendus esset actus Capitularis, ubi singuli seorsim, & sigillatim consensum suum explicarent, quia jus Universitatis consistit in collegialitate, & negotia Capituli tractantur à pluribus, non ut *singulis*, sed ut *universis*. Barbof. *ad cap. 42. de Elect. num. 9.* Vinc. Petra *cit. Tom. 1. pag. 57. num. 19.* Aliud foret, si actus esset communis pluribus, ut *singulis*, & non ut *universis*, tunc enim is à singulis seorsim expediri, aut illi consensum suum separatim præstare possent, ut, si v. g. duo, vel tres de Capitulo jus præsentandi haberent, ut *singuli*, non verò ut *collegium*. Layman. cum aliis à se relatis *ad cap. 33. de Præbend. in 6.* Circa hanc doctrinam duo adhuc nota ex Barbof. *Tract. de Canon. & Dignitat. cap. 35. num. 17. §. 2. seqq. & cap. 38. num. 16.* quòd acta per Canonicos in Capitulo, non possint revocari, nisi per capitulariter congregatos, & quando actus capitulariter fieri exposcit, etiam ratificatio capitulariter facienda sit.

§. III.

De consensu Capituli.

SUMMARI A.

16. Ut actus capitularis sustineatur, major, & sanior pars consentire debet. 17. Nec sufficit, quod sit talis respectu partis minoris, sed necesse est, ut sit respectu totius Capituli. 18. Nec statuto, nec consuetudine introduci potest, ut actus aliter non valeat, quàm si singuli consentiant, aut due tertia. 19. In quibusdam tamen casibus requiritur singulorum consensus. 20. In impari votorum numero, quando pars una dimidio suffragio alteram excedit, valet actus. 21. Potest quandoque pars major minorem etiam invitam compellere ad contribuendum de suis redditibus pro necessitate, vel utilitate Ecclesiæ. 22. Prælati quòd talis effectivè non est membrum Capituli.

Ad

- 16 **A**D actum capitularem, ut is sit legitimus, regulariter sufficit, ut *major*, & *sanior* pars eorum, qui *debent*, *volunt*, & *commode* possunt interesse, suo consensu eundem approbent. Habet hæc regula sedem tuam in *cap. 1. h. t. § l. 19. ff. ad Municipal.* Censetur autem *sanior* pars, quæ meliori ratione, prudentia, & pietate nititur *cap. 11. dist. 9.* Nec enim, teste Hostiensis, quæ *major* pars est, semper etiam *sanior* est, sed quæ *sanior* est, semper *major* reputatur. In dubio tamen *major* pars etiam *sanior* esse præsumitur, nisi contrarium probetur. *cap. 5. dist. 23. cap. 32. de Testib.* Dicitur etiam *major* pars non comparatione aliarum partium minorum, sed respectu totius Collegii. *cap. 48. de Elect. cap. 23. eod. in 6.* Ut, si ex 16. Capitularibus 4. uni, 5. alteri, 7. in tertium sua vota conferant, tractatus talis defectu majoris partis hic requisitæ nullus foret. Id quod obtinet in actibus capitularibus verè talibus, seu, qui pertinent ad plures ut *universos*, quatenus nempe corpus Collegii, vel Capituli constituunt. In actibus verò, qui pertinent ad plures ut *singulos*, v. g. præsentationibus ad beneficium, prævalet consensus partis majoris, sola etiam comparatione ad partes minores, juxta *cap. 3. de Jur. Patron.* Idem notant DD. de electione Rectoris Universitatis, vel officialis Monasterii, quæ electio Canonica, & capitularis non est.
- 17 Zypæus tamen in *Analyfi ad h. t. num. 1.* scribit, in Capitulis passim jam usu obtinuisse, ut, quod *major* pars non respectu totius, sed partis minoris decreverit, ratum habeatur. Nec ratione destitui hanc consuetudinem.

autumar. Quid enim, si omnes sui propositi mancant tenaces, res non habebit exitum, nisi partis majoris, quæ talis est, respectu partis minoris, vota prævaleant. Deinde, cum dicamus, requiri partem *majorem*, simul & *sanio-*
riorem, vix casus contingeret, ut ii, qui *saniores* sunt, stent omnes à parte *majori*: idcirco sufficet, ad hoc, ut actus sustineatur, modo pars *major*, & *sanior* respectu partis minoris consentiat. Verum sicut allegata consuetudo à Zypæo difficulter probabitur, ita binæ ejus rationes vix fidem inveniunt. Non prima, quia non deforent remedia compulsoria, quibus pertinax suffragantium voluntas frangi posset. Non secunda, quia *major* pars præsumitur quoque esse *sanior*, & idcirco dispositio Tridentini *Sess. 25. de Regul. cap. 6.* in praxi ubique servatur, ut non amplius inquiretur post factum scrutinium, quæ suffragiorum pars sit *sanior*, sed quæ sit *major*. *Fermosia. Tract. 3. de Capitul. per se 25. num. 35.*

Regulariter ergo, quidquid *major*, & *sanior* pars concluderit, id cum consensu totius Capituli actum censetur, nisi fortè pars minor aliquid rationabile opponat, & rationem contradictionis suæ, vel coram superiore ipsius Capituli, vel coram arbitrâ *arg. cap. 34. de Elect. § cap. 41. de Appell.* non verò coram *majori* parte Capituli, utpote suspecta, *minori* contradicenti, nec etiam ejus competente iudice, sufficienter probet. *cap. 1. h. t. Innocent. ibid. num. 3. § 4. Panorm. ibid. n. 12.* Tunc enim verificatur illud ex *cap. 11. dist. 9.* quòd *sana ratio sit exemplis anteponenda.*

Contra regulam hic propositam nec consuetudo, nec statutum etiam juratum

prævalere potest, ut actus aliter non valeat, quam si omnes de Capitulo unanimiter concordent. *cap. 1. h. t.* Cum enim homines faciles sint ad discordiam. *cap. 7. C. 8. Q. 1.* Facile apparet, quam pernicioſa, & ſummè noxia Eccleſiis ejuſmodi conſuetudo foret, ſi diſpoſitum à majori parte effectum non haberet. Et ideo tale juramentum contra utilitatem, vel libertatem Eccleſiæ factum non ligat, unde ex hac ipſa ratione *ad cit. cap. num. 8.* Panormit. contra Gonzalez *ad d. cap. num. 6.* infert, quòd nec illud ſtatutum, aut conſuetudo valet, ut duæ partes ad minus debeant concordare, qui idem interpres *num. 13.* advertit, quod, qui ex capitularibus conſentire non vult, expreſſè debeat contradicere, ne pœna & peccato ſe involvat, ſicut expreſſè conſentientes, nam tacens in collegio habetur pro conſentiente, etiam in odioſis, & malè geſtis, ſi ex officio conſilium dare tenetur *l. 11. §. quamvis ff. de Interrog. in jur. faciend. cap. 2. de Conf. in 6.*

19 Dixi ab initio, regulariter id obtinere, ut, quòd major pars ſtatuit, pro eo fictione juris habeatur, ac ſi totum Capitulum unanimiter ſtatuiſſet. Exciipiuntur ab hac regula nonnulli caſus, in quibus pro valore actus aut ſingulorum, aut duarum partium conſenſus expoſcitur, ſingulorum conſenſus deſideratur in *compromiſſo*, ubi jus eligendi ſingulis de Capitulo competens in unum, aut plures compromiſſarios transfertur. Item, ubi Clerici extranei ad ſuffragium in electione ferendum ad Capitulum admittuntur, quia, cum ſingulorum hic intereſſe vertatur, ſingulorum quoque conſenſus interveniat neceſſe eſt. *cap. 29. de R. J. in 6. §.*

cap. 56. eod. in 6. Duarum partium, ſive tertiarum conſenſus exigitur. I. In electione S. Pontificis in *cap. 6. de Elect.* II. In aſſumptione Coadjutoris Episcopopo amente. *cap. un. de Cler. egrot. in 6.* III. In *poſtulatione*, ſi concurrat cum electione *cap. 40. de Elect.* P. Wieſtner *h. t. num. 19.*

Dubitatur I. An, ſi numerus capitularium ſit impar, actus cenſeatur à majori parte geſtus, quæ alteram partem dimidio duntaxat ſuffragio excedit. E. G. Si novem ſint capitulares, & quinque in alienationem conſentiant, aliis quatuor diſſentientibus, hoc enim caſu quinque conſentientes dimidio tantum ſuffragio ſuperant alios quatuor diſſentientes, utpote cum Novenarii medietas ſint quatuor cum dimidio. Reſpondeo talem actum valere, & haberi à majori parte geſtum, quia dimidium ſuffragium, quo una pars alteram excedit, propter ſuam indiviſibilitatem pro uno ſuffragio integro computatur, ut cum Donato docet P. Wieſtner *h. t. num. 21.* adeoque quinque illi conſentientes (Capitulo novem membris conſtante majorem partem Capituli verè conſtituunt) Panormit. *ad cap. 50. de Elect. n. 9.* P. Wieſtner *cit. num. 21.*

Dubitatur II. An major pars Capituli, contradicente parte minore, cum conſenſu Episcopopi poſſit de bonis, & juribus ſpectantibus ad ſingulos aliquid diminuere, ſi præſens Eccleſiæ neceſſitas, vel utilitas ejuſmodi bonis diminutis relevari, vel adjuvari valeat? Hoc dubium adhibita diſtinctione reſolvo: vel bona ſpectant ad ſingulos jure proprio, & ſingulari, vel jure Collegii & Univerſitatis. Si primum, bona, & redditus Capitularium diminiui
ne-

nequeunt, utut major pars in hanc diminutionem consentiat, ratio est, quod pars major Capituli non habet jurisdictionem in partem minorem; ideoque non potest aliquid statuere de personis, vel bonis ad singulos jure proprio, & singulari pertinentibus, ipsis contradicentibus. Id quod confirmari potest ex *l. 11. ff. de servit. præd. rustic.* ubi dicitur, quod in fundo pluribus communi, ut servitus itineris alteri perfecte sit constituta, non sufficit, quod unus, alterve jus eundi cesserit, sed requiritur consensus singulorum, quia fundus hic pertinet ad singulos jure singulari, per *cap. 29. de R. J. in 6.* ergo idem dicendum de bonis Capitularium, quæ habent jure proprio & singulari. Si secundum, pars major, non attenda contradictione partis minoris, de redditibus singulorum portionem demere, eamque sublevandæ necessitati, vel procurandæ utilitati ipsius Ecclesiæ applicare poterit. Textus, & exemplum est in *cap. ult. h. t.* ubi pro restauranda fabrica Ecclesiæ, dum Archiepiscopus cum majori parte Capituli consensit de conferenda à singulis reddituum suorum quadam portione, pars minor contradicens ab Innocentio III. in eandem legem concedere, & de suis proventus partem contribuere iussa fuit. Ratio est, quod jus horum proventuum, & reddituum principaliter spectet ad Capitulum, seu Ecclesiam, cujus intuitu singulis sua portio assignata fuit; ideoque Canonici hos fructus non jure proprio percipiunt, sed jure Capituli, sive Ecclesiæ. Cum igitur inter Ecclesiam materiale, & Ecclesiam formale, quam constituit Episcopus cum Capitulo, sit quædam com-

munio, adeo quidem, ut, spectando primævam beneficiorum Ecclesiasticorum institutionem, proventus in quatuor partes dividendi sint, quarum una quoque fabricæ Ecclesiæ cedere debet. *cap. 25. & seqq. C. 12. Q. 2.* Consequens est, ut ex lege charitatis, & communionis Episcopus, & Capitulum de superfluentibus suis redditibus Ecclesiæ necessitati succurrere teneatur. *Pirrhing h. t. §. 2. P. Verani eod. tit. n. 14.*

Dubitatur III. An Episcopus, quæ 28
Episcopus non tantum Suffragia Capitularium colligere, sed etiam ipse Suffragium ferre, adeoque pars Capituli esse censeatur? Communior DD. negat, ut videre est apud Barbof. *de Offic. Episcop. part. 3. allegat. 72. num. 17. & Tract. de Canon. cap. 37. n. 15.* Fermos. *Tract. 3. de Capit. per se Q. 6. n. 5.* Card. de Luca *disc. 30. de Benefic. n. 7.* & praxis ipsa in plerisque Capitulis Cathedralibus confirmat. Unde rectè Capitulum descripsit Boehmerus ad *tit. Ne Sede vacant. §. 7.* quod sit *Collegium Canonicorum Cathedralis Ecclesiæ, sub Episcopo quidem, sed separatam corpus tamen sub directione Præpositi, & Decani constituens, & peculiaribus suis jurebus gaudens, Episcopo in adjutorium datum, & de regimine Ecclesiastico participans, constans ex iis, qui vel ratione præbende suæ, vel alias de consuetudine, votum, sessionemque in Capitulo acceperunt.* Quanquam enim ante Annum Christi millesimum Capitula Cathedralia nullis gauderent exemptionibus, juribusque distinctis, sed ita adglutinata essent ipsis Episcopis, ut communibus cum Episcopo suo uterentur honoribus, juribusque, ipsique Canonici essent membra ejus, & consilarii, pede-

rentiam tamen se jurisdictione Episcopi subtrahere, varia privilegia quærere, jura propria, & distincta, partim consuetudine, partim præscriptione sibi asserere cœperunt, teste Thomassino *part. 1. lib. 3. cap. 33.* ut subinde longè alia hodie facies Capitulorum, atque olim fuerit. Hodie enim (ait Bœhmerus *cit. f.*) in plerisque Cathedralibus Ecclesiis Capitulum ad majorem adspiravit libertatem, ut, quamvis sub Episcopo constitutum sit, peculiare tamen corpus constituat, sine Episcopo Conventus instituat, & de rebus ad se pertinentibus deliberet.

Unde non obstat decisio Alexandri III. in *cap. 4. de his, quæ sunt à Prælat.* dicentis. Episcopum, & Fratres unum Corpus constituere, quod ille *caput*, hi verò *membra* esse probentur. Nam respondet Bœhmerus, hæc conjunctio tantum pertinet ad *negotia Ecclesiastica publica*, quæ Episcopus sine Capituli sui annutu peragere nequit, ait enim: *non decet te omissis membris aliorum consilio in ECCLESIAE TUÆ NEGOTIIS* uti. Quando autem quærimus, an Episcopus habeat vocem in Capitulo, intelligimus negotia, quæ non totam Diocesin, sed Capitulum privativè contingunt. Et in his posterioribus negotiis aliquas esse partes Episcopi, Pontifex non dicit. Possunt enim Canonici (ut bene notat Fermosinus *loc. cit.*) bifariam considerari, semel, in quantum repræsentant ipsam Ecclesiam Cathedralē, & hoc respectu haud dubio ipsi nequeunt constituere unum corpus sine Episcopo: aliàs, si considerentur, prout faciunt Capitulum, vel Collegium, constituunt unum

corpus, etiam non interveniente Episcopo per *cap. 30. de Rescript. cap. 14. de Excess. Prælat.*

Non obstat Concil. Trid. *Sess. 25. de Reform. cap. 6.* ubi de Capitulis etiam exemptis sic statutum fuit: *Episcopis in CAPITULO sit prima sedes, & locus, quem ipsi elegerint, & PRÆCIPUA OMNIUM RERUM AGENDARUM AUTHORITY.* Quomodo autem præcipuam rerum agendarum auctoritatem Episcopis potuisset Concilium attribuerè, si neque *pars Capituli* sint, neque votum *décisivum*, ut reliqui Canonici, habeant, sed aliorum duntaxat vota colligere, eaque sequi teneantur. At verò longè alium horum verborum esse sensum, quàm, quem AA. intendunt, patet ex Historia illius Conciliaris Decreti. Postquam enim in *cit. cap.* dispositum fuerat, qualiter in Ecclesiis Cathedralibus exemptis Episcopus contra delinquentes Canonicos procedere valeat, consequenter etiam ordinatum fuit, quis honor Episcopo, & auctoritas in processibus, & aliis actibus publicis in Ecclesiis exemptis competat, & statutum, ut Episcopis *ubique sit honor tribuatur qui eorum dignitati par est, eisque in choro, & in Capitulo, in processibus, & aliis actibus publicis sit prima sedes & locus* (præ aliis Prælati) *quem ipsi elegerint, & præcipua omnium rerum agendarum auctoritas* intellige quoad potestatem inquirendi, & corrigendi excessus delinquentium, nam de hoc solum puncto definiendo, & non de aliis negotiis Capitularibus in hoc capite agebatur. Vid. Gallemart, & Barbof. ad *cit. cap. 6.*

Trid.

TI-

TITULUS XII.

Ut Ecclesiastica Beneficia sine diminutione conferantur.

Aquissimum omnino est, ut, qui in Beneficii onera succedit, commodis quoque ejusdem perfruatur, juxta notissimam juris Regulam in *cap. 55. de R. J. in 6.* qui sentit onus, sentiat & commodum. Quapropter, ut Beneficia Ecclesiastica sine diminutione conferantur, præsentis Rubricæ, & nigro sub ea contento cavetur. Porro Beneficium sex omninò modis diminui potest. I. *Pensionis* impositione. II. *Reservatione*, ut dum Episcopus certam reddituum partem ante collationem Beneficii sibi, aut alteri reservat. III. *Suppressione*. IV. *Dis membratione*. V. *Unione*. VI. *Divisione*. Quæ omnia regulariter Episcopis tum *tot. b. t.* tum in *cap. 7. de Censibus cap. 30. in fin. de Præbend. Concil. Trident. Sess. 24. de Reform. cap. 14.* prohibentur. De singulis diminuendi Beneficii modis jam suo Ordine dicamus.

P A R S I.

De Pensione, & Reservatione.

§. I.

Quid sit Pensio? Et qualiter ejus impositio in collatione Beneficiorum Episcopis, aut aliis interdicta sit?

S U M M A R I A.

1. 2. *Quid, & quotuplex sit Pensio?* 3. *Plures differentiæ inter pensionem Laicam, & Ecclesiasticam assignantur.* 4. *Pensio Clericalis non venit nomine beneficium strictè dicti.*

Pensio juxta Cardin. in *Clem. 1. de supplend. neglig. Prælat.* ab eo sic dicitur, quod pendeat à Beneficio, sicut *ususfructus à proprietate*, & communiter à DD. describitur, quod sit *certa portio ex aliquo Beneficio Ecclesiast.*

siastico auctoritate superioris iusta de causa detracta, & Clerico, vel alteri constituta.

2 Dividitur Pensio in *Laicam* sive *temporalem*, & *Clericalem*, sive *Ecclesiasticam*. *Laica* est, quæ Titulo merè temporali, & ob ministerium merè temporale præstitum, vel præstandum Ecclesiæ, constitui, & Laicis etiam dari solet, ut Advocato pro Ecclesia patrocinanti, procuratori ad lites Ecclesiæ, Oeconomo &c. *Clericalis* dicitur, quæ in illo, cui conceditur, statum Clericalem exigit. Et hæc rursus vel est *simpliciter spiritualis*, vel *media*, seu *mixta*. Prior datur ob ministerium spirituale, v. g. *Coadjutori* Episcopi, *Vicario*, vel *Cooperatori* Parochi &c. Altera non ob ministerium spirituale confertur, sed ob aliam causam lucrosam, vel onerosam, puta Clerico seni, aut inopi ad vitæ sustentationem, vel ei, qui pinguius beneficium cum tenuiori permutavit, vel in favorem alterius resignavit, aut lite Beneficiaria cessit. Cabassut. *Theor. & Prax. Jur. Can. lib. 5. cap. 7. num. 4.* P. Schmalzgrueber *h. t. n. 2.*

3 Inter Pensionem *Laicam*, & *Clericalem* varias differentias collegit Barbosa *J. E. V. lib. 3. cap. 11. num. 17. & seqq.* veluti I. quod *Clericalem* obtinens gaudeat *fori* privilegio, non item is, qui obtinet *Laicam*, sive temporalem. II. Quod prior impetrans beneficium, teneatur facere mentionem *pensionis*, non verò posterior. III. Quod Pensio *Laica* non sit materia *Simonie*, quia est res temporalis, pretio æstimabilis, & quamvis à beneficio sit detracta, est tamen à titulo *spirituali* separata. Secus in Pensione *Clericali*, quam, cum in *spirituali* titulo, & officio fundetur,

vendere non licet, fructus tamen pensionis ad vitam locare, aut vendere, retento titulo, & Officii spiritualis obligatione, non prohibetur. Barbosa. *cit. cap. n. 25.* Bonacina *de Simon: quest. 4. punct. 13. num. 4. & seqq.* Imò notat *ibid.* Barbosa, de stylo Curia Romanæ ad evitandam omnis Simonie suspicionem neque pensionem temporalem vendi posse, & contravenientem privata auctoritate reum fore *Simonie Ecclesiasticæ*. IV. Quod collatio pensionis *Laicæ* facta illegitimo, subsistat. Non etiam pensionis *Clericalis*, quia illegitimus est irregularis, & inhabilis ad Ordines. V. Quod per matrimonium contractum à constituto in *Minoribus*, vacet pensio *Clericalis*, non verò *Laica*. VI. Quod pensionario Clerico, promotus in Episcopum, aut Religionem professus, vacet pensio *Clericalis*, non verò altera. VII. Quod ob pensionem *Clericalem* pensionarii teneantur recitare Officium B. M. V. ex *Constit. Pii V.* quæ tamen, teste Layman, non ubique recepta est. Pensio verò *Laica* pensionarium hac obligatione non onerat. Plures alias differentias Vid. apud Barbosa. *loc. cit.*

4 Quæres: An Pensio *Clericalis* (pensio enim *Laica*, cum non fundetur in titulo spirituali, nec statum Clericalem desideret, in quæstionem venire non potest) nomine beneficii strictè dicti comprehendatur? Respondeo non comprehendi. Ratio est, quod beneficium ex sua natura in perpetuum ministrorum, sive Clericorum usum ordinetur, & si vacat, alteri conferri debeat, Pensio verò ad modum *ususfructus* morte, vel renuntiatione usufructuarii, seu pensionarii etiam sine auctoritate Ord-

dinarii facta (secus, ac in beneficio) penitus extinguitur. Accedunt Textus in *cap. 4. de Præbend. in 6.* ubi illi, cui de Beneficio provideri mandatum fuit, vi hujus decreti non potest de pensionibus provideri. In *cap. 31. de Rescript.* pensio à beneficio distinguitur. In Concil. Trident. *Seff. 21. de Reform. cap. 2.* nullus permittitur sacris initiari ad titulum *patrimonii*, vel *pensionis*, nisi quem Episcopus pro necessitate, vel commo- ditate Ecclesiarum suarum judicaverit assumendum, secus verò ad Titulum

Beneficii. Et ita cum aliis tenent Petrus de Murga *de Benef. Eccles. Quest. 9. n. 13.* Fagnan. *ad cap. ad audientiam 11. de Rescript. n. 98. & seqq.* qui etiam ad propositas à *n. 75. usque ad n. 97.* Objectione respondet *num. 115. & seqq.* Illam tamen modificationem, quam facit Gonzalez *ad Reg. Cancell. Gloss. 5. §. 5. num. 2.* non respuimus, quod scilicet pensio tunc propriè sit beneficium, quando aliud beneficium dismembratur, & ex ejus proventibus novum erigitur.

§. II.

Quinam pensiones beneficiis imponere possint?

SUMMARI A.

5. S. Pontifex ex plenitudine potestatis omnibus beneficiis pensiones imponere potest. 6. In quibus casibus hæc facultas sit concessa Episcopis. 7. Pensio, quæ imponitur à S. Pontifice, est onus reale, illa vero, quæ ab Episcopo, onus personale.

5 Dico I. S. Pontifex pro plenitudine sue potestatis omnibus omnino beneficiis pensionem imponere valet. per *cap. 2. de Præbend. in 6.* Supposito tamen, quòd ejusmodi pensionis constitutio in utilitatem, aut necessitatem illius Ecclesiæ, quæ hac pensione oneratur, cedat. Guilielmus Benedicti *ad cap. Raynutius de Testam. de fideicomm. substit. part. 2. n. 36.* Nam, ut notat Card. Toletus *lib. 5. de instruct. Sacerdot. cap. 81. n. 4.* dispensationes Pontificiæ pro foro externo valent quidem semper, pro foro autem interno non aliter, nisi iusta causa *utilitatis*, aut *necessitatis* ipsius Ecclesiæ particularis, vel universalis nitantur, & ideò S. Bernardus *Lib. de considerat. cap. 10.* scribit: *Ubi necessitas urget, dispensatio ex-*

cusabilis est, ubi utilitas provocat, dispensatio laudabilis est: utilitas, dico, communis, non propria: nam, cum nihil horum est, non planè fidelis dispensatio est, sed crudelis dissipatio.

Dico II. Episcopi, aut alii Papa inferiores in certis duntaxat casibus ex justa, & rationabili causa, pensionem, non quidem *perpetuam*, sed *temporariam* Beneficiis imponere possunt. Pax Jordan. *vol. 2. lib. 9. tit. 1. num. 489. & seqq.* & quidem pro bono pacis, & concordie inter duos de beneficio contententes, si nempe alter de beneficio cedere velit, constituta sibi pensione. *cap. 21. de Præbend.* item ob paupertatem, vel senium resignantis, quia censetur causa necessaria, aut ad coæquandos fructus in permutatione beneficiorum,

rum, aut pro studio alicujus Scholaris pauperis, aut alio usu pio. Garz. *part. 1. cap. 5. num. 296.* Similiter licebit Episcopo ad expungendum æs alienum, quo Ecclesia gravatur, aut pro alia urgente necessitate, vel utilitate ejusdem fructus beneficii vacantis servare. *Arg. cap. penult. de V. S. & cap. 10. de Rescript. in 6. cap. un. h. t. & ibi Panormit. quibus causis cessantibus cessabit etiam fructuum subtractio, & beneficia iterum sine diminutione conferenda erunt. Ut colligitur ex cap. un. h. t. regulariter enim id genus reservationes fructuum in beneficiis vacantibus prohibita sunt, per cap. 5. de Offic. Ord. in 6. & cap. 40. de Elect. in 6. ubi dicitur, quod bona tempore vacationis ex beneficio obvenientia in utilitatem eorundem expendi, aut futuris successoribus debeant fideliter reservari. Nisi, ut in cit. cap. 9. limitatur, de speciali Privilegio, vel consuetudine jam legitime præscripta, seu alia rationabili causa aliquibus personis competere dignoscatur. Hæc ipsa tamen consuetudo non valebit, nisi in iis bonis, quæ deducto ære alieno, & ministrorum salariis supersunt. cit. cap. 9. §. porro. P. Reiffenstuel h. t. §. 1. num. 8. & 9.*

7 Quæres: An impositio pensionis sit onus reale, aut personale? Respon-
deo: ea, quæ à S. Pontifice imponitur, est onus reale, ipsique Beneficio adhæ-

ret, illa verò, quam Episcopus, aut alius inferior Prælatus constituit, onus personale est, ipsamque beneficiati, aut resignatis personam non egreditur. Ita tenent Garzias *part. 1. cap. 5. num. 334.* Van-Espen *J. E. V. part. 2. cap. 5. n. 15. & seqq.* Zypæus in *Analyti ad h. t. Controv. 3.* „ ubi ait: Probabilior, & magis usitata in hisce partibus opinio „ est, Episcopo non super beneficiis, „ sed beneficiatis tantum pensionis im- „ positionem concedi. Textus est in *cap. 21. de Præbend.* Atque inde ulterius dicti Authores concludunt, pensionem ab Episcopo impositam extingui morte beneficiati, nec transire in ejusdem successorem, tametsi pensionarius adhuc supervivat. Quod aliter se habet in pensione à S. Pontifice imposita, quæ instar *servitutis realis* ipsum beneficium afficit, & consequenter ad quemcunque beneficii successorem transit, quantumvis in litteris pensionis nulla mentio successoris facta sit, ut notant Gigas de *Pensionibus quest. 44.* & Fagnanus ad *cit. cap. 21. num. 28.* Quin dictus Gigas *quest. 51.* & Barbof. *J. E. V. lib. 3. cap. 11. n. 70.* autumant, pensionario competere actionem hypothecariam contra successorem tam universalem, hoc est, hæredem, quàm singularem ipsius beneficii pensione onerati, saltem pro terminis decursis, & non solutis in vita prædecessoris.

§. III.

Quæ Beneficia pensione gravari possint? Et qualiter?

SUMMARI A.

8. Regulariter pensio iis duntaxat beneficiis imponi potest, quæ habent redditus superfluos. 9. Beneficiis Patronatis potest Ordinarius imponere pensiones sine consen-

sensu Patroni, modo non sint perpetue. 10. S. Pontifex, tametsi possit, ejusmodi tamen beneficia gravare non solet, nisi exprimat. 11. Distributiones quotidiana oneri pensionum regulariter non subjacent. 12. Qualiter beneficio pensio imponi valeat? 13. Pensionarius ad collectas tam ordinarias, quam extraordinarias, abstrahendo à consuetudine contraria, tenetur. 14. 15. Duæ aliæ quæstiones ad hanc materiam spectantes resolvuntur.

8 **P**ro Regula tenendum est, quod pensio non nisi iis beneficiis imponi valeat, quæ redivisibus superabundant, tenuia enim beneficia sicut huic oneri ferendo paria non sunt, ita eodem gravari non debent. Non enim decet unum Altare discoopere, ut alterum cooperiatur: ait Panormitan. ad *cap. 9. de his, quæ sunt à Prelato n. 3.* Eapropter Concil. Trid. *Sess. 24. de Reform. cap. 13.* prohibet, ne imposterum Ecclesiæ Cathedrales, quarum redditus summam Ducatorum mille, & Parochiales, quæ verum annum valorem centum Ducatorum non excedunt, ejusmodi pensionibus, aut fructuum reservationibus graventur, ratio est, quod aliàs vix idonei beneficiati reperirentur, si ea indistinctè pensionibus onerare liceret, & plerique viri docti tales Parochias ob exiguos redditus fugerent, ac subinde cura animarum indoctis pastoribus cum maximo ovium detrimento committi deberet: unde stylus Curia Romanæ inolevit, teste Van-Espen *cit. part. 2. tit. 28. cap. 6. n. 5.* ut in signatura pensionis super beneficiis Parochialibus apponatur hæc clausula: *dummodo ex fructibus dictæ Ecclesiæ centum Ducati liberi pro illius Rectore pro tempore existente annuatim remaneant.* Valor autem dictorum centum Ducatorum æstimatur juxta valorem monetæ cujuslibet regionis, & Provinciæ, in qua beneficium est situm. Barbof. ad *dict. loc.*

Conc. Trid. num. 14. Van-Espen d. cap. num. 6.

Quæres: An Beneficia Patronata sine consensu Patroni pensionibus gravari possint? Item an hoc onus distributionibus quotidianis imponi queat? Respondeo, &

Dico I. Potest Ordinarius imponere pensionem beneficiis sine consensu Patroni, modo hoc onus non transeat ad successores. Ratio Conclusionis est, quod nullo jure cautum sit, ut adhibeatur consensus Patroni. Panormitan. in *cap. un. h. t. n. 20.* Ratio limitationis est, quod tali modo Patrono præjudicium inferretur, quippe qui ad beneficium non amplius liberum, sed gravatum præsentare posset. SS. Canones autem non sinunt Patronis, maxime Laicis, præjudicium inferri, ne in foundationibus, aliisque piis largitionibus absterreantur. Garzias *part. 1. c. 5. §. 2. num. 359.* Magnif. P. König *h. t. num. 43.*

Dico II. Potest S. Pontifex beneficiis Patronatis quibuscunque pensionem imponere, quod tamen regulariter facere non solet. Ratio primi membri petitur ex *cap. 2. de Præbend. in 6.* ubi Clemens III. dicit, quod omnium Ecclesiarum plenaria dispositio ad Romanum Pontificem pertineat, ita, ut & vacantia conferre, & jus in vacaturis tribuere valeat. Ratio secundi est, quod hac potestatis plenitudine cum dero-

G g ;

ga-

gatione juris alteri jam quæsitum uti non soleat, nisi id ipsum exprimat. Quare, si supplicans, tacita qualitate Juris patronatus, pensionem super tali beneficio impetraverit, pensio est *subreptitia*, adeoque nulla. Garz. *cit. loc. n. 361*. Pitonius *de Controv. patron. Tom. 2. allegat. 56. num. 1*. Card. de Luca *de Jur. patron. discurs. 66. num. 14*. Notat insuper P. König *ad b. t. num. 43*. quod pensionis constitutio, etiam à S. Pontifice facta, nulla, & invalida sit, si consensus ipsius beneficiati fuerit omisus, uti perspicue colligitur ex *regul. Cancell. 45*. ubi cavetur, quod litteræ reservationis, vel assignationis, etiam motu proprio cujusvis pensionis annuæ super alicujus beneficii fructibus expediri non possint, nisi de consensu illius, qui pensionem tunc persolvere debet.

11 Ad secundum quæsitum dico, *distributiones quotidianas* onere pensionis gravari non posse. Ratio est, tum, quod *distributiones quotidianæ* non computentur inter fructus, & proventus, qui pensionibus gravari solent, tum, quod durum videatur, ut de illis emolumentis, quæ dantur ratione servitii, ac laboris personalis, participet alius, qui nil laboravit. Card. de Luca *de Jur. patron. disc. 10. num. 8*. Paris. *de Resign. benefic. lib. 6. quest. 2. num. 29*. Limitationem vide apud Van-Espen *J. E. V. part. 2. tit. 28. cap. 7. num. 15*.

12 Qualiter autem pensio sit beneficio imponenda, jam breviter exponendum. Ad hoc ergo, ut pensione gravari valeat beneficium, debet illud vacare, nec alteri jam fuisse collatum; nam si fiat in ipsa collatione, pericu-

lum est pensionis *simoniaca*, ut patet ex *cap. un. b. t.* & notat Fagn. *ad cap. 21. de Præbend. num. 5*. Si post collationem pensio imponatur, rursus non valet, quis jus ad omnes redditus beneficiato per collationem jam quæsitum, sine ejus consensu restringi, aut auferri non potest. *l. 11. ff. de R. J.* Barbof. *de Offic. & Potest. Episc. part. 3. alleg. 58*.

Sed an talis *pensionarius* ad Ecclesiæ reparacionem, aliasque collectas ordinarias, vel extraordinarias pro rata teneatur, quæris? Respondeo, abstrahendo à consuetudine, ob commodum, quod sentit pensionarius, etiam ab onere proportionato jure communi non relevari. Caccialupus *de Pension. quest. 17*. Garz. *part. 1. cap. 5. n. 171*. Ordinariè tamen tales pensiones liberæ, & exemptas designari solere, ut onera præstationum penes solum Rectorem maneat, eoque sine minor pensio detur, notat Azor. *Tom. 2. cap. 9. q. 2. num. 7*.

Duo alia hic adhuc quæri possunt. 14 I. An valeat statutum, quo beneficiatus obstringatur, ut per annum, vel aliud tempus serviat Ecclesiæ, nec fructus interim percipiat, nisi peracto illo servitio, aut, si eum intra hoc tempus mori contingat, fructus hæredibus debeantur? II. An valeat consuetudo, aut statutum, quo à Canonico noviter recepto, aut recipiendo aliquid exigatur? Ad primum quæsitum ratio dubitandi petitur ex Concil. Trid. *Sess. 24. de Reform. cap. 14*. ubi S. Synodus improbat omnes consuetudines, vel constitutiones, vi quarum in quacunque collatione, provisione, vel admissione ad possessionem beneficii, vel præbendæ, certæ deductiones, solutiones, promif-

missiones, aut compensationes in alios, quàm pios usus vertendæ interponuntur. Attamen sub hac prohibitione non comprehenditur dictum statutum, quia vi illius nihil accipitur pro ingressu ad beneficium, nec illa fructuum reservatio cedit in utilitatem exigentium, nec fructus ipsi beneficiato auferuntur, sed tantum differuntur, & ita cum Garzia *part. 11. cap. 5. n. 138.* tenet Barbof. *ad cit. loc. Concil. num. 3. § 4.* Leurenus *in for. benefic. part. 3. Q. 103.*

15 Ad quæsitum secundum respondet Barbof. *cit. loc. num. 5. § 2. seqq.* consuetudinem exigendi aliquid à Canonicis noviter receptis, si id ipsum, quod offertur, pro fabrica Ecclesiæ, aut in alios usus pios convertatur, improbandam non esse, secus, si in ipsorum capitularium utilitatem cederet, ut resolvit Garz. *part. 8. cap. 1. num. 90.* Pannormitanus tamen hanc quæstionem, adhibita alia distinctione, resolvit, *ad c. 9.*

de Constit. num. 25. ubi dicit, si statuto capitularium cautum sit, ut quid à recipiendis exigatur, etiam in utilitatem Ecclesiæ convertendum, statutum illud non teneat, ob textum apertum in *cap. 9. C. 1. Q. 3.* ubi dicitur, à beneficiato nil exigi debere, etiam, ut illud convertatur in utilitatem Ecclesiæ, ne beneficia videantur pretio concedi. Sin vero consuetudine id introductum fuerit, consuetudinem damnandam non esse. Rationem disparitatis hanc assignat, quod *statutum* habeat initium *coactivum*, & paria suat, petere expressè, vel per statutum. *Consuetudo* vero habeat principium *voluntarium*, quatenus nempe noviter recepti spontanea, & libera voluntate potuerunt aliquid offerre, in utilitatem Ecclesiæ applicandum, ex quibus obligationibus voluntariis dein induci potuit consuetudo, & in hoc sensu etiam intelligi vult. *cap. 42. de Simonia*, ubi fusè tractantem vide *num. 4.*

§. IV.

De Anno deservito, Anno carentiæ, & de Annalibus, sive Anno gratiæ.

SUMMARI A.

16. Quid sit Annus deservitus? & an Canonicus, si intra Annum obeat, fructus deservitos ad heredes transmittat: aliorum sensa referuntur. 17. Nos pro rata temporis deserviti fructus heredibus assignamus. 18. Quod etiam de Pensionario intelligimus. 19. Non obstant contraria, 20. à quo tempore incipiat Annus in ordine ad computandos fructus pro rata temporis. 21. Quid sit Annus carentiæ? 22. Fructus Anni carentiæ ad heredes defuncti beneficiati transeunt. 23. Quid sit Annus gratiæ. quomodo hoc privilegium per Joannem XXII. fuerit modificatum? 24. S. Pontifex concedendo privilegium Annalium ad beneficia vacantia generaliter, etiam beneficia patronata completi voluisse præsumitur, tametsi non expresserit. 25. Episcopus regulariter privi-

vilegium Annalium concedere nequit. 26. Annus gratiæ, qui consuetudine, aut statuto introductus est, convenit cum Anno carentiæ, non item, qui privilegio concessus fuit.

Commodum hic se occasio offert, agendi de *Anno deservito*, & *Anno carentiæ*, qui in quibusdam Germaniæ Capitulis non tam jure communi scripto, quàm consuetudine, aut particularibus locorum statutis introductus fuit, nec non de *Annalibus*, sive *Anno gratiæ*, de quo extat constitutio Joannis XXII. in *Extravag. 2. de Elect.* & *Extrav. un. Ne sede vacante inter commun.* De triplici hac anni specie prolixè agit Bœhmerus ad *Tit. de Præbend. à §. 211. usque ad fin.* De ultima etiam Eminentiss. Vincentius Petra in *Comment. ad Constit. Apostol. Tom. 4. pag. 44. & seqq.* Lotter de *re benefic. lib. 3. Q. 20. num. 2. & seqq.* Nos, quæ à prælaudatis Authoribus plena manu nobis communicata sunt, compendiò referemus.

26 Igitur *Annus deservitus* à servitiis, denominationem habet, & denotat illa commoda, & reddituum emolumenta, quæ Canonicus ob servitia in Ecclesia sua actu jam præstita promeruit, sive, quatenus dies eorum *cessit* (ut verbis Bœhmeri utar) & beneficiario pro rata officii præstiti jus perfectum in ea quæsitum est, quocumque denum tempore dies eorum *veniat*. Contentiosa jam se insinuat quæstio, an, si Canonicus intra Annum obeat, totius anni fructus censeantur esse deserviti, sive pro servitiis præstitis debiti, ita, ut in hæredes totius anni fructus transmittantur, num verò pro *rata Anni* duntaxat, quo Canonicus mortuus est? Fuerunt enim Juris-Consulti ex prote-

stantibus quam plurimi, quorum aliquos allegat Bœhmerus ad *cit. tit. n. 229.* qui putarunt, horum annuorum reddituum diem *cedere* ab initio cujuscunque anni, & consequenter, mortuo Clerico, totius anni redditus in hæredes ejus transmitti, argumento desumpto ab aliis *salarariis*, quorum hæredes totius ultimi anni salarium, utut illi vel sub initium, vel sub finem anni decesserint, petere, & vindicare possunt per *l. 4. ff. de Offic. Assess.* & antiqui interpretes ibidem. Orthodoxis fortè DD. categoricam hujus dubii resolutionem dare, difficilius accidet, eo quod altera quæstio præjudicialis, *num Clerici reddituum, & fructuum domini fiant?* & *num testamenti factionem habeant?* adhuc in ancipiti hæreat. Fuerunt equidem, maximè ex antiquis, qui Clericis respectu honorum superfluum, prospectu Ecclesiæ acquiritorum, omne dominium abjudicârunt, & in horum sententia nihil de fructibus ultimi anni hæredibus defuncti Clerici attribui posse palam est. Sunt rursus alii, qui negant, Clericos jus testandi de bonis prospectu Ecclesiæ acquisitis vel consuetudine, vel dispensatione Apostolica acquirere posse, qua stante hypothese procul dubio nihil ad hæredes de fructibus deservitis pervenire potest, sed, quidquid à defuncto relictum est, ad Ecclesiam reverti debet. Alii ejusmodi beneficiarios *usufructuariis* comparant, & quod jus de his statutum est, illis applicant: sicut ergò inter *proprietaryum*, & hæredes *usufructuarii* taliter
fit

fit divisio, ut fructus *pendentes*, & ab usufructuario in vita nondum percepti transeant in dominium proprietarii, *percepti* verò ad hæredes usufructuarii transmittantur, §. 36. *J. de R. D. l. 25. §. 1. ff. de Usur. §. Fruct.* Ita eadem omnino partitio fructuum inter defuncti beneficiarii hæredes, & ejus in beneficio successorem servanda sit. Nos neutri sententiæ subscribimus. Negamus, beneficiarios jure usufructuorum censerì, utut aliquam inter utroque convenientiam dari concedamus. Dominium Clericis in bonis Ecclesiasticis non adimimus, uti nec testamenti factionem, si illa vel Apostolico indulto, vel consuetudine obtenta sit. Id quod suo loco inferius demonstrabimus.

17 Facimus subinde cum illis, qui fructuum *deservitorum* eam partitionem instituunt, ut pro rata temporis, quo defunctus beneficiarius Ecclesiæ *deservit*, fructus transmittantur in ejus hæredes, pars reliqua successori relinquatur. Hæc sententia patronos nacta est Covarruviam *lib. var. resolut. cap. 15. num. 12.* Ludovicum Molinam *de Majorit. Tract. 2. disp. 635.* Gigas *de Pension. quest. 53. num. 1.* Boehmerum *ad Tit. de Præbend. §. 232. §. pluribus seqq.* & alios complures, quos refert, & sequitur Garzius *part. 2. cap. 1. num. 97.* Rationem hujus asserti unicam duntaxat afferimus, solidam tamen, & efficacem, utpote in jure tum naturali, tum positivo fundatam, quia videlicet fructus, redditusve beneficii dantur propter officium, & servitium spirituale præstitum, quatenus beneficiarius inde sustentari, & onera beneficii tantò facilius sustinere valeat, æquum enim

est, ut, qui sentit onus, correspondens eidem sentiat commodum, & qui Altari servit, pro modo servitii de Altari vivat. Zypæus in *Consult. Canon. ad tit. de Success. ab intest. consult. 4. n. 3.* Unde sicut fructus dotis, qui marito ad matrimonii onera sustentanda, spectant ultimo anno ad maritum pro rata temporis illius anni quo onera matrimonii sustinuit. *l. 7. §. 1. ff. solut. matrim.* ita fructus beneficii pro rata temporis, quo illud beneficiarius administravit, oneræque sustinuit, ad hæredes eo decedente, pertinebunt.

Eadem conclusio procedit etiam in Pensionario, quem Gigas *de Pension. quest. 49. num. 53.* haud legitime usufructuario assimilat: licet enim in eo admittam parificationem, quod sicut usufructus morte usufructuarii extinguitur, ita decedente pensionario pensio expiret, tamen in aliis multis pensionarius ab usufructuario differt. Sic usufructus in fructibus, pensio verò in ipso beneficio constituitur, neque solvenda est pars fructuum, sed regulariter certa pecuniæ quantitas. Præterea pensio in eo quoque ab usufructu discrepat, quod iste ex quacunque causa constitui possit, pensio verò præcisè alimentationem pensionarii intendat; unde ei ad alimenta solvenda pro rata temporis, quo vixit, jus jam fuit quæsitum, ac subinde illud ad hæredes suos transmittit. Molina *cit. loc. num. 9.* Covarruv. *cit. cap. 15. num. 13.*

Et licet opponatur, quod *salaria*, quæ in singulos annos constituuntur, anno nondum elapso, exigì nequeant, eo, quod se habeant instar *compensationis*, quæ, antequam ministerium sive servitium præstitum fuerit, exigì nequit.

H h.

quit.

quit. Idem procedit in fructibus prædiorum rusticorum, qui certo anni tempore percipiuntur. hi enim, si alicui in vicem salarii dentur, eo demum tempore, & non prius præstandi sunt, cum percipiuntur. Similiter decimæ antea exigere nequeunt, quàm fructibus à solo separatis. Sic etiam *pensiones* ad certos dies restringuntur, ita, ut v. g. in die S. Martini, S. Michaëlis solvi debeant, quæ subinde, ante diei hujus adventum peti nequeunt, cum in hunc finem certus dies pensionibus solvendis dictus fuisse censetur, ut eo demum tempore efficax obligatio nascatur solvendi salaria, sive pensiones. Ad hæc tamen opposita respondetur, quod quidem recensiti fructus, salaria, aut pensiones *jure perfecto*, antequam dies *veniat*, exigere nequeant, hoc est, non potest totius anni salarium ante finem anni simul exigere, nec pensiones locationum, fructibus à colono nondum collectis, quia tamen & *labor*, & *pecunia*, ut juris-consultus ait in l. 10. *princ. ff. de Ann. legat.* divisionem recipit, hinc æquitas dicitur, ut, quatenus ministerium, pro quo annuum salarium promissum, præstitum est, eatenus jus in salarium successivè consequatur salarius, ac consequenter successivè, & per partes salarium annuum eidem præstetur, id quod etiam observantia communis confirmat, & hoc in omni ea divisione observari æquum est (scribit Zypæus *loc. cit.*) ubi proventus assignantur non præcisè jure domini, aut ususfructus, sed intuitu operæ, laboris, aut officii. Qua ratione etiam beneficiarius jus ad fructus sui beneficii, quo eidem deservit, jam consecutus est, ita, ut, infra annum eo dece-

dente, jus exigendi fructus pro rata temporis ad hæredes transmittatur. Aliis argumentis referendis supersedemus, cupidum lectorem ad Bœhmerum remittentes, qui hanc sententiam *cit. tit. §. 237. & seqq.* pluribus argumentis fortiter munit, & AA. assultus generosè retundit.

Illud porro indagandum jam est, 20 à quo tempore incipiat annus ipsi beneficiario in ordine ad emolumenta & beneficii proventus currere, nisi enim de hujus initio constet, accuratus calculus duci non potest, quid, quantumque pro rata temporis ipsius beneficiarii hæredibus ex fructibus debeatur. De hoc termino à quo Ecclesiæ Cathedrales mirè variant. In Episcopatu Abulensi Annum à *primodie Januarii* computari, testatur Garzias *cit. loc. num. 99.* In Hispania passim à Nativitate Domini Anni initium capitur, teste Molina *loc. cit.* „ In pluribus Ecclesiis (scribit Zypæus *cit. consult.*) annum computari consuetum „ est à festo S. Joannis, aut alterius „ Sancti pro cujusque Ecclesiæ observantia, eo, quod ad eum diem præcisè beneficiarii residentiam inchoare „ possint, & debeant; & revóluto „ anno ad eundem diem finiant: unde „ eundem computum fructuum ratio „ sequitur, ut ad ratam præstiti „ anno servitii debeatur rata fructuum, „ spondeatque ratum operæ pretium, „ quatenus operarius dignus est mercede „ de sua. Quæ doctrina, ut procedat, habendam quoque esse rationem residentiam, benè monet Bœhmerus ad *cit. tit. §. 258.* ita scilicet, ut non sufficiat, Canonicum defunctum ad aliquot menses anni ultimi vixisse, sed etiam de-

fide-

aderetur, ut residentiam inchoaverit, & pro aliqua temporis parte perfecerit. Nam redditus præbendæ dantur propter *Officium sacrum*, quod sine residentia perfici nequit. Interim, cum in plerisque Ecclesiis Cathedralibus ille rigor residentiæ, quæ secundum præscriptum Concilii Tridentini deberet esse novem mensium, consuetudine contraria fuerit mitigatus, & minus jam tempus sufficiat, v. g. semestre, trium mensium, aut tempus etiam brevius, iudico cum laudato Bœhmero, si Canonicus residentiam trimestrem v. g. ex integro absolvit, & deinde moriatur, hæredibus ejus integros fructus ultimi anni deberi, etiam in iis Capitulis, ubi *pro rata* tantum fructus deserviti censentur. Ratio est, quod fructus beneficiorum debentur Canonicis propter *Officium sacrum*; hoc vero juxta hodiernam consuetudinem Capitulorum censetur absolutum, si debito, & præscripto tempore Canonici residentiam absolverint, & ita fructus integri quoque deserviti videntur. An hæc doctrina procedat non tantum pro casu mortis, sed etiam resignationis, vide Bœhmerum *loc. cit.* §. 259. & seqq. qui similiter accuratè examinat, quomodo computatio fructuum ultimi anni fieri debeat, si ejus initium à certo aliquo Festo. V. G. S. Michaëlis ducatur, & qualiter illa instituenda, quando fructus ex *prediis rusticis* debentur, quia hi regulariter sub initium mensis Septembris maturari, & colligi solent. Hæc de *Anno deservito*.

21 Alius porrò Annus moribus variorum Capitulorum invaluit, qui vocatur **ANNUS CARENTIÆ** das *Carenz-Jahr*, vi cujus noviter præbendati, ab-

soluto Anno Claustrali, seu probationis, per unum, vel duos, imò etiam tres Annos redditibus carere debent, quantumvis interim æque ac alii Canonici, qui jam redditus percipiunt, *Officia sacra* obeant. Ne tamen gratis deservire videantur, sic proventus horum annorum reservantur, præstandi Canonici hæredibus, postquam is vita functus fuerit. Vocantur subinde isti *Anni carentiæ* generaliter *die Nach-Jahre*. Num vero isti *Anni carentiæ*, sive consuetudo reservandi, modo explicato fructus præbendæ jure defendi possit, aliquando dubitatum fuit, rationem dubitandi suggerente Concilio Tridentino *Sess. 24. de Reform. cap. 14.* quæ in collatione aut provisione beneficiorum, Canonicatum, aut præbendarum ejusmodi reservationes, aut fructuum deductiones detestatur, & posthac fieri vetat. Consulta desuper Sacra Congregatio Cardinalium Concil. Trid. interpretum sic censuit, *quod nec Decreto Concilii Tridentini Sess. 24. de Reform. cap. 14. nec Bulla Pii V. super hac eadem re edita comprehenduntur statuta Ecclesiarum deserviendo per annum, vel aliquod tempus, & nihil percipiendo interim de massa grossa, nisi peracto integro dicto servitio, vel quod post obitum hæredibus debeat, cum sit potius differre, quàm auferre.* Et in una Mediolanensi sic censuit: *Si in aliqua Ecclesia sit consuetudo, ut duobus primis annis, quibus quis fuerit Canonicus, fructus Canonicatus sint hæredum Antecessoris, iste casus non comprehenditur Decreto cap. 14. Sess. 24. nec Bulla Pii V. quod refert Leo cap. 32. num. 6.* Utramque hanc declarationem Garzias *part. 11. cap. 5. num. 138.* refert, qui *num. seq.*

H h 2

in-

insimul adducit Decisionem Rotæ, quæ ejusmodi consuetudinem ex hoc Capite approbat, quod eo sine fuerit introducta, ut post obitum Canonicorum provideri possit de iis, quæ ad sepulturam sunt necessaria, cum experientia priorum temporum docuerit, ejusmodi funeralia ob inopiam defunctorum Canonicorum fuisse neglecta, non sine magno Ordinis Ecclesiastici dedecore, unde hæc consuetudo nequitiam à Concilio *dist. Sess.* est reprobata, sed illa duntaxat, qua ejusmodi deductiones, aut reservationes fructuum pro admissione ad beneficium à noviter præbendatis exactæ applicantur mensæ Episcopi, vel mensæ Capituli, & inter antiquiores Canonicos dividuntur. *Rota decis. 660. per tot. part. 4. divers. Lotter de re benefic. lib. 3. Q. 20. n. 12. § 13.*

22 Circa fructus *Anni carentie* similiter quæritur: An, Canonico vita functo, ad hæredes ejus transeant? Affirmare nullus dubito, nam fructus hi intuitu illorum annorum præstantur, quibus defunctus eosdem ob servitium, sacrum à se præstitum jam promeruit; illa quippe carentia jus exigendi dictos fructus & redditus non tam abstulit, quàm distulit; quapropter inter annos *deservitos*, & annos *carentie* in effectu nihil interest, cum utrobique beneficiario jus ad proventus beneficii jam *deservitos* perfectè sit quæsitum, & consequenter ad hæredes transmissibile.

23 Jam etiam de *Annalibus*, sive de *Anno gratie* dicendum restat. De eo fit mentio in *cap. 10. de Rescript. in 6. & Extravag. 2. Joan. XXII. de Elect. & Extravag. un. Ne Sede vacant. inter*

commun. Per *Annalia* autem, sive *Annum gratie* nihil aliud intelligimus, quàm speciale quoddam indultum, quo certis quibusdam personis datur facultas, beneficio vacante, ejus fructus primo, aut ulterioribus annis percipiendi. Constituuntur ejusmodi *Annalia* vel per privilegium, vel per consuetudinem, aut statutum. Ut colligitur ex *d. Extrav. 2. de Elect.* quæ, cum à jure communi, quo jubentur Ecclesiastica beneficia sine diminutione conferri, vehementer exorbitent, strictè interpretari convenit. Olim eorum usum frequentiorum fuisse constat ex *dist. Extrav. 2.* quoniam vero in cultus Divini notabile detrimentum vergere visus est, eo, quod noviter de hujusmodi beneficiis provisi, fructibus primi anni, aut ulteriorum annorum in totum frustrarentur, sicque & ipsi cultus Divini, eorumque onerum, ac Officiorum spiritualium, quæ beneficiis adherent, curam negligerent, Joannes XXII. in *cit. Extrav. 2.* tale moderamen adhibuit, ut in beneficiis, quæ secundum decimarum proventus taxari consueverunt, ea summa taxata ipsi *Annalista* contenti sint, reliquis beneficii redditibus beneficiato relictis, aut, si malint, dimissa eidem beneficiato prædicta summa decimali, residuum sibi assumant: Electio autem percipiendi unam de istis duabus portionibus sit penès *Annalistam*, ut sic minus gravetur in eo, quod reliquum sibi aufertur: quod si tamen intra decem dies jure optandi *Annalista* usus non fuerit, electio ipso jure transit in beneficiatum. In beneficiis verò non taxatis fructus decimabiles in duas partes dividantur, quarum pars una beneficiato, altera dimidia *Annalista* ob-

veniat, cui partitioni si alteruter parere nolit, pars contradicentis volenti accrescat. Hac moderatione Joannes XXII. utriusque satisfactum iri credidit, ut & beneficiatus habeat, unde onera beneficii facilius supportare valeat, & Annalista, ne frustretur in totum effectum privilegii, vel consuetudinis. Vivianus ad *d. Extravag. 2.* Eminentiss. Vincentius Petra tom. 4. pag. 44. num. 1. qui num. 12. ait, sine absurdo hodie Annalia beneficiorum ad favorem alterius constitui posse ad formam *d. Extravag.* tam ex privilegio, vel statuto, quam ex consuetudine.

24 Quæres I. An, si S. Pontifex generalibus verbis concedat privilegium *Annalium*, censetur comprehendere voluisse etiam beneficia, quæ sunt *juris Patronatus Laici*? Rationem dubitandi videtur suggerere illa Regula generalis, quod Papa in dubio nunquam præsumitur velle uti sua potestate in præjudicium Patroni Laici per *cap. 32. C. 16. Q. 7. cap. 28. de Jur. Patron.* nec eidem derogare, quando derogatio non ad Ecclesiæ servitium, & cultus Divini incrementum, sed commodum duntaxat alterius privati cederet. Ut habet Pitonius *de Controv. Patron. tom. 1. allegat. 44. num. 21.* Verum contrarium dicendum cum laudato Petra *cit. tom. pag. 45. n. 15.* & Lambertino *de Jur. Patron. lib. 3. Q. 2. art. 8. n. 6.* quia per ejusmodi reservationem *Annalium* nihil quidquam præjudicatur Patrono Laico, nec enim impeditur in exercitio juris præsentandi, sed solummodo ad tempus portio fructuum beneficiato detrahitur. Quod ibi amplius firmat Petra adducta *Decisione Rotæ 320. n. 1. & seqq.* coram Mantica quæ dicit,

quod privilegia hujusmodi *Annalium* comprehendant omnia beneficia qualitercunque qualificata.

25 Quæres II. An Episcopus ejusmodi privilegia *Annalium* concedere possit in beneficiis sibi subjectis? Respondeo, regulariter, & de via ordinaria non posse, quia beneficia integra, & sine diminutione conferenda sunt, per *Rubricam & cap. un. ut Eccles. benefic. sine diminut.* Quodsi tamen urgeat justa quædam, vel necessaria causa, Episcopo vetitum non est, adhibito saltem consensu Capituli, redditus beneficii vacantis sibi subjecti ad pium, & laudabilem usum deputare. Gloss. in *Extravag. un. Ne Sede vacant. inter commun.* Passerinus ad *cap. 10. de Rescript. in 6. n. 22.* Lotter *cit. quest. 20. n. 6.* In suum tamen commodum citra dispositionem Apostolicam, fructus beneficii convertere non potest, per *cap. 10. de Rescript. in 6. cap. 9. de Offic. Ordin. in 6.* quod *cit. Petra num. 22. & seqq.* amplius declarat.

26 Quæres III. An hoc privilegium *Annalium*, sive *Annus gratiæ* sit aliquid distinctum ab *Anno carentiæ*? Boehmerus ad *Tit. de Prebend. §. 220.* existimat vocabulis tantum differre, non re ipsa, & ita accipit verba Joannis XXII. in *d. Extravag. 2. de Elect.* Nos à Boehmero non dissentimus, si loquatur de *Anno gratiæ*, qui per consuetudinem, aut statutum introductus est, cum enim ejusmodi consuetudines, aut statuta in eum finem condita fuerint, ut decedentibus beneficiatis, ære alieno multum gravatis, ex his *Annalibus* justa persolverent hæredes, & debita contracta expungerent, prout similem consuetudinem generaliter in Hispania vigere te-

statut Covarruv. in cap. 7. de Testam. num. 9. Gutierrez Q. Q. CC. lib. 1. cap. 29. num. 29. § 30. Rectè cum *Annis carentiæ* convenire dixeris, quia, sicut beneficiato, qui primis annis fructibus carere debuit, ejus hæredibus post mortem restituuntur, ita taliter proviso, ut pro primo anno medietatem duntaxat fructuum sui beneficii capiat, nullum fit præjudicium, siquidem, eo defuncto, hæredibus vigore hujus consuetudinis, aut statuti, altera medietas persolvitur, & sic nihil amittit, nec auferitur, sed tantum differtur solutio, prout firmat Garzias declarationibus Cardinalium S. Congregationibus part. 11. cap. 5. §. 1. num. 137. § seqq. Petra pag. 49. n. 26. Quòd si verò ejusmodi *Annalia* ex speciali favore Sedis Apostolicæ alicui concedantur, sunt actus *mere gratiæ*; nec dici potest, Annali-

stam habere aliquod jus strictè dictum ad ejusmodi fructus, utpote quos non tanquam stipendium propter Officium spirituale percipit, sed prorsus gratuito citra omne meritum, ideoque eosdem ad hæredes non transmittit. Aliter *Annus gratiæ* apud Protestantes consideratur, hi enim concedendo *Annalia* viduis, & liberis suorum pastorum prospicere volunt. Quia verò in Ecclesia orthodoxa ejusmodi impedimentis non decet onerari beneficiatos, eorum cura quoad *Annus gratiæ* nos non angit. Boehmerus cit. tit. à §. 289. usque ad finem harum personarum miserabilium, scilicet pastorum, eorumque uxorum patrocinium suscepit, cui tutelæ gloriam, & gratiam, quam ab istis hominibus iniit, neutiquam invidemus. Pergimus jam ad Partem II.

P A R S II.

De Suppressione Beneficiorum.

§. Unicus.

Quid sit suppressio Beneficii? Ex quibus causis, & à quo fieri possit?

S U M M A R I A.

27. *Suppressio beneficii regulariter est prohibita, certis tamen casibus honesta, & licita.*
 28. *Eam solus Episcopus, cum consensu Capituli facere.* 29. *Non tamen fructus beneficii suppressi mensæ Capituli applicare potest.* 30. *Competit eidem quoque facultas reducendi numerum Missarum ob tenuitatem reddituum, & raritatem Sacerdotum.* 31. *Declaratio Cardinalium autoritate Urbani VIII. edita, qua hæc potestas Episcopis rursus adempta fuit, usu non videtur esse recepta.* 32. *Beneficia in Ecclesiis vetustate collapsis an sint supprimenda, remissivè.*

Sup-

27 **S**uppressio Beneficii nihil aliud est, quàm totalis extinctio Beneficii, quæ suppressio, cum ad cultus Divini diminutionem tendat, regulariter non est concessa. *cap. 8. § 12. de Constitut.*

Dixi *regulariter*. Etenim ex causa id fieri posse, patet ex Trident. *Sess. 24. de Reform. cap. 15.* si scilicet in Cathedralibus, & Collegiatis insignibus frequentes, adeoque tenues sint præbendæ, quæ alendo, & sustinendo decenti Canonicorum numero, & gradui, pro loci, & personarum qualitate non sufficiant, nec per unionem, ut dicitur, provideri possit, eo, inquam, casu licebit aliquas ex iis suppressere, & si de *Jure Patronatus* laicorum fuerint, de consensu Patroni id fieri debet, qui tamen, si irrationabiliter dissentiat, poterit Episcopus, eo etiam invito, supposita causa justa de beneficio Patronato disponere, quia Patronus non debet impedire magnam Ecclesiæ utilitatem. *Panorm. ad cap. 8. de Constit. n. 5. arg. l. 7. princ. ff. de administr. § peric. Tutori* ex causa necessitatis potest tutor, etiam non confecto inventario, bona pupilli administrare, quòd aliàs, cessante necessitate, facere non posset. Præbendarum deinde suppressarum fructus reliquarum præbendarum distributionibus quotidianis applicandi erunt, ita tamen, ut tot præbendæ supersint, quæ Divino cultui celebrando, ac dignitati Ecclesiæ commodè valeant respondere. Est enim numerus Clericorum in Ecclesiis instituendus secundum facultates, & redditus ipsarum *cap. 1. de Instit. cap. un. de Stat. Monach. in 6. Garz. de Benef. part. 12. cap. 1. n. 2.*

Quæres: Cui competat facultas suppressendi beneficia? Respondeo, competere *solis Episcopis*, adhibito tamen consensu Capituli, utpote in re ardua, & mutationem status Ecclesiæ concernente. Ratio est, quòd Concil. Trid. *cit. loc.* hanc potestatem concesserit Episcopo non sub nomine *Ordinari* (sub quo aliàs Prælatus inferior jurisdictionem *quasi Episcopalem* habens, Capitulum *Sede vacante*, Vicarius Generalis Episcopi comprehenditur) sed sub nomine *Episcopi*, in verbis: *liceat Episcopis &c.* & ideò *solis Episcopo*, excluso Capitulo, Vicario Generali, & aliis Prælati jurisdictionem *quasi Episcopalem* habentibus, fuisse hanc facultatem indultam, declararunt Cardinales *ad cit. loc. Concilii n. 3.* & notant signanter Barbof. *ad cit. cap. Concil. num. 5. Moneta de Distrib. quotid. part. 1. c. 5. n. 30. Garz. part. 12. cap. 2. num. 75. § seqq.*

An verò Episcopus fructus beneficii suppressi, cum consensu Capituli, possit ejusdem Capituli mensuræ applicare, dubitatur? Respondeo cum Gloss. in *Clem. 2. de rebus Eccles. non alienand.* negativè. Sive bona Episcopi, & Capituli sint communia, sive divisa. Felin. *in cap. 8. de Constit. num. 22.* Quòd si verò fructus vellet applicare uni vel alteri præbendæ, id Episcopo non esse vetitum, defendit Felinus *loc. cit.* non item, si singulis Canonicis applicandi forent, eò quod major præsumatur affectio in his, quæ tangunt singulos, quam quæ concernunt universos, per *l. 2. C. quando, § quibus quarta pars.* ubi expressè dicitur, *naturali vitio negligi silere, quod communiter possidetur.*

Ex

30 Ex dictis colligitur, posse Episcopos ob tenuitatem proventuum in Ecclesiis, ubi nimis magnus est Missarum vel Anniversariorum numerus, ita, ut vel ob paucitatem Sacerdotum, vel ob exiguos redditus omnibus satisfieri nequeat, tanquam in casu necessitatis, aliquam suppressionem facere, & Missas ad minorem numerum reducere, Garz. de Benefic. part. 7. cap. 1. n. 124. Azor. Tom. 2. lib. 6. cap. 24. quest. 6. Bordonus de Legat. cap. 15. de Reduct. Miss. Q. 2. §. 5. num. 5. §. 17. quod ipsum jure novissimo Concil. Trident. Sess. 25. de Reform. cap. 4. concessum legitur, ut scilicet Episcopi in Synodis Diocesana, item Abbates, & Ordinum Generales in suis Capitulis facultatem habeant, re diligenter perspecta, moderationem aliquam adhibendi, seu Missas ad minorem numerum reducendi, prout in conscientia sua expedire judicaverint, ita tamen, ut eorum omnium defunctorum, qui pro animarum suarum salute aliquid reliquerunt, commemoratio fiat, cui quidem ex declaratione Cardinalium ad d.l. Concil. n. 2. in fine satisfieri poterit, vel in *Memento*, vel in *Collectis*. Sed, quia hodie, saltem in Germania, rarius habentur Synodi, ideo à S. Congregatione resolutum fuisse, refert Barbof. de Offic. Episc. part. 2. alleg. 29. num. 6. ut Episcopus prius Capituli sui consilium requirat, quam reductionem Missarum faciat. Hac tamen facultate Episcopus uti non potest in Missis particularibus *votivis*, tum pro *defunctis*, vel alio sine à personis particularibus pro justo stipendio sigillatim petitis (ut accidere posset in locis taumaturgis, ad quæ magnus peregrinantium numerus accur-

rens Missas, oblato stipendio, ad suam intentionem celebrari petit) quæ sine consensu petentium ad minorem numerum reduci nequitiam poterunt. Barbof. de Offic. Episc. part. 2. allegat. 29. num. 14. Navarr. Consil. 9. m. 9. & Consil. 11. num. 1. de Celebr. Miss.

Quamquam verò Barbof. in *Collectis*, 31 ad cit. cap. *Trid.* afferat declarationem Cardinalium auctoritate Urbani VIII. editam 21. Junii 1625. qua dicta potestas Episcopis, & Abbatibus concessa rursus fuit adempta, ex ratione, quod Episcopi se nimium faciles exhibendo in reducendis ejusmodi Missarum obligationibus potestate sibi indulta fuerint abusi, decretumque est, ut posthac Missarum reductio immediate à S. Congregatione Concilii *Trid.* peteretur, ut notat Card. de Luca in *Annot. ad Concil. Trid. discurs. 21. num. 9.* de ejus praxi tamen, & receptione merito dubitant Miranda in *Manual. Prælat. quest. 41. art. 24. ad fin.* Azor. part. 2. lib. 6. cap. 24. quest. 6. P. Engl. b. t. n. 7. Zypæus in *Consult. Canon. lib. 3. de Celebr. Miss. consult. 1.* eò quòd facultatem commutandi ultimas voluntates ab ipso Concil. *Trid.* concessam *dict. cap. 4. §. Sess. 22. de Reform. cap. 6.* nimium restringat, nec conveniens videatur, potestatem immutandi beneficii iis denegari, quibus omnimoda suppressio ex causa concessa est, ut dictum. In contrariam tamen sententiam abit Thom. Tambur. in *Method. celebr. Miss. lib. 3. cap. 1.* & dictam declarationem per totum orbem obligare, constanter asserit.

Notandum huc adhuc venit ex Concil. *Trid. Sess. 21. de Reformat. cap. 6.* Beneficia Ecclesiarum vetustate, aut, quæ aliàs propter inopiam reparari nequeunt,

queunt, neutiquam supprimenda, sed cum omnibus oneribus, & emolumentis ad alias potius Ecclesias transferenda esse in jam erecta, vel erigenda Al-

taria, seu Capellas sub iisdem invocationibus, de quo plura in *Tit. de Edific. vel reparand. Eccles.* suo tempore dicitur.

P A R S III.

De Divisione, & Dismembratione beneficiorum.

§. Unicus.

Quid Divisio? Quid Dismembratio beneficiorum? Et ex quibus causis utraque fieri possit?

32. Quid intersit inter divisionem, & dismembrationem beneficii? 34. Utraque regulariter est prohibita. 35. Requiritur eadem solemnitas, quæ in alienatione bonorum. 36. Quæ causa sufficiens ad faciendam divisionem? 37. Tria insuper in divisione beneficiorum observanda, quæ enumerantur. 38. Cur in Decretalibus frequentius prohibeatur beneficiorum suppressio, quàm eorum unio, ex Bæbmero ratio, & causa refertur. 39. Cur Ecclesia protestantium se dividerit ab unitate Ecclesie, ratio ex S. Augustino redditur.

33. **D**ivisio beneficiorum fieri dicitur, quando ex uno beneficio duo constituuntur. *Dismembrationem* fieri dicimus, quando titulo unius beneficii illæso remanente, fructus ejusdem duntaxat separantur, & alteri beneficio applicantur. P. Reiffenstuel *h.t.* §. 2. n. 21. §. 24. Castropalao *part. 2. Tract. 13. §. 10. num. 1. §. 3.*

34. Utraque regulariter est prohibita per *cap. 8. 20. 26. §. 36. de Præbend.* Si tamen causa justa interveniat, cessat prohibitio *cap. 3. de Eccles. adific. Conc. Trid. Sess. 21. de Reform. cap. 4.* ubi expressè statuitur, quod si ob locorum distantiam Parochiani sine magno incommodo ad percipienda Sacramenta, & Divina officia audienda accedere non

possint, Episcopis liceat, invitatis etiam Rectoribus juxta formam *d. cap. 4.* novas Parochias constituere, assignata Presbyteris noviter erectæ Ecclesie præficiendis arbitrio Episcopi congrua portione ex fructibus Ecclesie matricis, & si necesse fuerit, etiam populus ad suppeditandos sumptus, qui ad congruam sustentationem dictorum Sacerdotum necessarii fuerint, compelli possit.

Itaque requiruntur hæc eadem causæ, & solemnitates, quæ aliàs in alienatione rerum Ecclesie, ut consensus Capituli, vocatio Rectoris, aut defensoris &c. per *cap. 1. de rebus Eccl. alien. in 6. Garzias part. 12. cap. 3. latè Lotter de re Benefic. lib. 1. Quest. 28. n. 5. §. seqq.* Patroni tamen consensum, si

beneficium sit patronatum, non quidem de necessitate, de honestate tamen requirendum putat Panormit. qui, si sine iusta causa *divisio*, aut *dismembratio* fiat, contradicere potest. *per c. 31. C. 16. Q. 7.* quod itidem tenendum de consensu Parochianorum, aut prioris Rectoris Ecclesiæ, seu Parochi, qui simpliciter non requiritur. Concil. Trid. *cit. cap. 4.* citandus tamen, & audiendus erit, si rationabilem fortè contradicendi causam habeat. Piafeciis *in Praxi Episc. cap. 5. num. 1.*

36 Sufficiens autem causa erit periculum animarum oriens ex distantia locorum, & difficultate itinerum, cum nempe infantes moriuntur sine Baptismo, infirmi sine Sacramentis, aut fani diebus Dominicis, & Festivis Missam audire nequeunt. Imò Lotter *d. quest. num. 52.* resolvit, solam pinguedinem unius, & exilitatem reddituum alterius Ecclesiæ sufficere posse ad *divisionem*, aut *dismembrationem*, cum ex defectu reddituum vix acquirantur idonei ministri, illorum verò abundantia Parochis nonnunquam luxuriam, & vanitatis ansam præbeat. Quodsi tamen loci distantia, aut ipsius Ecclesiæ angustia aliter possit succurri, putà amplificando eandem, aut novam ædificando, *dismembrationi* locus haud erit, cum eam sola necessitas licitam faciat. *c. 1. de rebus Eccl. non alien.* Lotter *d. quest. num. 29.* Minus sufficere populi auctus numerus, si per plures ministros administrari possit. Concil. Trident. *d. Sess. 21. cap. 4.* Vid. Barbof. *ad cit. cap. Trid.*

37 Tria insuper in divisione beneficiorum attendenda esse per *cap. 3. de Eccl. adific.* monet Lotter *d. Q. 28. n. 51.*

I. Ut in erectione talis novæ Parochiæ jus præsentandi reservetur Rectori Ecclesiæ *matricis*, à qua fit *dismembratio*, supposito tamen, quod de suo quidquam contulerit, ut limitat cum Garzia *part. 5. cap. 9. num. 57.* Barbof. *in Collect. ad cit. cap. 4. Trid. num. 13.* quia ad acquisitionem *Juris patronatus* dos debet tempore foundationis assignari, non verò post eam, ut cum aliis docet Garz. *cit. cap. num. 58.* II. Ut novo Rectori pro sustentatione assignentur congrui redditus. Et III. ut competens honor Ecclesiæ matri reservetur, id est, annua quædam pensio, arbitrio Episcopi moderanda, in signum subjectionis.

Quærit jam Boëmerus, *ad tit. de Præbend. §. 206.* cur in Decretalibus plures Canones reperiantur, qui prohibent beneficiorum *divisionem*, quam *unionem*? & sic sibi respondet: *UNIONES magis inserviunt commodiori, & elegantiori vitæ Clericorum, questum augent, potentiam firman, & dominiati inserviunt: interim quia in fraudem Canonum, ut plurimum tendunt, dicuntur DICIS GRATIA prohibita, sed ex praxi antiquissima, & frequentissima ad res licitas, permissas, & non prohibitas relata. Econtrariò beneficiorum sectiones, & divisiones vires Clericorum diminuunt, commodiorem viam impediunt, potentiâque eorum deprimunt, id quod SALUTI ECCLESIE in sensu vulgato acceptæ, è diametro adversatur. Nec enim hodie amplius Episcopi modico contenti sunt, sed Principum more vivunt. Canonici, & Capitulares, reliquique Prelati illorum vestigiis insunt, deterioris conditionis esse recusantes, qui omnes tamen tot redditibus super-*

per suis abundant, ut rei Ecclesiastica expedit, divisiones illis imperare, & redditus superfluos usibus melioribus applicare. Habes argumenta prohibita divisionis, simulque rationis disparitatem, quod tam frequentissima occurrant uniones, sectiones vero rarissima occurrant

39 Boehmere, dic etiam nobis, quare Ecclesia protestantium opera MARTINI LUTHERI se divisit à Communionem Ecclesie Catholice? Respondebis, scio, quia Juris-Consultus cum Paulo Juris-Consulto in l. 26. ff. de Servit. præd. Urban. propter immensas contentiones, quas omnium temporum hæretici excitare soliti sunt, plerumque res ad divisionem pervenit, bene respondi. Audi nunc etiam, quid S. Augustinus de hac Divisione sentiat. Ille quippe, Serm. 265. in die Ascension. super illa verba Pauli Apostoli ad Rom. 5. Charitas DEI diffusa est in cordibus nostris, sic commentatur: Charitas ista non tenetur, nisi in unitate Ecclesie. Non illam habent DIVISORES: sicut dicit Apostolus Judas, cap. 1. HI SUNT, QUI SEIPSOS SEGREGANT, ANIMALES, SPIRITUM NON HABENTES. QUI SEIPSOS SEGREGANT: Quare segregant? QUIA ANIMALES, SPIRITUM NON HABENTES. Ideo desuunt, quia coagulum non habent charitatis. Ipsa charitate plena est gallina illa propter pullos infirmata, cum pullis humillians vocem suam, extendens alas suas: QUOTIES, inquit, VOLUI COLLIGERE FILIOS TUOS? Colligere, non divi-

dere. QUIA HABEO, inquit, ALIAS OVES, QUÆ NON SUNT DE HOC OVILI: OPORTET ME ET IPSAS ADDUCERE, UT SIT UNUS GREX, ET UNUS PASTOR. Merito non audivit fratrem contra fratrem interpellantem, & dicentem: DOMINE, DIC FRATRI MEO, DIVIDAT MECUM HÆREDITATEM. DOMINE, inquit, DIC FRATRI MEO. Quid? DIVIDAT MECUM HÆREDITATEM. Et Dominus, DIC HOMO. Quare enim vis dividere, nisi quia homo? Cum enim dicit alius, EGO SUM PAULI; ALIUS AUTEM, EGO APOLLO: NONNE HOMINES ESTIS? DIC HOMO, QUIS CONSTITUIT ME DIVISOREM HÆREDITATIS INTER VOS? Colligere veni, non dividere. IDEO, inquit, DICO VOBIS, CAVETE AB OMNI CUPIDITATE. Cupiditas enim cupit dividere, sicut charitas colligere. Quid est autem, CAVETE AB OMNI CUPIDITATE, nisi implemini charitate? Nos charitatem pro captu nostro habentes, interpellamus Dominum contra fratrem, sicut & ille contra fratrem: sed non hac voce, non hac postulatione. Ille enim dixit: DOMINE DIC FRATRI MEO, DIVIDAT MECUM HÆREDITATEM. Nos dicimus, Domine, dic fratri meo, teneat mecum hereditatem. Hæc ergo est genuina ratio, quare in Ecclesia nostra frequentius prohibeantur divisiones, non item uniones.

DEBE (o) DEBE

P A R S IV.

De Unione Beneficiorum.

§. I.

Quid, & quotuplex sit unio? & quotupliciter illa fieri possit?

S U M M A R I A.

40. Unio beneficiorum describitur, quæ alia est perpetua, alia temporalis. 41. Fit communiter tribus modis per confusionem, per subjectionem, sive accessionem, & per exæquationem. 42. Circa unionem subiectivam varii effectus panduntur. 43. Quid in effectu interfit, beneficia esse æqualiter unita? 44. Unio non præsumitur, sed probari debet, modi probandi recensentur.

40 **U**Nio, in præsentem nil aliud est, quàm beneficiorum, auctoritate Prælati Ecclesiastici facta conjunctio. Garz. de Benefic. part. 11. cap. 2. n. 3. Castropalao tract. 13. de benefic. punct. 12. §. 1. num. 1. sensus hujus definitionis ex dicendis patebit.

Dividitur unio in perpetuam, & Temporalem. Illa est, quando in instrumento unionis exprimitur ejus perpetuitas, ut in cap. 33. de Præbend. vel, quæ fit ad perpetuam rei memoriam, vel, quæ fit ad beneplacitum Sedis Apostolicæ, quæ nunquam moritur, cap. 5. de Rescript. in 6. vel denique, quæ fit ob necessitatem, vel utilitatem ipsius Ecclesiæ, cui fit unio, arg. cap. 1. Ne Sede vacante, eò quòd pariter Ecclesia non moriatur. P. Reiffenstuel h. t. §. 3. num. 37. Unio temporalis dicitur, quæ fit in commodum, & ad vitam ipsius Beneficiati, & ideò dispensatio potius, quàm unio dicenda est. Azor. tom. 3. lib. 6. cap. 28. Quest. 17.

Unio Beneficiorum per Gloss. in 41 cap. 48. C. 16. Q. 1. communiter receptam tribus potissimum modis fieri solet. I. Ut ex duobus beneficiis fiat unum, ita ut per hanc unionem alterum alteri neutiquam subordinetur, & tunc jura, consuetudines, & privilegia concessa uni, competunt & alteri, & si utriusque beneficii jura, & privilegia plura sint, aut sibi contraria, tunc illa retinentur, & conservantur, quæ humaniora, meliora, & favorabiliora apparent. Panormit. ad cap. 1. Ne Sede vacent. Rebuff. in Prax. Tract. de Unionibus. Tract. 1. num. 11. & seqq. Garz. part. 12. cap. 2. num. 7. & 10. Exemplum hujus unionis habetur in cap. 47. C. 16. Q. 1. ibi: Papa duos Episcopatus in unum redigere potest. II. Ut una Ecclesia subiciatur alteri, quo casu unita censebitur quasi extincta, & assumet naturam, qualitates, & privilegia Ecclesiæ principalis, cui ceu accessoria adhæret. arg. Clem. 2. de Præbend. Rebuff. d. l.

d. l. num. 15. Garz. num. 13. & Ecclesia, cui fit unio, dicitur *Mater*, unita verò *Ecclesia filialis* salutabitur. Gonzalez ad *Regul. 8. Cancell. Gloss. 5. §. 7. num. 15.* Notandum autem, hanc unionem, quæ etiam *accessoria*, & *subjectiva* communiter à DD. vocatur, ita fieri oportere, ut Beneficium *minus dignum* uniatur *magis digno*, v. g. *Ecclesia Parochialis* alicui *Præbendæ Cathedrali. cap. 6. de Præbend. in 6.* cum non deceat, ut magis dignum sit accessorium minus digni, & hæc unio priore frequentior est, solétque fieri eo fine, ut alterum Beneficium aliàs tenuium reddituum, auctiorem dotem pro congrua Beneficiati sustentatione recipiat.

42 Circa hunc uniendi modum DD. sequentes ponunt illationes I. inferunt Ecclesiam Parochialem, quæ hoc modo *Canonicatui*, aut dignitati *Cathedrali* unita est, non inducere incompatibilitatem. Garz. *part. 11. cap. 5. num. 195.* II. Nec ad *Canonicatum*, vel *Dignitatem*, cui dictæ *Parochialis Ecclesiæ unio* facta est, requiri ætatem 25. *Annorum*, sed sufficere ætatem requisitam ad ipsum *Canonicatum*, vel *Dignitatem*, modo *Parochia annexa* per idoneum *Vicarium* regatur. per *cap. 30. §. qui verò de Præbend. Garz. part. 12. cap. 2. n. 26.* *Piascius in Prax. nova Episc. part. 2. cap. 5. num. 21.* III. Nec in impetratione Beneficii, cui facta est unio, mentionem faciendam esse beneficium accessorii, sed solum principalis, cujus collatione facta, aut possessione accepta, habeatur etiam possessio beneficium uniti. Garz. *cit. loc. num. 12.* *Menoch. de R. J. Q. Cas. 205. num. 67.* IV. Nec in provisione talis dignitatis, annexam *Parochialem* habentis, faciendum esse *concursum* à Con-

cil. *Trid. præscriptum. Garz. part. 9. cap. 2. num. 193.* *Less. de J. & J. lib. 2. cap. 34. num. 82.* V. *Posse Episcopus* dispensare ad tale Beneficium simplex, cui *Parochiale unitum* est. *Steph. Gratian. Discept. forens. cap. 273. num. 47.* Vide etiam *Pax Jordan vol. 2. lib. 10. Tit. 32. n. 12. & seqq.*

III. Uniri possunt duo beneficia 43 æque principaliter, ita, ut utrumque in suo statu maneat, qualitates, & privilegia sua retineat, proprios redditus agnoscat, & unus duntaxat utriusque sit Rector, & eapropter, dum quis ex taliter unitis beneficiis alterum impetrare vult, utriusque mentionem faciat necesse est. *Garz. d. cap. 2. num. 37. & 39.* Quod si duo illa beneficia diversis Episcopis, vel *Metropolitanis* subsint, neuter per talem unionem jus conferendi, vel confirmandi amittit, sed ad collationem, vel confirmationem uterque concurrent, cum tamen ad unionem secundo modo factam sufficiat consensus Prælati majoris beneficium, quia accessorium non censetur vacare. *Garz. d. l. n. 47.*

Quoniam verò *Ecclesias*, vel *Præbendas* unire odiosum, & simul res facti est, eapropter unio non præsumitur, sed probari debet ab eo, qui factam asserit. *Menoch. de Præsumpt. lib. 6. Præsumpt. 80. num. 1.* Probatum autem juxta eundem Authorem, *d. l. & Mascard. de Probat. Conclus. 1419. per tot.* nec non per *Pax Jordan cit. tit. num. 21. & seqq.* variis modis. I. Ex paupertate, & inopia alterius beneficium, cui facta est unio, apparente, si illa pro causa unionis allegetur. II. Ex diuturnitate temporis, quo constat unionem fuisse observatam, & quidem, si adest Titulus ad præscribendum habilis, sufficiat

ficiet tempus 40. Annorum. per cap. 4. de Præscript. secus tempus immemorabile per cap. 1. de Præscript. in 6. cum allegans jus commune sibi in contrarium habeat. Nam de jure communi quælibet Ecclesia suum proprium, & distinctum Rectorem habere debet. per c. 15. de Præbend. III. Etiam probatur unio ex instrumentis antiquis, quia verba enuntiativa in ejusmodi instrumentis habent vim fame, quæ in antiquis plenè probat. IV. Eo casu, quo quis petit separationem beneficiorum, concludenter probatur unio per confessionem ejus, qui petit separationem. Sicut, qui petit divortium, fatetur Matrimonium. Cæterum si dubitetur, an unio

Beneficiorum accessorie, vel æque principaliter facta sit, juxta supra allegatos Authores, hoc dubium taliter submoveri, & resolvi potest. Si unum beneficium evidenter appareat dignius altero, aut si ex antiquis, iisque authenticis scripturis constet, alterutrum fuisse principale denominatum, unio præsumitur fuisse accessorie facta. Item ex residentia in altero, & ex fama id conjici potest, ubi verò non apparet alterum altero esse dignius, nec consuetudo, aut antedicta conjecturæ alterius præ altero eminentiam manifestant, utrumque beneficium æque principaliter fuisse unitum præsumendum est. Ita dd. AA.

§. II.

Quibus competat facultas uniendo beneficia? Et ex quibus causis ea uniri possint?

SUMMARI A.

45. Unire posse beneficia S. Pontificem, extra dubium est. 46. Quam potestatem etiam in Episcopo agnoscimus, limitate tamen, ut ne reservata S. Pontifici uniat, 47. Item in Legato à latere. 48. Duæ oppositiones annihilantur. 49. Non etiam hæc facultas competit aliis Prelatis inferioribus. 50. Ut unio beneficiorum subsistat, causa vel necessitatis, vel utilitatis adesse debet, & quæ illa? 51. Item vocandi quoque sunt illi, quorum interest. 52. Debet insuper accedere consensus Capituli. 53. Unionem rursus dissolvere possunt illi, qui unierunt.

45 **A**N S. Pontifex possit unire beneficia, frustra quæsieris, habet enim is plenariam in omnibus beneficiis majoribus, & inferioribus disponendi facultatem per cap. 2. de Præbend. in 6. & Clem. 1. §. fin. Ut lite pendente Sc. præprimis autem potestas uniendo Episcopatus privativè competit Papæ. cap. 8. de Excess. Prælat. cap. 47.

C. 16. Q. 1. Num verò facultas uniendo beneficia inferiora competat Episcopis, Legatis, Capitulis Sc. de hoc dubitari potest.

Dico igitur I. Episcopus, spectato 46 jure communi, potest ex rationabilibus causis, aliisque requisitis concurrentibus, unire beneficia suæ Diocæsis, modo illa non sint exempta, aut S. Pontifici

fici specialiter reservata. per *cap. 8. de Excess. Prælat. cap. 33. de Præbend. Clement. 2. de rebus Eccles. non alienand.* Ratio est, quod ad Episcopum omnis cura beneficiorum intra Diocesim suam sitorum spectet. *cap. 12. de Præscript.* limitavi tamen, *modo beneficia non sint exempta, aut S. Pontifici specialiter reservata.* Quia in beneficiis exemptis Episcopus nullam habet jurisdictionem. Barbof. *part. 3. de Offic. Episc. allegat. 66. num. 9.* & in specialiter reservatis Pontifici, hoc est, in iis, quorum collationem non modo quoad *Titulum*, sed etiam ad quamcunque aliam dispositionem sibi Pontifex retinere voluit, quia *ly dispositio* est verbum generale, complectens omnem disponendi modum; adeoque etiam illum, qui fit per unionem. Barbof. *cit. allegat. num. 7.* P. Reiffenfluel *h.t. num. 57.* si autem Papa sibi generaliter beneficia reservavit, vel specialiter quidem, sed tantum quoad *collationem*, hæc reservatio operatur effectum duntaxat *suspensivum*, hoc est, si Papa certum beneficium reservavit Titio, poterit quidem Episcopus tale beneficium unire, sed effectus hujus unionis eousque manebit suspensus, donec Titius moriatur, aut alio modo beneficium dimittat. Panormit. *ad cit. cap. 8. de Excess. Prælat. num. 7.* Magnif. P. König *h.t. num. 5.* Confer Concil. Trid. *Sess. 23. cap. 18. Sess. 24. cap. 15. & Sess. 21. de Reformat. cap. 5.* Castropalao *cit. tract. 13. punct. 12. §. 2. num. 3.*

47 Dico II. Legatus à latere, cum possit in Provincia legationis, quæ Episcopus in sua Diocesi, etiam poterit unire beneficia in Provincia sua legationis æque, ac Episcopus in sua Diocesi.

Panormit. *in d. cap. 8. de Excess. Prælat. num. 5.* Caccialupus *de Unionibus art. 3.* dummodo in aliis juribus, v.g. *visitandi, procurandi, corrigendi &c.* Episcopo non præjudicet, per *cap. ult. de confirm. Util.* de quibus solis, non verò de jure conferendi *d. cap.* intelligendum esse, notat Azor. *cit. lib. 6. cap. 28. q. 8.*

Huic Assertioni videtur obviare, 48 quod Legatus à latere juri communi derogare nequeat; unione autem beneficiorum fit aliqua vis juri communi, utpote, quod vult, ut cuilibet Ecclesiæ suus proprius Rector constituatur. *cap. 3. de Cleric. non resident.* Deinde potestas Legati à latere, quanquam ampla sit, juribus tamen Episcopi præjudicare non potest. *cap. ult. de Relig. domib. cap. ult. de confirm. Util.* At verò, si beneficia unire posset, præjudicaret juribus Episcopalibus, siquidem privaret Episcopum aliqua provisione beneficiorum in perpetuum.

Hæ tamen oppositiones conclusionem positam non concutiunt. Non prima; negatur enim, unionem esse contra jus commune, quin potius à jure imperari, supposito, quod causa necessitatis, vel utilitatis unionem fieri exposcat. Neque etiam per hoc quidquam juri communi adversum sit, quod unus tantum Rector duorum beneficiorum constituatur, siquidem non amplius duo sunt beneficia, facta semel unione. Ad alterum dicimus, per unionem factam à legato à latere tam parum derogari authoritati Episcopali, quam parum ei derogatur, per collationem beneficii à legato factam, quod jus ei in Provincia sua circa omnia beneficia competit. per *cap. 1. & 3. de Offic. Legat. in 6.*

Di-

- 49 Dico III. Prælati inferiores, jurisdictionem quasi Episcopalem non habentes, unionem facere non possunt, autoritate ordinaria, poterunt tamen autoritate speciali, legitimæ præscriptionis, consuetudinis, aut privilegii. Panormit. ad d. cap. 8. de Excess. Prælat. num. 3. Azor. d. cap. 28. quest. 11.
- 50 Quò verò prædicta Beneficiorum unio per Episcopos legitimè fiat, causa evidentis necessitatis, vel utilitatis adfit oportet. cap. 33. de Præbend. cap. 1. de Rebus Eccles. non alienand. in 6. qualis censetur, dum præbenda, cui unio faciendæ est, non habet sufficientes redditus, ita ut propter eorum tenuitatem non reperiantur, qui velint eam acceptare. dict. cap. 33. & Concil. Trident. Sess. 21. cap. 1. aut, si Ecclesia sit devastata ab hostibus, vel desolata. cap. 47. C. 16. Q. 1. cap. 2. de Relig. Domib. vel ob populi detrimentum. cap. 3. § ult. de Eccles. edific. vel, quando Ecclesiæ duæ sunt vicinæ, & pauperes, quæ ad sustentationem duorum non sufficiant. cap. 3. C. 10. Q. 3. Clem. 1. §. ad hæc de Stat. Monach. Causa utilitatis censetur adesse, si idonei Rectores, nisi unio fieret, non reperirentur, qui ipsum beneficium administrarent. Panormitan. ad cap. 33. de Præbend. num. 4. ubi etiam num. seq. notat, solam prærogativam personarum, etsi sufficere possit, ad dispensandum in pluralitate beneficiorum, non tamen esse causam sufficientem, unionis faciendæ, ex qua beneficio accessorie uniendo perpetuum præjudicium inferretur, cum in ejusmodi unionibus non particularis personæ favor attendendus, sed sola Ecclesiæ evidens utilitas, vel necessitas præ oculis habenda sit. Hæc autem causæ non præsumuntur, sed probari debent, & siquidem sine causa unio facta sit, illa ipso jure nulla est, Clement. 1. de Reb. Eccles. non alien. quia unio est species alienationis, quæ sine causa in rebus Ecclesiæ non permittitur, ut tit. seq. dicitur. Sin verò unio sit facta ex falsa causa, quamvis multi cum Garzia num. 113. doceant, eam esse ipso jure nullam, mihi tamen placet distinctio, quam invenio apud Mascardum de Probat. Conclus. 1420. num. 9. § 10. videlicet, videndum, an unio facta sit à S. Pontifice, num verò ab inferiore Prælato. Si à S. Pontifice, tunc vel facta est motu proprio, vel ad supplicationem partis, falsam causam suggerentis. Si motu proprio, unio valet, si ad suggestionem partis, nulla est unio, quia in rescriptis S. Pontificis illa clausula semper subintelligitur: si preces veritate nitantur. cap. 2. de Rescript. Quòd si unio facta est ab Episcopo, illa non est ipso jure nulla, quia falsa causa etiam in aliis negotiis non impedit domini translationem, licet detur actio ad repetendum. l. ult. ff. Usufruct. quem adm. caveatur. quamquam probata falsa causa annullari possit, & ita pluries decidisse Rotam testatur Mascardus l. c. num. 1.
- Præter causam legitimam etiam, si necesse est, vocare eos, quorum interest. d. Clem. 1. §. ad hæc de Stat. Monach. Interest autem eorum, quibus competit jus præsentandi, conferendi, & administrandi, ut Patrono, si is Laicus est, & ex fundatione, dotatione, aut constructione jus Patronatus habeat. Azor. d. Quest. 12. collatori Prælato, quibus per unionem præjudicium fit in præsentando, conferendo &c. per c. 20. de

de Jur. Patron. Consensus verò Re-
storis, sive possessoris beneficii unien-
di non requiritur, cum illi nullum in-
feratur præjudicium, utpote unione
primum post ejus mortem, seu vacatio-
nem suam sortiente effectum. *Clem. 2.
de reb. Eccles. Azor. d. Quest. 12.*

Dices: per talem unionem saltem
libertatem permutandi, aut resignandi
in alterius favorem impediri. Respon-
deo, hoc præjudicium ex eo non esse
considerabile, quod tam *permutatio*,
quàm *resignatio* non sint in arbitrio be-
neficiati, sed id dependeat à superio-
rum voluntate, & hi modi comparan-
di beneficia, cum sint extraordinarii,
debent cedere utilitati communi, ob
quam unio beneficiorum fieri consue-
vit.

52 Demum, ut unio beneficiorum sub-
sistat, adhiberi etiam debet *consensus*
Capituli, vel Conventus, si Episcopus,
vel Prælati alius juxta dicta, unionem
facere velit. *d. Clem. 2. de Rebus Eccles.
non alien. non obstante, quod Concil.
Trid. Sess. 21. cap. 5. Episcopis facultatem
uniendi concedat, tanquam Sedis
Apostolicæ delegatis, quia tamen ibidem
addit, ut juxta formam juris procedant,
ideò consensum, qui de forma jure
communi exigitur, exposcere debent,
& ita S. Congregat. Cardin. resolvisse
refert Garzias num. 158. sufficit tamen
hunc consensum unioni jam factæ ac-
cedere. Steph. Gratian. *discept. forens.
cap. 278. num. 30. Boërius decis. 345.
num. 3. & 4.* Quòd si Capitulum irra-
tionabiliter contradicat, ad consensum
impertiendum à Papa compelli, & si
causa necessitatis notoria fuerit, Epi-*

scopus, illo etiam invito, ad unionem fa-
ciendam progredi poterit. *Azor. tom. 2.
lib. 6. cap. 28. quest. 12.*

Quæres: An iidem, qui possunt
unire beneficia, etiam possint disunire,
sive unionem dissolvere? Respondeo
affirmativè. Utrumque enim ad pote-
statem jurisdictionis spectat. *Azor. cit.
cap. 28. quest. 21. & præterea omnis
res per quascunque causas nascitur, per
easdem dissolvitur. cap. 1. de R. J. & ea-
dem auctoritas, quæ requiritur in con-
stitutione actus, etiam in illius destru-
ctione requiritur Clem. 2. de Elect. & in
terminis revocationis unionis est Tex-
tus in cap. 8. de Excess. Prælat. Fagnan.
in cap. 1. Ne Sede vacante. n. 36. & seq.
Causæ autem dissolvendi unionem be-
neficiorum esse possunt, v. g. augmen-
tum reddituum, si propter tenuitatem
facta est unio. cap. 9. de Constit. Clem. 1.
§. *adhec de stat. Monach.* incrementum
populi, si facta est ob deficientiam, pu-
tà tempore pestis, belli. cap. ult. de Pa-
roch. Et quia in dissolutione unionis
æque requiritur causæ cognitio, ac in
conjunctioe, illi etiam, quorum in-
terest, vocandi erunt. *Azor. cit. lib. 6.
quest. 19. in fin.* Effectus hujus disso-
lutionis est, quod beneficium unitum,
facta dissolutione, redeat ad statum
priorem, in quo ante unionem fuit,
resumâtque priores qualitates, quas
ante unionem habuit. cap. 1. Ne Sede
vacante. V. *Ut unione dissoluta Mona-
sterium vestrum reduceremus in statum
antiquum.* Actus tamen durante unio-
ne secuti non revocantur per regulam in
cap. 73. de R. J. in 6. Vid. Fagnan. ad
cap. 1. Ne Sede vacante. n. 43. & 2. seqq.*

K k

TI-

TITULUS XIII.

De Rebus Ecclesiæ alienandis, vel non.

Quanquam Episcopis, aliisque Prælati in Ecclesias sibi subiectas, earumque bona ampla sit collata potestas per *cap. 3. C. 10. Q. 1.* ea tamen tam libera non est, ut pro nudo voluntatis suæ arbitrio de iis disponere valeant. Non enim sunt *domini*, sed *dispensatores* rerum Ecclesiasticarum *cap. 13. C. 12. Q. 1.* Unde, qui limites in dispensandis, & alienandis rebus Ecclesiasticis Prælatorum potestati positi sint, sub præsentis Rubricæ exponitur.

§. I.

Quid sint res Ecclesiæ? Quando, & ex quibus causis earum alienatio interdicta fuerit?

SUMMARI A.

1. *De rebus mobilibus, & immobilibus præmittitur doctrina generalis.* 2. *Quid sit res mobilis?* 3. *Alia est pretiosa, alia non pretiosa.* 4. *Res immobilis alia est naturaliter, alia civiliter talis.* 5. *Ad quam speciem reducenda sint res incorporales?* 6. *Item actiones?* 7. *An pecunia ad res immobiles comparandas destinata sit res immobilis?* *Sententia affirmativa refertur.* 8. *Negativa eligitur.* 9. *Et respondetur ad opposita.* 10. *Quid sint res Ecclesiæ, & quid per Ecclesiam intelligatur?* 11. *Res Ecclesiæ sunt vel merè temporales, vel spirituales, & ille vel antecedenter, vel consequenter tales.* 12. *Quibus aliis nominibus res Ecclesiæ efferantur?* 13. *Bæhmeri impudens crisis castigatur.* 14. *Quando bona Ecclesiastica alienari prohibita fuerint?* 15. *Et ex quibus causis?*

DE Rebus Ecclesiasticis acturi, præmittimus doctrinam juris generalem de rebus mobilibus, & immobilibus. Res equidem, si vocis huius homonymiam spectemus, latissimæ significationis est, ut vulgò vocabulum *transcendens* appelletur, utpote quod ad omne ens, & non ens referri queat. *Coëddæus in Comment. ad l. 5. ff. de V. S.* num. 4. Nos, dimissa hac cura, & investigatione, rem in duplici duntaxat specie consideramus, in quantum nempe vel *mobilis*, vel *immobilis* dicitur. Res *mobilis* illa audit, quæ de loco ad locum salva, & integra moveri potest, vel à se ipsa, ut homo, pecus. *l. 93. ff. de V. S.* vel ab alio, ut gemma, annulus.

lus. l. 17. ff. de auro, argent. legat. item ædificia temporaria, quæ de loco ad locum transferuntur. l. 18. ff. de act. empt. l. 60. ff. de A. R. D. & ejusmodi res in vernacula nostra vocantur *wegliche Güter, Fahrnuß*.

3 Res mobilis rursus vel est pretiosa, & servando servari potest, vel non pretiosa, quæ servando servari nequit. In censum rerum pretiosarum veniunt vasa aurea, argentea, Bibliotheca copiosa, grex ovium, &c. si loquamur de rebus Ecclesiæ, Reliquiæ, & ipsa Sanctorum, ornamenta, & alia, quæ sunt de thesauro Ecclesiæ, ejusque singularem promovent splendorem. Ad res mobiles non pretiosas referuntur oleum, frumentum, fructus, pecudes, vestes pleræque, pecunia usui quotidiano deserviens, quæ aliàs retenta sterilis est, nihilque emolumenti adfert. Molina Tom. 2. disp. 465. num. 4.

4 Res immobilis in vulgari sensu juris vocatur illa, quæ de loco ad locum salva, & integra moveri nequit, & hæc vel est naturaliter, vel civiliter talis. Ad priorem speciem reducimus res, quæ ex natura sua moveri nequeunt, ut est fundus, ager, domus &c. & quæ iisdem naturâ coherent, l. 40. ff. de A. E. V. l. 3. §. 15. ff. de Vi & Vi armat. ut sunt arbores solo coherentes, & affixæ. l. 7. §. 5. ff. Quod vi aut clam. Nota tamen cum Magnif. P. König h. t. num. 6. quod arbores cæduæ, quæ in hunc finem destinatae sunt, ut cædantur, item gramen, aut alii fructus, quos tellus progignit, tametsi rebus immobilibus, quamdiu adhuc pendent, fundoque coherent, accenseri mereantur, l. 44. ff. de R. V. Separati tamen potius pro rebus mobilibus habentur

di sint, & ideo sub prohibita alienatione non veniant. Civiliter res immobiles dicuntur, quæ quidem de se moveri possunt, quia tamen ad res immobiles, earumque usum, & ornamentum perpetuò destinantur, rerum quoque immobilium naturam assumere videntur. Huc spectant mancipia rustica, sive servi glebæ, aut fundo excolendo perpetuò adscripti homines, cap. 5. h. t. Nov. 7. cap. 1. item ædificia non ad tempus posita l. 7. §. 10. l. 60. ff. de A. R. D. horologia ædibus affixa l. 9. §. 2. ff. Quod vi aut clam. Pisces propagationis causâ in stagnum coniecti, & alia id genus, de quibus videantur textus in l. 13. §. fin. & LL. seqq. ff. de Act. empt. quo etiam probabilius molendina navalia, & pneumatica, Schiff- und Windmüllten reduci debent. Clariss. D. D. Peregrini ad Tit. J. de reb. Corp. n. 2.

5 Quæres: Ad quam classem reducendæ sunt res incorporales, ut sunt jura venandi, piscandi, exercitium jurisdictionis; item census, & redditus annui, si ex fundatione, vel aliàs in perpetuum constituti sunt, ea intentione, ut salvo capitali, interesse annuum sustentatione v. g. Clericorum applicetur? Resp. ejusmodi res incorporales propriè nec res immobiles, nec mobiles dici posse, sed constituere tertiam quandam speciem, ut patet ex l. 15. §. 2. ff. de re Jud. attamen rebus immobilibus accensendas esse, evincunt textus in Clem. 1. h. t. Clem. Socii de V. S. l. ult. §. ult. C. de Præscr. long. temp. Nov. 7. cap. 1. Panorm. in cap. 5. h. t. num. 10. Covarruv. lib. 3. V. R. cap. 7. num. 2. Molin. loc. cit.

6 Sed quorsum actiones referemus? Dico, esse referendas ad res immobiles

si ad eas tendant, ad res verò mobiles, si illas persequantur. Qui enim actionem habet, rem ipsam habere videtur. *l. 15. ff. de R. J. Panormit. ad cap. 5. b. t. num. 9.* Clariss. D.D. Collegæ D. de Herz in *Cive beato part. 1. cap. 4. num. 7.* D. Peregrini *ad cit. tit. n. 2.*

7 Illud ab utriusque fori DD. in litem trahi video: An pecunia ad res immobiles comparandas destinata rebus immobilibus accensenda sit? Qui affirmativam tumentur, quorum è numero sunt Quaranta in *summa Bullar. V. alienatio rerum Eccles. num. 25.* Piascius in *Praxi Episc. part. 1. cap. 5. artic. 4. num. 19.* & ex hujatibus Clariss. D.D. P. Engl *h. t. num. 7.* D. Franz *p. m. ad tit. J. de rebus Corpor. D. Peregrini eod. tit. num. 3.* D. Gletle *part. 1. select. Q. Q. quest. 12. num. 3.* & alii, nituntur autoritate *l. 1. §. 3. ff. de Pollicit. l. 19. §. 11. l. 22. ff. de Auro, legat. cap. 21. §. 1. Sent. excomm. in 6.* Ex quibus textibus erui videtur, quod destinatum habeatur pro re, sive actu perfecto, & quod paria sint, aliquid esse factum, aut fieri destinatum. Accedunt textus alii in *l. 1. §. seqq. ff. pro Socio*, ubi mutua destinatio omnium bonorum ad societatem rem communem facere dicitur, & in *l. 3. §. 6. ff. de Contr. tutel. §. util. a. t.* ubi tutor ex pecunia pupilli ad prædiorum comparationem destinata, nec sibi, nec aliis solvere potest, quod destinatione non facta, sibi vetitum haud esset. Accedit ratio, quòd in pecuniis principaliter spectandus sit valor impositus *l. 1. ff. de Contrab. empt.* atque adeo illa destinatio jam facit, ut spectari debeat tanquam mensura rei immobilis.

Qui negativam tumentur, in quam & nos inclinamus, non uno juris suffragio opinionem suam suffultam reperiunt, sic in *l. 55. §. 7. ff. de Legat. 3.* dicit Ulpianus: *Si lignum sit paratum ad carbonem coquendos, atque conficiendos, ait Osilius l. 5. juris partiti, carbonum appellatione hujusmodi materiam non contineri.* Et in *l. 58. §. 1. ff. pro Socio* idem juris-consultus ait, solam destinationem pecuniæ ad societatem, ab uno factam, non facere rem communem: ergò sola destinatio alicujus rei non facit, ut deposita nativa sua qualitate, induat naturam illius rei, ad quam destinata est, & propterea pecunia, tanquam res de se mobilis, ex sola destinatione ad rem immobilem comparandam immobilis dici nequit.

Ad opposita jam responderetur, & quidem I. ad illas gnomas: *Quod destinatum habeatur pro actu perfecto. Et quod paria sint, aliquid esse factum, aut fieri destinatum*, tum demum habere locum, quando vel id operis, ad quod aliqua res destinata est, jam ceptum, & inchoatum est, ut ex *l. 1. §. 3. ff. de Pollicit.* constat, vel solo animo, & intentione perfici potuit. Gail. *l. 2. observ. 11. num. 4. §. 5.* Ad *l. 1. §. seqq. ff. pro Socio* facile responderetur, mirum videlicet non esse, quod ex mutua destinatione bonorum, etiam ante collationem, res inter socios fiant communes; nam hoc est de natura hujus contractus, qui solo consensu perficitur, nec ad sui perfectionem traditionem exposcit. Ad *l. 3. §. 6. ff. de Contrat. tutel.* reponitur, quod hæc opportunitas rationum minoris, & plerumque interventus prætoris, non verò destinatio pe-

pecuniæ exigat. Nec etiam officit *cit. cap. 21.* quod *Novitium*, qui ad religiosam vitam præparatur, habeat pro *professo* quoad privilegium *Canonis*; id equidem non est de natura ipsius religiosi tyrocinii, sed ex dispositione juris speciali provenit. Esse autem aliquam rem *mobilem*, aut *immobilem*, est de qualitatibus rei naturaliter inhærentibus, ideoque sola animi destinatio tali, vel tali qualitate affectam reddere non potest. Ad rationem, quod pecunia propter valorem sibi impositum sit mensura rei *immobilis*, atque adeo rei immobili adnumerari conveniat, negamus, hanc illationem esse legitimam, etenim si pecunia in *concreto* spectetur, ut *corpus*, merito rebus *mobilibus*, & corporeis adnumeratur; si in abstracto, tanquam valor, sive æstimatio, in classem rerum *incorporalium* reponi meretur. Vid. *Nov. 4. cap. 3. l. 95. ff. de Legat. 3. l. 94. §. 1. ff. de Solut.* His generaliter præmissis

10 Dicimus *res Ecclesiæ* illas appellari, quæ in proprietate Ecclesiæ existunt. Per *Ecclesiam* autem in sensu præsentis rubricæ intelliguntur omnia loca pia, cultui Divino autoritate Ecclesiastica specialiter deputata. Auth. *Hoc jus porrectum C. de SS. Eccles.* quæ à SS. Canonibus recepta, ac veluti Canonizata in *cap. 2. C. 10. Q. 2.* Item ex *Extrav. ambitiose inter commun. b. t.* in illis verbis: *locorumque piorum quorumlibet.* Panormit. in *cap. 5. b. t. num. 14.* Layman. *ad d. cap. n. 5. P. Wiestner Tract. de Alienat. Canon. part. 1. art. 1. num. 1.* Unde sub nomine Ecclesiæ hic veniunt non solum templa DEO dicata, sed etiam *Monasteria* utriusque sexus. *Clem. 1. b. t. cit. Extrav. ambitiose eod.*

Item *Oratoria*, *Capellæ*, & *Altaria* ritè consecrata. Redoanus *de Alienat. rer. Eccles. quest. 49. num. 5.* Nec non *Confraternitates*, & *Sodalitia* Laicorum, sicut & *Hospitalia*, & *Xenodochia* pro recipiendis, & hospitandis peregrinis autoritate Ecclesiastica erecta. Pignatell. *Tom. 4. consult. 21. per tot.* ut subiade, quæ de prohibita alienatione in favorem Ecclesiæ sub præsentis titulo statuta sunt, merito ad prædicta loca extendenda sint, cum etiam quoad immunitatem, & alia privilegia Ecclesiis æquiparentur. Redoan. *d. quest. P. König b. t. num. 5.*

Res Ecclesiæ (sub quo vocabulo *re* comprehendimus alia quæcunque bona, & jura ejusdem) quædam sunt mere *temporales*, ut *castra villæ*, *domus*, *fundus*, *pecunia*, & id genus alia, quæ in se nihil spiritualitatis habent, nec etiam ex institutione Ecclesiæ spiritualibus sunt annexa, licet lato modo sumptæ eo sensu *spirituales* dici possint, quatenus nempe à fidelibus ad honorem DEI, & Sanctorum, & Ecclesiæ ministrorum sustentationem oblata fuerit, & defacto ad Ecclesias spectant. Habet Ecclesia alias quoque res, quas vocat vel *antecedenter*, vel *consequenter* spirituales. In priorum censum veniunt illæ res, quæ quidem in se sunt quid mere temporale, quia tamen habent se per modum subjecti aliquid spirituale per modum formæ recipientis, sicque cum illo unum compositum Physicomorale efficiunt, dicuntur *antecedenter* spirituales, tales res sunt Ecclesiæ, *Capellæ*, *Altaria*, *Calices*, *Vasæ*, & *Vestes sacræ*, aliæque hujusmodi, quæ sibi annexa *spiritualia*, v.g. consecrationem, vel benedictionem antecedunt, & ad ea

veluti subiecta præsupponuntur. Res spirituales consequenter tales dicuntur, quæ spirituale tanquam causam, fundamentum, & radicem præsupponunt, cuiusmodi res sunt beneficia Ecclesiastica, sive jura percipiendi redditus beneficiale, ut sunt decimæ, primitiæ, oblationes, quæ præsupponunt officium, & ministerium spirituale, propter quod hæc jura conceduntur. P. Wiestner cit. *Tract. art. 1. num. 3. § 4.* Eximius D. P. Beda Schallhammer in *Thefib. Canon. ad Tit. de Simon. cap. 1. §. 1.*

12. Bona, sive res Ecclesiæ usitata Patrum, & Conciliorum phrasi vocantur PECUNIA CHRISTI cap. 1. C. 12. Q. 2. PATRIMONIUM CHRISTI cap. 16. de Præbend. cap. 34. de Elect. in 6. RES DEI Concil. Trid. Sess. 25. de Reform. cap. 1. VOTA FIDELIUM, PRETIA PECCATORUM, PATRIMONIA PAUPERUM cap. 59. C. 16.
13. Q. 1. Sed quo sensu ista? si Bœhmerum consulam, ad superstitiones & corruptiones Ecclesiæ nostræ has appellationes rejicit. Audiantur propria Vatis Hallensis verba: *Tribuere Christo PATRIMONIUM SPECIALE* (ait ad Tit. de Præbend. §. 18.) *§ persuasum habere, tali oblatione Christum delectari, revera est Christo contradicere. Porro supersticiosa intentione, PRO REDEMPTIONE ANIMÆ, PRO REMISSIONE PECCATORUM bona Christo offerre ad eum placandum (id quod majores nostri fecisse leguntur) revera est ejurare omnem in Salvatore fidem, & sensum veræ pietatis amittere. Et tamen pleraque bona Ecclesiastica maxime ante reformationem Ecclesiæ oblata, vel donata ita acquisita sunt. Quis verò hæc PATRIMONIUM*

CHRISTI dixerit, quæ non Christo, sed superstitioni dicata sunt? Denique quis ignorat, Clericos se dixisse VICARIOS CHRISTI? Neque enim solus Pontifex hoc titulo superbit, sed omnes Episcopi hoc encomio se notasse ostendit Joannes Launojus part. 3. Epist. 2. Imò seipsum quoque se Deos vocari contenderunt cap. 15. C. 12. Q. 1. Non ergò ἀνομιαν esse crediderunt, bona Ecclesiastica, quæ revera secundum jus Canonicum sunt bona Clericorum, vocari PATRIMONIUM CHRISTI, ET DEI, quia & hi quoque sunt VICARII CHRISTI, ET VICE-DEI. Hæc crassa satis Minerva dicta sunt, immodestos hos elamores compescere clamore opus non est. Quod Sacerdotes Dii, & Vicarii Christi vocentur, Scripturæ testimonium habemus Psalm. 104. 2. Mach. 1. Exod. 21. § 22. DEO tamen Sacerdotes per hoc non parificamus, sed excellentiam Sacerdotalis ministerii demonstramus. Audiatur S. Hieronymus super illa verba Christi interrogantis discipulos Matth. 17. Vos autem, quem me esse dicitis? ita discurrens: Prudens lector attende, quod ex consequentibus, textusque sermonis Apostoli nequaquam homines, sed Dii appellantur, cum enim dixissent, quem dicunt homines esse filium hominis? Statim subjecit: Vos autem, quem me esse dicitis? quasi diceret: hominibus, quia homines sunt, humana opinantibus: vos, qui estis Dii, quem me esse existimatis. Si hæc assimilatio non placet Bœhmero, dicat nobis, qui fieri potuerit, ut Christus in SS. Pagina assimilaretur lapidi, petra, leoni, agno &c. cum hæc magis utique recedant à DEO, quam homo, nedum Sacerdos: & tamen, ut Servatoris nostri officia

ficia exprimerent, hac allegoria usi sunt Prophetæ: quid ergo absurdi est, quod Sacerdotes *Dii* vocentur, quorum potestas à Christo in eos transfusa *Divina* est. Bona Ecclesiæ vocantur *patrimonium Christi*, non alio sensu, quam quod pii fideles ob honorem DEI ea Ecclesiæ reliquerint. Et sanè dicere, Christum delectari ejusmodi oblationibus, Christo contradicere non est. *Ipsè enim*, ait S. Augustinus *lib. 2. contra adversar. leg. & Propbet.* munera, *quamvis non egeat, accipit, ut pietate faciat opulentas animas offerentium.* Quod verò dicamus, id genus donaria placare DEUM, proficere ad remissionem peccatorum, quid superstitionis habet? Numquid Scriptum est *Tob. 4. Ipsa eleemosyna ab omni peccato & à morte liberat, & non patietur animam ire in tenebras.* Rursus *Matth. 11. v. 40. Date eleemosynam, & ecce omnia munda sunt vobis.* Quid, quæso, ab omni ratione alienius, quam credere, DEUM nostris oblationibus non placari, sed offendi, & illum omnem in Christum fidem ejurare, omnemque pietatis sensum amittere, qui talibus hostiis propitiare DEUM intendit? sed hæc sunt deliquia fidei dormitantis. Bœhmerus, cum aliquando evigilaverit, ipse sua somnia ridebit.

¶ Pergamus ad alterum, & inquiremus, quandònam cœperit bonorum Ecclesiasticorum alienatio esse interdicta? Certum est, quod à temporibus Apostolorum usque ad Annum Christi 398. nulla lex lata fuerit de Ecclesiasticis bonis non alienandis, eo quippe tempore Episcopis ex dispositione Apostolorum omnium rerum Ecclesiæ dispensatio commissa fuit, ita ta-

men, ut Presbyterorum, & Diaconorum consilio uti necesse haberent, prout ex Concilio Gangrensi *Canone 7. & 8.* & Concilio Antiocheno *Canone 24.* testatum facit Thomassius *part. 3. lib. 2. cap. 1. num. 2. & 3.* Initia hujus prohibitionis referunt aliqui ad Concilium Carthaginense III. *relatum in cap. 39. C. 17. Q. 4.* alii ad Concilium apud Valentiam celebratum, quod illo altero antiquius est, & de quo desumptus est Textus in *cap. 1. de his, quæ fiunt à Prælat.* Successerunt deinde aliæ leges innovantes prohibitionem in dictis Conciliis factam, quas exhibet Gonzalez ad *d. cap. 1. de his, quæ fiunt à Prælat. n. 5. & 6.* Leguntur etiam variæ in hanc rem Constitutiones Imperatorum, quibus rerum Ecclesiasticarum alienatio interdicitur, ut Leonis in *l. 14. C. de SS. Eccles.* Anastasii in *l. 17. C. d. t. Justiniani in authentica de non alienand. aut permut. & in anth. Hoc jus porrectum C. d. t. sed cum hi Principes, utpote Laici, in Clericos, & Ecclesias nullum jus haberent, eorum quoque leges ejusmodi prohibitionibus vim & auctoritatem tribuere non valuerunt, Prohibitiones denique hæc, quæ ab initio duntaxat ad certas species, & ad certa loca restrictæ erant, in variis Conciliis tum particularibus, tum generalibus ampliata, & ad omnes res immobiles, & mobiles pretiosas extensæ fuere, ita, ut earum alienatio Episcopis simpliciter interdicta fuerit, nisi causæ legitimæ alienationem exposcerent, aliæque solennitates à jure præscriptæ concurrerent, de quibus inferius. Vid. Gonzalez ad *cap. 1. de his, quæ fiunt à Prælat. num. 6.**

Ex quibus verò causis tam arcti li-
mi-

mites Episcopis, aliisque Ecclesiarum Prælati positi sint, concors non est DD. Sententia. Aliqui putant, hanc prohibitionem Lege Divina niti, allegantes *cap. 4. de Religios. domib. & c. 51. de R. J. in 6.* ubi dicitur, quod semel DEO dicatum, non est ad usus humanos alterius transferendum. Id quod intelligendum est de rebus autoritate Episcopali, vel Papali ad usum Divinum deputatis, & consecratis, idque regulariter tantum. Casus exceptos unacum uberiori regulæ hujus explanatione dabit P. Reiffenstuel in *Coment. ad d. Reg.* Dicendum ergo est, genuinam hujus prohibitionis causam esse, ipsius Ecclesiæ utilitatem ex *l. 14. C. de SS. Eccles.*

quæ repetitur in *cap. 7. C. 1. Q. 3.* quia valde conveniens est, Ecclesiæ bona conservari, tum, ut ejus honori, & splendori consulatur, tum ut offerentium intentioni satisfiat, tum ut ministris stipendia ministrentur. Gonzalez ad *cap. 5. b. t. n. 10.* fortè altera quoque à verò aliena non est, quam assignat Van-Espen *part. 2. tit. 36. cap. 3. num. 2.* quod scilicet eo tempore, quo, defervescente persecutione tyrannorum, Ecclesia cœpit bona immobilia possidere, nonnulli Episcopi bona illa in utilitatem propriam distraxerint; quapropter expedire visum est, ut ipsis rerum Ecclesiasticarum alienatio inhiberetur, aut saltem certi limites ponerentur.

§. II.

Qualis alienatio circa prædicta bona Prelato interdicta sit?

SUMMARI A.

16. Alienationis nomen hic in sensu latiori accipitur. 17. Bona immobilia Ecclesiæ Prelatus sine solennitatibus Canonice alienare nequit. 18. Limitatur quoad bona immobilia exigui valoris. 19. Quarum taxatio prudentis judicis arbitrio relinquitur. 20. Limitatur quoad bona ab antiquo in feudum dari solita. 21. Item quoad bona Monasteriis bonorum stabilium incapacibus legata. 22. Nec non, quæ urgente necessitate celeriter alienari debent. 23. Bona mobilia pretiosa similiter alienationis prohibitioni obstant. 24. Non etiam immobilia non pretiosa. 25. Quid de pecuniis?

PRenotandum, alienationis vocabulum stricte, & late posse accipi. Stricte acceptum illos duntaxat contractus complectitur, quibus directum rei dominium transfertur, quales sunt venditio, permutatio, donatio, legatum &c. *l. 1. C. de fundo dot.* ubi expressè dicitur, quòd alienatio sit omnis actus, per quem dominium transfertur, & *l. 67. ff. de V. S. alienatum non pro-*

prie dicitur, quod adhuc in dominio venditoris manet. Late acceptum dicit omnem illum actum, quo dominium, sive directum, sive utile, aut aliud quodcunque jus in re, vel ad rem, saltem absolute quæsitum transfertur. Cujusmodi sunt feudum, emphyteusis, hypotheca, locatio ad longum tempus, constitutio usufructus usus, vel servitutis realis. *l. fin. C. de reb. alien. non alienand.*

l. 4.

l. 4. §. 2. l. 8. §. 2. ff. de alienat. jud. mut. caus. (de quibus inferius per distinctas Quaestiones agemus) posterior alienationis acceptio, utpote Ecclesiæ favorabilior, hic locum invenit. per *cap. 5. b. tit. Clem. 1. §. Extravag. Ambitiose eod. cap. 20. C. 12. Q. 2. P. König h. t. num. 2.* His prænotatis

17 Dico I. Bona immobilia Ecclesiæ, (sub quibus etiam res incorporales comprehendendi, supra diximus) Prælati sine iusta causa, & præscriptis solennitatibus alienare non potest. Textus prægnantissimi in *cap. 1. §. 6. b. t. cap. 1. §. 2. eod. in 6. Clem. 1. §. 2. Extravag. Ambitiose eod. inter commun. cap. 1. 7. §. 8. de his, quæ fiunt à Prælat. cap. 19. 34. 50. 51. 52. C. 12. Q. 2. cap. 2. §. Hoc jus porrectum C. 10. Q. 2. Concil. Trid. Sess. 22. de Reform. cap. 11.* Item variæ PP. Constitutiones, quas recenset P. König *h. t. n. 3.* Ratio est, quòd Prælati Ecclesiæ conditionem meliorem quidem facere possit, deteriore autem reddere non debeat. *cap. 2. de Donat.* regulariter autem Ecclesiis melius prospectum censetur, si earum bona immobilia conserventur, & fructus singulis annis obvientes, Clericis ministrantur, quam si, venditione semel facta, omnia consumantur. *cap. 16. C. 12. Quest. 1.*

18 Limitatur tamen hæc Conclusio I. quoad bona immobilia exigui valoris, & Ecclesiæ minus utilia. Quæ Prælati sine consuetis solennitatibus alienare potest per *cap. 53. C. 12. Q. 2.* Nec obstat *cap. 8. b. t.* ubi possessiones minus utiles pro aliis utilioribus non nisi de fratrum, & sanioris partis consensu Prælati alienandi facultas datur. Resp. dictionem *minus utiles* in priori Cano-

ne absolute, in posteriore vero respectivè accipi, ita, ut, ubi bona exigui valoris Ecclesiæ minus utilia sunt, sine consilio fratrum diltrahi valeant, bona vero, de se quidem magni momenti, comparata tamen cum aliis majoris momenti, & commodi non nisi cum Capituli consensu alienari queant, ut explicat Gloss. ad *d. cap. 8. b. t.* & à S. Congregatione Cardinalium decisum fuisse testatur Quaranta.

Quænam verò bona exigui, aut modici valoris dicenda sint, arbitrio boni viri (saltem in Germania, & remotioribus Provinciis septentrionalibus; cum aliud fortè obtineat de praxi Curriæ Romanæ quoad bona Ecclesiarum in terris Pontificiis existentium) relinquendum esse, qui consideratis Ecclesiæ facultatibus, loci consuetudine, & aliis circumstantiis id aestimet, censet Piascius in *Prax. Episc. part. 2. cap. 5. num. 32. arg. cap. 3. de Donat.* ubi donationem modicam facere Abbati quidem conceditur; quæ verò talis sit, attentis circumstantiis reddituum annuorum ipsius Monasterii, valoris rei donatæ, & consuetudinis loci, prudentis arbitrio remittitur; & hinc alienatio respectu Principis, & Episcopi modica, à Prælato inferiore, tenues redditus habente, facta, immodica, & excessus judicari poterit. Vid. P. Wiestner *tract. de alienat. Canon. part. 1. art. 4. n. 10. §. 11.*

Limitatur II. quoad bona ab antiquo quo in feudum, vel emphyteusim dari solita, ad quæ iterato in feudum, vel emphyteusim constituenda manus Prælati ligatæ non sunt. *cap. 2. de feud. d. Extravag. Ambitiose b. tit. inter commun.* Quænam autem dicantur ab antiquo

L1

in

in feudum, vel emphyteusin dari solita, in §. seq. latius exponetur.

21 Limitatur III. quoad bona *immobilia*, vel *mobilia pretiosa*, quæ legantur Monasteriis, bonorum stabilium, incapacibus, ut sunt Monasteria Ordinis S. Francisci Seraphici. Hujusmodi ergo bona etiam sine solennitatibus Canonice distrahi possunt, tum, quod talem alienationem ipse status Regulæ exposcat *cap. exiit §. ad hæc, quia fratribus ipsis de V. S. in 6.* tum, quod talia bona Monasteriis non sint incorporata. *Clem. exivi d. t. P. Wiestner cit. tract. part. 1. art. 4. num. 16.*

22 Limitatur IV. pro casu maximæ necessitatis, quæ celerem alienationem exposcat, ubi etiam non petita superioris venia alienatio facta subsistit, quia necessitas, maximè urgens, & instantanea facit licitum, quod aliàs non esset licitum. *cap. 4. de Consuet. cap. 4. de R. 7.*

23 Dico II. Bona *mobilia pretiosa*, quæ servando servari possunt, à Prælato liberè, & independentè à consensu Capituli alienari nequeunt, eò quod jura *immobilibus* ea purificent, juxta *d. Extravag. Ambitiose. & l. 22. C. de administr. Tutor.*

24 Dico III. Bona *mobilia non pretiosa*, quæ servando servari nequeunt, Prælatus liberè distrahere potest. *d. Extravag. Barbof. de Offic. Episc. alleg. 95. num. 38. & ratio est, quòd, cum hæc*

potestas legatur concessa tutoribus, & curatoribus. *cit. l. 22. & l. 24. C. de administr. Tutor.* tanto magis eam indulgere Prælatis convenit, quippe quorum potestas propter perpetuum officium longè amplior est, quam tutorum, & idè illis modicas etiam donationes facere permillum *cap. 3. de Donat.* non item istis *l. 13. §. fin. ff. de administr. Tutor.*

Quid autem de *nummis* Ecclesiæ dicendum, an illos pro suo arbitrio citra Capituli consensum Prælatus expendere poterit? Respondeo, pro suis, suorumque necessitatibus posse Prælatum, nummos Ecclesiæ sua unius auctoritate expendere, item iis emere, quidquid ad cultum Divinum necessarium, ac decens videbitur. *cap. 47. C. 12. Q. 2.* ubi Navarrus comprehendit omnes etiam sumptus fabricæ, & Ecclesiæ ornamenta.

Circa pecunias ab Antecessore ad comparationem rei immobilis destinatas aliter dicendum, quòd scilicet eas sine solennitatibus alienare Prælatus non valeat, non quidem eò ex capite, ut putarunt Quaranta in *summa Bullar. V. alienatio rerum Eccles. n. 25.* Piafeci in *Prax. Episc. part. 2. cap. 5. art. 4. num. 19.* quod pecuniæ ejusmodi bonis *immobilibus* accensendæ videantur (id quod supra jam dispunximus) sed quod è re Ecclesiæ sit, ut ejusmodi numi ad finem destinatum applicentur.

¶¶¶ (o) ¶¶¶

§. III.

Qui Contractus sub alienatione prohibita veniant?

SUMMARI A.

26. Constitutio hypothecæ generalis Prælato non æque est prohibita, sicut specialis. 27. Quod à multis negatur. 28. Quorum argumentis respondetur. 29. Qualiter transactio ad alienationes prohibitas referatur? 30. Prælatum posse repudiare Legatum Ecclesiæ factum, multorum est Sententia. 31. At contrarium verius esse ostenditur. 32. Quandoam Prælatus sine solennitatibus præscriptis rem Ecclesiæ in emphyteusin, vel feudum dare possit? 33. Resolutio nostra limitatur. 34. Quæ bona dicantur ab antiquo in emphyteusin, vel feudum dari solita? 35. Quæ dicantur bona mensalia? 36. Quid in locatione, & donatione obtineat, remissivè.

Cum in præcedente Paragrapho num. 16. dictum fuerit, sub prohibita alienatione omnia illa negotia comprehendi, per quæ vel *jus in re*, vel *jus ad rem* in alterum transfertur, idcirco in actus, & contractus quosdam específicos jam inquirendum erit, an, & quomodo sub hanc prohibitionis censuram cadant.

26. Quæres I. An constitutio pignoris, vel hypothecæ (quæ etiam species alienationis est. *l. ult. C. de reb. alien. non alien.*) Prælato in bonis Ecclesiæ vetita sit? Solent hic aliqui DD. inter quos est Panormit. ad *cap. 5. b. t. n. 3.* Covarruv. *Var. resolut. lib. 2. cap. 16. n. 7.* P. Wiestner *cit. tract. de alienat. ver. Eccles. part. 3. art. 9. n. 7. & seq.* ac novissimè Clariss. D. P. Placidus Böckhn in *Comment. ad b. t. num. 4.* distinguere inter hypothecam *generalem*, & *specialem*, & hanc quidem, non etiam priorē vetitam esse ajunt, quorum fundamentum principale collocatur in *cap. 5. b. t.* ubi hypothecæ duntaxat *specialis* legitur esse prohibita: ergo à sensu contrario hypothecæ *generalis* hoc

jure censetur esse permessa. Accedit Textus in *Nov. 7. cap. 6.* ubi Justinianus Imperator, hypothecæ *speciali* prohibita, generalem Prælato expressè permittit. Et quanquam hac Constitutione Imperator extra forum jus dixerit, adeoque eadem Prælatos obligare non potuerit, id tamen ex eo evincitur, ut probè advertit laudatus P. Böckhn, quod *generalis* hypothecæ Ecclesiis non æque noxia existat, atque *specialis*, secus enim Imperator, id temporis Ecclesiis faventissimus, unam, ac alteram vetitam esse jussisset. Accedit denique ratio, quod per hypothecam *specialem* plus juris in rem hypothecatam in creditorem transferatur, quippe qui illam, debito non soluto, in specie alienare potest, quàm in hypothecæ *generalis*, quia in ista singulæ res minus obligatæ manent, nec tam propinquum alienationis periculum iis imminet.

Qui utramque hypothecam sub 27 alienationis prohibitionē contineri existimant, inter quos est Magn. P. Shmier *lib. 3. tract. 2. cap. 5. sect. 2. num. 112. & seqq.* & Germanus ejus Frater Clariss.

riff. P. Benedictus Schmier in *Tract. de SS. Eccles. part. 3. dissert. 2. num. 39. & seqq.* uterque meus olim in Jure Professor observandissimus. Inter alia argumenta, quæ apud sæpe laudatum Clariss. P. Böckhn proposita, & resoluta reperies, illud maximi faciunt, quod Paulus II. in *Extravag. Ambitiose b. t. inter commun.* præter alias alienationis species, quas ibi fieri prohibet, simpliciter recenset *hypothecam*, unde verisimile est, voluisse non tantum intelligi *specialem*, sed *generalem*, cum alias hac sua Constitutione nihil statuisset, quod non jam antiquo jure fuisset statutum, quod præsumendum non est, quin potius, quod jus novum hic condere voluerit, patet ex principio *d. Extravag. ubi novam*, & prioribus juribus non *allegatam causam*, nempe *ambitiose cupiditatis*, qua quidam eo tempore in transversum acti res Ecclesiæ *immobiles*, aut *mobiles pretiosas* profanis usibus applicarunt, hujus suæ constitutionis assignat; unde, cum novis morbis nova remedia adhiberi expediat, novum quoque jus condidisse, & quod de hypotheca *speciali in cap. 5.* cautum fuit, ad hypothecam *generalem* extendere voluisse inferendum est. Faciunt etiam paritatem à rebus Minorum, & pupillorum immobilibus, in quibus hypotheca tum *generalis*, tum *specialis* sine Decreto Magistratus interdicta est. per *l. 7. §. 5. ff. de reb. eor. qui sub tut. l. 4. & 5. C. de Præd. Minor.* addunt deinde hanc congruentiam quod illa in dubio interpretatio facienda sit, quæ Ecclesiæ magis est favorabilis; est verò Ecclesiæ favorabilius, si nequidem hypotheca *generalis* sine solennitatibus Canonice sustineatur. Ergo

Ego libratu utriusque partis momenti primam probabiliorem judico, eamque à Rota teneri, ac à S. Congregatione probatam fuisse refert Eminent. Petra *tom. 4. Comment. ad Constit. Apostol. pag. 187. num. 28. & seq.* Et ratio est, quod Ecclesia non æque versetur in periculo damni constituendo hypothecam *generalem*, sicut si res in specie pignoris nexu obliget, id quod mox ex *Responsionibus ad primum AA.* argumentum clarius apparebit. Ideoque ad *d. Extrav. Ambitiose* dicimus, per hypothecam ibi haudquaquam *generalem*, sed *specialem* intelligendam esse, non tantum propter Regulam, quæ habet, quod speciei per genus minimè derogetur, sed etiam ex ratione speciali, quod ibidem se referat Pontifex ad jus antiquitus jam constitutum ibi: *præterquam in casibus à jure permissis.* Unde haud aliam hypothecam excipit, quam, quæ Jure Decretalium jam erat prohibita, scilicet *specialem*. Non divinatoriam hanc esse Responsionem patet ex eo, quod ratio prohibendi non æque in una, ac altera subsit, in speciali enim pignoris constitutione, si debitor non solvat, creditor rem eandem in individuo distrahere, aut in solutum servare potest. Aliud est in hypotheca *generali*, per hanc enim in effectu nil novi constituitur, sive enim omnia bona generaliter obligentur sive non, certum tamen est, quod, si creditori aliunde satisfieri non possit, nihilominus ad alienationem bonorum deveniri debeat, quæ alienatio, sicut non constituta hypotheca, causa cognita, & debitis solennitatibus adhibitis facienda est, ita etiam posita generali hypotheca sine illis fieri nequaquam poterit, ut pluribus

firmat laudatus Petra cit. loc. num. 30. Covarruv. cit. cap. 16. num. 7. Nec enim in arbitrio creditoris est, hanc vel illam rem pro suo lubitu distrahere, sed servato ordine, ut prius bona mobilia, non pretiosa, & his non sufficientibus ad mobilia pretiosa, & demum etiam immobilia justo pretio vendantur, vel dentur in solutum. Molin. Tract. 2. disp. 466. num. 1. Unde fundamentum illius distinctionis non satis assequor, quam facit Card. de Luca discurs. 13. de Credit. num. 17. ubi dicit hypothecam generalem, non cadere sub prohibitionem d. Extrav. ambitiosa in quantum ad pœnas ibidem statutas, bene verò ad solennitates in alienatione præscriptas observandas, cum tamen pœnæ tunc incurrantur, si solennitates non fuerint observatæ: ergò hypotheca generalis non tantum quoad pœnam, sed etiam quoad formam debet esse exempta. Nec etiam illud quidquam momenti nobis habere videtur, quod Pontifex in cit. Extravag. quia ambitiosa cupiditati voluit occurrere, censeatur novum aliquod jus constituisse, contrarium ipsiusmet verba ibidem declarant: *Prædecessorum nostrorum constitutionibus, prohibitionibus, & decretis aliis super hoc editis, quæ tenore præsentium innovamus, in suo nihilominus robore permansuris.* Et sanè insoliti nihil est in jure, quod, quæ antiquitus benè constituta sunt, novioribus constitutionibus rursus innoventur, aut declarentur; hoc autem non est jus novum, sive de novo objecto constituere. Paritas deducta à rebus minorum, & pupillorum AA. non suffragatur, quia textus ibidem allegati loquuntur de re particulari, adeoque etiam

de hypotheca speciali, ut legenti ocyus patebit. Nec illud verum esse credimus, quod favorabilius sit Ecclesiæ, hypothecam etiam generalem esse prohibitam, nam, ex tali hypotheca nihil præjudicii Ecclesiæ infertur, ut supra ostendimus.

Quæres II. An transactio ad alienationes prohibitas referenda sit? Ad hoc quæsitum quidem jam in Tit. de Transact. num. 5. negativè respondimus, lubet nunc datam resolutionem magis declarare. Dicimus igitur hanc prohibitionem duntaxat procedere, ubi res quædam immobilis, aut mobilis pretiosa ab Ecclesia jam possessa cedi debeat; quodsi verò res apud Prælatum remaneat, & causâ litis finiendæ, v. g. pecunia offeratur, Prælato etiam sine solennitatibus transigere prohibitum non est, sicut nec super rebus modicis, & parùm utilibus, aut iis, quarum alienationem Prælatis permissam §. 2. diximus. Panormit. in cap. 1. de Deposit. num. 8. Rebuff. in compend. alienat. rerum Eccles. num. 2. Quaranta in summa Bullar. V. alienatio rerum Eccles. n. 19. §. 5.

Quæres III. An repudiatio legati (idem de hæreditate) Ecclesiæ facti sit species alienationis, adeoque Prælato sine solennitatibus Canonicis prohibita? Negant quàm plurimi, repudiationem esse alienationis speciem, adeoque Prælato permissam, quamvis eum peccare, & illicitè agere dicant, si rem magni momenti Ecclesiæ legatam repudiet, eumque obligatum esse, ut damnum ex tali inconsulta repudiatione Ecclesiæ causatum resarciat, ipsamque Ecclesiam graviter læsam beneficium restitutionis implorare posse. Ita P.

Wiestner *d. Tract. part. 3. art. 3. num. 9.*
 § seqq. P. Reiffenstuel *ad Tit. de his,*
que fiunt à Prælat. §. 2. per tot. cum
 aliis pluribus ibidem relatis. Ratio
 eorum præcipua est, quod Ecclesia, an-
 tequam legatum acceptet, nondum cir-
 ca illud jus quæsitum habeat, sed id
 per acceptationem primum quæreu-
 dum sit: unde Prælati repudiando
 simile legatum, nihil alienat, quod Ec-
 clesie antecedenter jam fuisset, cum
alienationis vocabulum tantum de eo
 jure verificati possit, quod nobis jam
 perfectè quæsitum est, sive deinde sit
ius in re, sive *ius ad rem*. Sic enim
 Paulus *in l. 28. ff. de V. S.* alienationem
 describit: *Qui occasione acquirendi non*
utitur, non intelligitur alienare; veluti,
qui hereditatem omittit: aut optionem
intra certum tempus datam non ample-
ditur.

§1 Sed magis est, ut dicamus, talem
 repudiationem à Prælato factam non
 modo illicitam, sed omninò irritam
 esse, quam sententiam solidis muniunt
 Fundamenti præter alios ex nostris Sa-
 lisburgensibus Magnif. P. Schmier *l. 3.*
Tract. 1. part. 2. cap. 4. sect. 2. num. 64.
 § seqq. Clariss. D. D. Ignatius de Wol-
 leren *in Quest. select. Oenipont. quest. 13.*
n. 18. D. Bonaventura Franz *in Quest.*
select. quest. 4. ac novissimè Clariss. P.
 Böckhn *in Comment. ad b. t. num. 7.*
 Probatur evertendo AA. fundamentum.
 Talis repudiatio aufert jus Ecclesie jam
 quæsitum: ergò est vera alienatio, &
 consequenter Prælato prohibita. An-
 teced. probatur. Ecclesie jam est jus
 quæsitum ad rem legatam, non tam
 ex eo, quod dominium legati à puncto
 mortis testatoris ipso jure ad legatarium
 transeat. *l. 80. ff. de Legat. 2. l. 9. §. 5.*

ff. de Pecul. l. 19. §. 1. ff. ad Scutum Tre-
bell. Quàm, quod in aliarum pro-
 missionum DEO liberaliter factarum
 citra specialem acceptationem, DEO
 consensum supplente, ejusmodi legata,
 aliæquæ donationes cum pleno jure do-
 minii in Ecclesiam transeant, ut com-
 munitè à DD. orthodoxis docetur,
 optimo argumento, à pollicitatione rei-
 publicæ facta, quæ mox, ut liberè, &
 sponte facta est, irrevocabiliter tenet,
 eo, quod ipsum jus talem promissionem
 acceptet. *per l. 1. princ. §. 1. l. 3. §. 9.*
ff. de Pollicit. Ergò Prælati repudiando
 tale legatum, jus Ecclesie quæsitum om-
 ninò aufert, & iniurie alienat. Quod
 ulterius confirmatur ex ipsorum AA.
 confessione, quâ dicunt, Prælatum re-
 pudiando legatum, illicitè, & malè
 agere, ac ad damni Ecclesie illati com-
 pensationem teneri, ipsamque Eccle-
 siam beneficium restitutionis implora-
 re posse? Quomodo autem Prælatum
 peccati arguant, restitutionis obligatio-
 ne onerent, qui Ecclesie jus nullum læ-
 sit? Quo pacto ipsi Ecclesie beneficium
 restitutionis accommodent, quæ læsa
 non censetur, utpote cui jus ante ac-
 ceptationem juxta ipsos ad legatum
 quæsitum non fuit. Restitutio verò
 in integrum est juris læsi reparatio, &
 in priorem statum repositio? Ergò ipsi-
 met AA. fateantur necesse est, Eccle-
 siæ circa legatum sibi relictum jus jam
 esse quæsitum, sive deinde illud sit jus
 acceptandi legatum, vel citra specia-
 lem acceptationem jus immediatum,
 sive dominium rei legatæ. Quocun-
 que autem sensu accipiatur, repudia-
 tio talis legati est species *alienationis*,
 quæ etiam lato modo sumpta juxta om-
 nes est Prælati prohibita. *Ad l. 28. ff.*
de

de V. S. repono cum Clariss. P. Böckhn hic num. 9. l. 5. §. 8. ff. de reb. cor. qui sub tut. ubi repudiatio legati à pupillo sine prætoris decreto facta non tenet, esse enim & hanc alienationem (ait ibi Ulpianus) cum res sit pupilli, nemo dubitat. Quis verò nescit, à pupillo ad Ecclesiam optimum duci argumentum? Præterea cit. l. 28. loquitur in regula; exceptio verò est circa Ecclesiam, aliàsque causas pias, cui, quæ liberali titulo relinquuntur, DEO acceptationem supplente, è vestigio acquiruntur, ut ex communi DD. constat.

32 Quæres IV. Quando nam Prælatus rem immobilem in *emphyteusin*, vel *feudum* sine consuetis solennitatibus concedere possit? Responsum jam præoccupavimus in §. anteced. num. 20. quando scilicet dominium duntaxat directum est penes Ecclesiam, & res jam ab antiquo in *emphyteusin*, vel *feudum* dari solita est, si per mortem ultimi vassalli, vel propter ejus delictum, aut ob non solutum Canonem ad Ecclesiam revertatur, Prælatus iterum liberè, & sine solennitatibus in feudum, vel *emphyteusin* concedere potest, si utilitas Ecclesiæ suaserit. *Extrav. ambitiosa b. t. inter commun. cap. 2. de Feud.* Ratio est, quod per talem alienationem conditionem Ecclesiæ, aut successoris deteriorem non faciat, sed, sicut rem initio sui regiminis utiliter alienatam invenit, ita eam successoris relinquit, quod confirmatur ex tit. 3. feud. 2. ubi expressè dicitur, *minorem* (qui absque debitis solennitatibus alias alienare nequit) posse tamen investire de feudo antiquo, ad se reverso, eò, quod (ut explicat Glossa ibidem) nihil alienare, nec infeudare, sed solum investituram

à majoribus factam cum jure possessionis ab aliis translata confirmare censendus sit.

Hanc tamen conclusionem ita limitant Panormit. ad cap. 8. b. t. Covarruv. var. resolut. lib. 2. cap. 17. ut procedat eo casu, quo prima causa concessionis adhuc perdurat, v. g. Ecclesia possidet castrum, quod propter certa onera magis sibi damnosum, quam utile advertit, dat igitur cum requisita solennitate in feudum; tractu temporis, vel ob mortem, vel ob delictum vassalli redit ad Ecclesiam, durantibus adhuc iisdem oneribus, quo casu potest rursus à successore sine solennitate concedi, non obstante etiam juramento de non aliendo, quod tantum intelligendum est de nova distractione, non verò de executione ordinationis antiquæ. Quodsi verò prima alienationis causa cessaret, ut, cum res inculta ab initio, data fuit in *emphyteusin*, eo præcisè sine, ut reduceretur ad culturam, quæ tractu temporis optimè culta per extinctionem hæredum, vel aliam ob causam reversa est ad Ecclesiam, tali casu non posset denuò concedi sine nova legitima causa, & debitis solennitatibus arg. cap. 60. de Appell. quia scilicet eo casu non eadem, sed potius alia majoris valoris res alienaretur.

Sed, unde sciam, quæres, quæ bona dicantur ab antiquo in *emphyteusin*, vel *feudum* dari solita? Resp. illa censeferi, quæ etiam semel tantum cum debita causa, & solennitatibus aliis in feudum, vel *emphyteusin* data sunt, de quibus, quod adhibitæ fuerint, si conflictet, poterit in ordine ad effectum licitæ secundæ alienationis non solennis dici ab antiquo alienari solita, & duran-

rante prima alienationis causa, ut dictum, iterum sine solennitatibus alienari, quia tunc verum est, quod non alienetur de novo, sed tantum continetur alienatio: sin verò non constaret, alienationem factam fuisse cum legitima causa, & requisitis solennitatibus, tunc, si saltem probetur una vel altera alienatio facta cum cursu 40. annorum, jam poterit dici ab antiquo consueta dari in feudum, vel emphyteusin ad effectum, ut durante justa causa iterum sine nova solennitate alienari possit, dummodo talis res ex post facto reversa, patrimonio, vel mensæ Ecclesiæ pleno jure incorporata non sit, per quod statum suum mutasse censeretur. *Quaranta in summa tit. alienatio rer. Eccles. num. 40.* ubi ita in rota Romana obtentum fuisse testatur. Vid. P. Wiestner *cit. tract. part. 3. artic. 8. num. 13. & seqq.*

Verum rursus quæris, quænam bona dicantur *mensalia*? Resp. illa bona dici de mensa, quæ inserviunt mensæ, id est, sustentationi illorum, qui de tali Ecclesia sunt, ut sunt redditus præbendæ, à quibus bonis differunt bona *communia*, seu, quæ pertinent ad fabricam Ecclesiæ, aut quæ certæ dignitati, v. g. Archi-Diaconatui, vel alteri deputata, ac annexa sunt, quæ etiam de mensa talis dignitatis dici possunt. Plura de his Boehmerus *ad h. t. §. 20. & seqq.* ubi etiam *ad Tit. 6. feud. 1.* ex quo aliqui probare volunt, bona *mensalia* nequidem cum solennitate Canonica alienari posse, fundatè respondet.

An locatio à Prælato solo ultra triennium, sine solennitatibus facta, saltem ad triennium valeat, inferius *ad Tit. de Locat. conduct. §. 2. num. 21.* discussum invenies. Quid possit circa donationes se solo, in *Tit. de Don.* dicetur.

§. IV.

Quæ justa alienationis causa censeatur?

S U M M A R I A.

37. Quatuor communiter cause assignari solent, quæ legitimam reddunt alienationem, scilicet necessitatis, utilitatis, pietatis, majoris commoditatis. 38. Neutra ex his causis interveniente alienatio non subsistit. 39. Quid intersit, an alienatio sine justa causa, num sine requisitis solennitatibus facta sit?

Quæquam Prælati res *immobiles*, & *mobiles pretiosas* Ecclesiæ liberè & independentem alienare nequeant, id tamen non ita simpliciter prohibitum est, quin ex justa causa, & adhibitis debitis solennitatibus licitum quandoque fieri possit. Communiter autem à DD. quadruplex causa assignari solet, teste Panormit. *ad cap. 5. h. t. num. 5.* Prima est causa *necessita-*

tis, ut, si debita quibus Ecclesia gravatur, aliter expungi, aut cursus usurarum sisti nequeat, bona *immobilia*, aut *mobilia pretiosa* alienare necesse sit. *Clem. 1. h. t. & cap. 1. de Pignor. Auth. Hoc jus parvèdum C. de SS. Eccles.* Ratio est, quod ejusmodi necessitas non subjaceat legi per textum in *cap. 2. in fin. de obseru. jejun.* Imò tanta ejus est vis, ut non modo leges vincat *l. 5. ff. de* Of-

Offic. Proconsul. l. 1. C. de oper. libert. sed Canones sibi quoque subicere soleat. *cap. 3. de Feriis.* & faciat licitum, quod alias de jure licitum non est. *c. 4. de R. J.* Secunda est causa utilitatis evidentis. *cap. 1. h. t. in 6. d. Clem. 1. eod. cap. 52. C. 12. Q. 2.* ut si Prælati rem Ecclesiæ viliorem pro meliori commutat *cap. 7. b. tit.* ubi terræ, quæ sylvis extirpatis, arabiles factæ sunt, eis sub annuo censu jure hæreditario concedi permittuntur, à quibus suo, vel parentum suorum labore extirpatis fuisse constiterit; talis enim concessio fit ad Ecclesiæ utilitatem, ut plus habeat à recipiente in *emphyteusin*, quàm perciperet per seipsam, & fit ad rem meliorandam, quæ iterum redeat ad Ecclesiæ. Uade probabilius est, quod non sufficiat utilitas *negativa*, quatenus nempe alienatio Ecclesiæ non apparet esse damnosa, sed requiritur utilitas *positiva*, qua Ecclesiæ conditio reddatur evidenter melior, ut probant Textus in *cap. 52. C. 12. Q. 2. cap. 7. § 8. de his, quæ fiunt à Prælat. cap. 7. b. t.* P. Wiestner tract. de alienat. rer. Eccles. part. 2. art. 1. num. 5. Tertia est causa *Pietatis*, pro redemptione v.g. captivorum, aut alia pauperum necessitate sublevanda. *cap. 15. C. 12. Q. 2. Aurum enim Ecclesia habet, non ut servet* (inquit S. Ambrosius cit. *Caus. § Quest. cap. 70.*) *sed ut eroget, & subveniat in necessitatibus*, & sicut ignominia Sacerdotis est, studere divitiis, & suffarcinatum auro Christum pauperem sequi, ita gloria Episcopi dicitur, pauperum inopiæ providere *cap. 71. ibid.* Quarta demum est causa *majoris commoditatis* (quæ tamen non incongruè ad secundam reduci potest) ut, si res alienanda mul-

tum distet, & ideò incommoda magis sit, quàm commoda. *cap. 8. §. fin. b. t.* ne, quod in favorem Ecclesiarum constitutum est, ad læsionem potiùs eandem detorqueatur. *l. 6. C. de LL.*

Quodsi nulla ex allatis causis alienationem urgeat, illa nequidem cum *Consensu Capituli* facta subsistit; imò, tametsi licentia alienandi ab ipso S. Pontifice obtineretur, deficiente tamen justa causa alienatio facta adhuc impugnari posset, quia licentia præsumeretur *ob- aut subreptitiè* obtenta; siquidem S. Pontifex, tametsi alias solennitates juris sua licentia supplere soleat, defectum tamen causæ, sine qua irrationabiliter res Ecclesiæ alienarentur, nec supplet, nec supplere velle præsumi potest. Redoan. *de rebus Eccles. alienand. quest. 22. num. 75.*

Porrò multum interest, an Prælati³⁹ sine requisitis solennitatibus alienet, an sine justa causa. Nam priori casu successor talem alienationem liberè revocare poterit, neque pretium emptori restituere tenebitur, nisi, quatenus Ecclesia locupletior facta, aut in ejus utilitatem versum esse probatum fuerit, ut paulò post dicetur. Posteriori vero probatio successoris incumbet, Ecclesiam damnificatam esse, & læsionem, tanquam fundamentum suæ actionis probare tenebitur. *l. 1. C. de Probat. cap. penult. de fidejuss.* Aliam notabilem distinctionem affert Quaranta *d. l.* inter alienationem factam ex causa *necessitatis*, & factam ex causa *utilitatis*, quod nimirum sufficiat illam utiliter cœptam esse, tametsi effectus non undequaque bonus sequatur: hic autem effectus sequi, & alienatio effectivè utilis esse debeat. Honor. *b. t. n. 3.*

§. V.

*Quæ solennitates in alienatione rerum Ecclesiasticarum
requirantur?*

SUMMARI A.

40. Et iusta causa, & solennitates conjunctim ad validam alienationem desiderantur. 41. Ad solennitates pertinet tractatus prævius cum Capitulo. 42. Consensus Capituli, & subscriptio. 43. Authoritas superioris. 44. Patroni consensus de necessitate non est requirendus. 45. Quædam notamina subjunguntur. 46. Quis alienationem indebitè factam revocare possit? 47. Quid juris circa emptorem rei malè alienatæ? 48. Alienatio, sine solennitatibus facta potest in favorem Ecclesiæ per subsequenter consentum Capituli ratificari.

40 **N**ec causam solam sine solennitatibus, nec solennitates solas sine iusta causa, sed utrumque copulativè ad alienationem rerum Ecclesiæ requiri, docet nos *Clem. 1. h. t.* ideòque cum priori §. causas legitimas ad alienandum proposuerimus, solennitates, quæ etiam forma alienationis dicuntur, in præsentì §. recenseamus.

41 **A**d solennia alienationis spectat I. Tractatus cum Capitulo. *cap. 1. h. tit. in 6. cap. 8. de his, quæ fiunt à Prælat.* qui nihil aliud est, quam propositio, & discussio capitularis, num conveniat rem alienare, & qualiter, expensis rationibus pro- & contra propositis. Sufficienter autem unum ejusmodi tractatum, nec plures desiderari, ex allatis textibus colligitur. *Van-Espen part. 2. tit. 36. cap. 4. num. 16. & seqq.* Qui tractatus (utpote res facti) intervenisse non præsumitur, sed probari debet. *Panormit. ad cap. 6. de his, quæ fiunt à Prælat. num. ult.*

42 **I**I. Requiritur consensus Capituli legitime vocati, & in unum congregati, hoc est, ut vel omnes, vel major, & sanior pars Capituli in alienationem

consentiat. *cap. 1. & tot. ferè tit. de his, quæ fiunt à Prælat.* In alienatione temporali sufficit consensus Capituli subsequens, ita tamen, ut is non retrotrahatur ad tempus factæ alienationis, sed valor alienationis à tempore ratificationis spectari debeat, ita cum *Panormit. Magnif. P. König h. t. num. 23.* Quodsi Episcopus ob bella, aut aliis de causis Capitulo careat, alios Clericos convocabit, & cum illorum consensu faciet, quod expedire judicatum fuerit. *Panormit. ad cap. 1. de his, quæ fiunt à Prælat. arg. cap. 9. dist. 65. & l. 19. ff. de Tut. & Curat. & cap. 39. C. 17. Q. 4. III.* Ad solennia reducitur etiam subscriptio Capituli, quæ quomodo, & in quibus casibus fieri debeat, *tit. 11. huj. lib.* dictum est.

IV. Debet etiam alienationi accedere autoritas, & consensus superioris. Ubi jus antiquum à jure novo discernendum est. Jure veteri sufficiebat solus consensus Episcopi, si Prælati inferiores, eidem subditi, alienare volebant. *cap. 41. C. 12. Q. 2.* si ipse Episcopus, aut alius exemptus, sua unius auctoritate, adhibito tamen Capituli con-

senſu alienationem perficere poterat. *cap. 52. C. 12. Q. 2.* Jure novo per conſtitutionem *Extravag. Ambitioſæ h. t.* à quibuſcunque Eccleſiarum Rectoribus conſenſus *Papæ* peti debet. Quam tamen *Extravagantem* in Germania, & locis Roma procul diſtantibus ob difficilem ad *Papam* accessum non eſſe receptam, cum aliis teſtatur Clariffimus *D. P. Engel h. tit. num. 15.* qui etiam *num. 25.* defendit, conſuetudinem contra ſolennitates jure poſitivo præſcriptas introduci poſſe, ſi nimirum periculum ceſſet, ne ob intermiſſas ſolennitates alienatio Eccleſiæ graviter præjudicet.

44 Scificitaris: numquid præter ſuperioris Eccleſiaſtici, etiam Patroni conſenſus neceſſarius eſt? Reſpondeo, quamquam ex lege honeſtatis eum exquirere condeceat, de neceſſitate tamen, & ad valorem alienationis non deſideratur. Ratio eſt, quod Patroni conſenſus alienationis ſolennitatibus à jure nuſpiam accenſetur, nec alius caſus, quo Patroni conſenſus intervenire debet, in jure reperiatur expreſſus, quam caſus institutionis, quæ aliter, quam ad præſentationem Patroni fieri nequit *cap. 8. & 14. de Jur. Patron.* Huic noſtræ deciſioni non obſtant Textus in *cap. 31. & 32. C. 16. Q. 7. cap. 13. de Elect. in 6.* quia tantum probant, quod Patroniſ duntaxat inſpectio competat, & cura, ne bona Eccleſiæ dilapidentur, aut aliàs damnum patiantur, quo caſu Rectorem honeſtæ admonitionis conventionem compeſcere, vel Præſbitero Eccleſiaſtico puniendum denuntiare poſſunt. Duas exceptiones dabit *P. Pirhing h. t. n. 62.* quem conſule.

Quod ſi proinde alienatio ſine ha-

tenus recenſitis ſolennitatibus, & ſimul abſque ulla ex prædictis cauſis facta fuerit, ea ipſo jure irrita, & nulla erit, per *cap. 1. de rebus Eccleſ. non alien. in 6. Clem. 1. eod. Extravag. Ambitioſæ. h. t.* Panormit. ad *cap. 1. de in integr. reſtit. n. 17.* Num verò alienatio ſubſiſtat, ſi ſolennitates quidem adhibitæ, cauſa tamen legitima defecit; aut vice verſa, ſi cauſa quidem juſta intervénit, non etiam ſolennitates, utramque quæſtionem diſcutiunt *P. Pirhing h. t. §. 3.* & *P. Wiefner cit. tract. part. 2. art. 6.* quos conſule

Circa hætenus dicta, ſequentia ad-⁴⁵ huc notanda ſunt. I. Ut alienatio, tanquam valida ſubſiſtat, ſufficere, cauſam ab initio contractus allegatam fuiſſe legitimam exiſtimatam, etſi poſtea inſufficiens comperiatur. Læſio enim, ſi quæ ſequatur, tantum erit accidentalis, ideòque locum quidem faciet reſtutioni in integrum, ipſum verò contractum non annullabit. Panormit. in *cit. cap. 1. de in integr. reſtit. n. 17.* II. Cauſam legitimam interveniſſe præſumitur, quando conſtat, alienationem factam fuiſſe cum reliquo ſolennitatum apparatu, quæ tamen præſumptio elidi poteſt per probationem in contrarium vel à Præſbitero ſucceſſore, vel ab ipſo alienante faciendam. *P. Engel ad tit. de Conſtit. n. 58.* contra *Baldum, Jaſonem,* & alios. III. In dubio etiam ſolennitates interveniſſe præſumuntur, ſi nimirum alienatio jam ante 40. annos facta fuiſſe conſtat. Hoc enim tempore etiam præſcribi poſſunt res Eccleſiæ. Et licet omnes alienationes ſine ſolennitatibus factæ à *Paulo IV.* taliter fuerint revocatæ, ut nequidem ulla temporis præſcriptione validari queant, hanc

ipsam tamen constitutionem, ad terminos juris communis fuisse redactam per Pium IV. docet Piascius *num. 17.*

46 Quæres : Quis alienationem sine justa causa, & debitis solennitatibus, adeoque invalidè factam revocare possit? Respondeo I. non solum Capitulum, sed ipsum etiam Prælatum alienantem alienationem à se nulliter factam revocare posse. Navarr. *Consil. 20. ad Tit. de Rescript.* & DD. communiter. Etsi enim aliàs factum proprium nemini impugnare permittitur. *cap. 21. de R. J. in 6.* nec propriam turpitudinem alleganti creditur. *cap. 8. de Donat. l. 4. C. de revocand. donat.* tamen ab hac regulari norma excipitur casus alienationis, eò quòd hic non de commo Prælati, sed Ecclesiæ agatur, & res, tanquam invalidè alienata, adhuc in dominio Ecclesiæ existere censeatur, ideoque à Prælato repeti, & Ecclesia restitui debeat. Sic enim & maritus res dotales temerè alienatas, etiam stante matrimonio, revocare potest, ut defendit Barbof. ad *l. 1. part. 3. n. 15. ff. solut. matrim.* Item pater res ex peculio adventitio liberorum suorum. Pinell. *l. 1. p. 3. n. 73. C. de bonis matern.* Consultius tamen, & ad vitandum scandalum honestius fore, existimat Gloss. in *c. 1. de in integr. restit. V. contractum.* Si tali casu revocatio fiat non per ipsum Prælatum temerè alienantem, sed vel per ejus Superiorem, vel Capitulum, vel alium, cujus aliquo modo interest, alienationem non fuisse factam.

Resp. II. Quòd si Episcopus, Capitulum, aut illi, qui de Ecclesia sunt, res malè alienatas revocare negligant, poterunt etiam Laici Parochiani contradicere. Gloss. in *cap. 37. de Offic. de-*


legat. V. suspectus. Ipsorum enim interest, nè Ecclesia vergat ad inopiam, utpote, qui aliàs in simili circumstantia ad Ecclesiæ reparationem de suo patrimonio conferre tenentur. *cap. 4. de Eccles. edific.* Quin & his negligentibus extranei admitti possunt. *arg. cap. 1. C. 5. Q. 5.* & ubi tractatur de jure publico, quilibet admittitur. *cap. 7. C. 2. Q. 1.* Porro duplex hoc casu actio Ecclesiæ competit, *personalis* contra Prælatum malè alienantem. *cap. 3. de Pignor. Panorm. ibid. num. 3.* altera *realis* contra possessorem rei alienatæ, vel potius *interdictum recuperandæ possessionis*, ubi probatio dominii non requiritur. Quòd si Ecclesia hoc interdicto rem alienatam recuperavit, actioni *personali* contra Prælatum amplius locus non erit. *l. 1. §. si plures ff. de eo, per quem factum fuerat. Pirhing b. t. n. 69.*

Quæres : Quid juris circa emptorem rei Ecclesiasticæ malè alienatæ? Respondeo, si emptor, sciens rem esse Ecclesiæ, eandem sine præscripta solennitate emit, non solum rem ipsam, sed omnes insuper fructus, tam *extantes*, quàm *consumptos* restituere tenetur, ac alius malæ fidei possessor. *cap. 6. h. t. l. 22. C. de SS. Eccles.* amisso etiam pretio, quod non lucro venditoris, sed Ecclesiæ cedere jubetur in *l. 14. §. 1. C. de SS. Eccles.* canonizata in *cap. 5. h. t.* nisi emptor speciali pacto convenisset cum venditore, de *evictione* præstanda, eo quippe casu agere poterit contra Prælatum ad pretium recuperandum. *l. 27. C. de Evict.* Panorm. ad *cap. 6. h. t. n. 13.* Si verò emptor fuerit in *bona fide*, credens, errore *facti*, Prælatum legitimè alienare, tunc pretium lucro Ecclesiæ non cedit, sed poterit emptor primùm qui-

quidem contra Prælatum malè alienantem agere, & si is solvendo non sit, ab Ecclesia pretium solutum repetere, si tamen Ecclesia inde locupletior evasit, aut pecunia in ejus utilitatem versa sit, id quod probare emptori incumbit. *cap. 9. h. tit. Panorm. ad cit. cap. 6. in fin. arg. cap. 1. de Deposit.* nec enim decet, ut Ecclesia cum alterius damno locupletetur per vulgata jura in *l. 14. ff. de condict. indebit. l. 24. §. 4. ff. de Minor. cap. 48. de R. J. in 6.* Sin verò emptor in *jure claro* erraverit, putas, non requiri solemnitates quasdam ad alienationem rei Ecclesiasticæ, tenetur rem cum fructibus extantibus restituere. *arg. l. 7. §. 8. ff. de J. §. F. J.* Quid autem quoad fructus *consumptos*? Sunt, qui sic distinguant: aut jus positivè resistit actui, aut habet se indifferenter, ita, ut nec assistat actui, nec eidem resistat. Priori casu putant, fructus *consumptos* esse restituendos, non item posteriori. Rationem utriusque hanc assignant, quod in priori casu aut *vera mala fides*, aut saltem *presumpta* in emptore reperiatur, quæ propterea ad acquirendos, & lucrandos fructus non sufficit per *l. 14. §. 2. C. de SS. Eccles. l. 1. C. de fid. §. jur. basta*, in posteriori verò bonam fidem adesse, ideòque ad lucrandos fructus *consumptos* sufficere. Bartol. ad *l. 52. §. 6. ff. de hered. petit.* & alii. Mihi placet cum Covarruv. *lib. 1. Var. resolut. cap. 3. n. 8.* sine di-

stinctione dicere, emptori fructus *consumptos* acquiri, tum, quod *mala fides* revera non adsit, tametsi bona fides illa ex omni parte perfecta adhucdum desideretur, id quod probari videtur per *cit. l. 25. §. 6. ff. de hered. petit.* tum, quod ab omnibus sit receptum, quod *bona fides* ex judicis errore orta proficiat ad fructuum acquisitionem, quam conclusionem ego tamen ita limito: nisi fructibus *consumptis* emptor factus fuerit locupletior, hoc enim casu quemlibet bonæ fidei possessorem ad restitutionem obligari docui in *Lib. II. ad Tit. de caus. Possess. §. Propriet.*

Quæ hæcenus de alienatione rerum ⁴⁸ Ecclesiasticarum dicta sunt, ut quod sine debita forma, & causa facta sit nulla, id taliter exaudiendum est, in quantum talis alienatio Ecclesiæ est damnosa, ita, ut Ecclesiæ integrum sit, à tali contractu resilire, aut, si malit eundem per subsequentem Capituli consensum, & licentiam superioris ratificare, emptor eidem stare teneatur. *cap. 42. C. 12. Q. 2. cap. 10. de R. J. in 6.* Redoan. ad *h. t. rubr. 3. casu 6.* & alii. Veluti in simili de pupillo statuitur *princ. Inst. de auth. Tutor.* Ne verò emptor in incerto semper hæreat, & rem non suam frustra colat, poterit Prælatum compellere, ut vel statim, refuso pretio, à contractu resiliat, vel alienationem invalidam confirmet, per *l. 13. §. 27. ff. de act. empt.* Bartolus & DD. communiter.



§. VI.

Quæ pœna in male alienantes statutæ? Et quæ causæ ab earum incurfione excusent?

S U M M A R I A.

49. *Varia pœna de jure antiquiori in male alienantes decretæ recensentur. 50. Hodie illæ obtinent, quæ in Extravag. Ambitiosa determinantur. 51. Ab his pœnis excusat consuetudo contraria. 52. Alienatio adhuc imperfecta. 53. Ignorantia tum juris, tum facti. 54. An stante juramento de non alienando inconsulto S. Pontifice alienatio validè, & sine perjurio à Prælati fieri possit, hæc quæstio cum distinctione resolvitur. 55. Subjunctis duabus limitationibus. 56. An secularisatio bonorum ab iniquitate defendi possit, remissivè.*

49 **V**ariæ jure jam antiquo in temerè, & male alienantes decretæ leguntur pœnæ. Sic in *cap. 5. h. t.* quod Constitutionem Leonis Imper. in *l. 14. C. de SS. Eccles.* recepit, res Ecclesiarum malè alienantes amissione Officii sui mulctat, & ad damnum per ejusmodi alienationem temere factam Ecclesiis illatum resarciendum compelli jubet. Quin in *cap. 13. C. 12. Q. 2.* si Episcopus sine necessitate rem Ecclesiæ alienavit, & Abbates, aliique inferiores Clerici sine licentia Episcopi quidquam de bonis suarum Ecclesiarum distrahentes, jubentur deponi *cap. 13. c. 19. § 41. C. 12. Q. 2.* Illi verò, qui res male alienatas accipiunt, nisi ocyus restituant, ipso facto excommunicantur *cit. cap. 19.* Hodie plerumque ad pœnas in *Extravag. Ambitiosa h. tit. inter commun.* à Paulo II. Decretas attenditur. Sunt autem sequentes I. tam alienans, quàm alienatas res recipiens ipso facto excommunicationem incurrunt, nisi celeri satisfactione sibi prospexerint *cap. 6. h. tit.* II. Prælati majores ab ingressu Ecclesiæ prohibentur, sub

quo interdicto, si per sex menses indurato animo perseveraverint, à regimine & administratione tam in temporalibus, quàm in spiritualibus ipso facto sint suspensi III. alii verò inferiores Prælati, Rectores, & Administratores Ecclesiarum beneficiis, quorum bona alienaverint, sint hoc ipso privati, ita, ut ea, tanquam vacantia, per locorum Ordinarios, aut alios, ad quos collatio spectat, personis idoneis liberè possint conferri, nisi Sedi Apostolicæ essent generaliter, vel specialiter reservata.

Ab his pœnis excusat consuetudo *51* contraria, qua Constitutioni *d. Extravag.* fermè ubique locorum derogatum fuisse, testantur Navarrus *de Censur. Eccles. cap. 27. Excommunic. 25. num. 150.* Sarmiento *de reddit. Eccles. part. 1. cap. 3. n. 20.* Zypæus in *Analyf. ad h. t. n. 2.*

Secundo excusat actus imperfectio, *52* ut si alienatio tantum fuerit attentata, aut ante traditionem revocata, quia verba, maximè pœnalia, debent accipi, *arg. cap. 7. de Elect. in 6. Navarr. Consil. 37. de*

de Sent. excommunic. num. 2. id quod etiam colligitur ex cap. 6. h. t. & Extravag. Ambitiose, ubi in priori textu celeri restitutione alienator sibi consulere posse dicitur, in posteriore verò ad incurrendam excommunicationem receptio rei alienatæ requiritur; ergo ante traditionem, si alienans pœniteat, pœnas non incurrit.

53 Tertio excusat ignorantia facti, & juris, quando scilicet is, in quem res Ecclesiæ fuit alienata, probabiliter ignoravit, rem esse Ecclesiæ, aut, siquidem hoc scivit, pœnas tamen tam acerbis esse statutas nescivit. Ratio est, tum quod cit. Extravag. pœnas in illos fulminat, qui alienare præsumperint, præsumptum autem supponit dolum, & scientiam. Tum, quod censuræ sint pœnæ medicinales, cap. 1. de Sent. excomm. in 6. quæ præsupponunt ex parte censurandi scientiam, & contumaciam. cap. 23. de V. S. cap. 48. de Sent. excommun.

54 Pro coronide h. t. adhuc quæri potest. Quandoquidem hodie tam Episcopi in sua Consecratione, quam Abbates in sua Benedictione juramentum præstare solent, quòd bona immobilia Ecclesiæ suæ, inconsulto S. Pontifice, etiam cum consensu Capituli sui alienare nolint, ut passim testantur AA. an non obstante hoc juramento certis adhuc casibus alienatio à Prælati fieri possit? Resp. cum Panormit. ad cap. 8. h. tit. num. 15. & in cap. ult. de Eccles. edific. num. 6. & seqq. cum distinctione: vel enim Prælati juravit simpliciter non alienare, ut in d. cap. fin. de Eccles. edific. & tunc intelligendum est de alienatione solum illicita, sine justa

causa, & debitis solennitatibus facienda, ut ibidem in cit. cap. resolvit Pontifex, posse nimirum Episcopos, non obstante juramento de rebus Ecclesiæ non alienandis instruere ex causa necessitatis, vel utilitatis, ut explicat Panormitanus, novas Basilicas, prout convenire judicaverint, illisque applicare partem reddituum aliarum jam ædificatarum. Vel juravit non alienare, inconsulto S. Pontifice, ut hodie communiter solent, & tunc non solum de injusta, sed etiam justa alienatione intelligendum erit, ut scilicet nec in casibus à jure permissis sine licentia, & auctoritate S. Pontificis alienationem facere valeat, ita, ut probabilius juramentum violasse censendus esset, qui tali casu prædium aliquod ad longum solummodo tempus locaret. Panorm. ad cit. cap. num. 16.

Addit verò laudatus interpres duas limitationes multum notabiles, quarum prima est, quod alienatio rerum modicarum, aut parum utilium Ecclesiæ tali juramento non contineatur, quod juramentum sit stricti juris cap. 21. & penult. de Jurejur. tum quod res modicæ ex ipsa juris dispositione censeantur exceptæ, ut supra dictum est. Altera limitatio est casus magnæ necessitatis, quo ob moræ periculum, & nimiam distantiam Papa tam citò consuli non posset, nec in eo eventu SS. Pontifices censendi sunt, velle obligare jurantes cum gravi Ecclesiarum damno.

Esset adhuc dicendum de Secularisatione Ecclesiarum, & bonorum Ecclesiasticorum tempore reformationis, ut ajunt, per Romanum Imperium facta,


Et, quam Bœhmerus, & alii Protestantium sacris addicti multis congestis argumentis justificare contendunt. Verùm, cùm præfixam metam præsentis Pagellæ jam attigerint, Quæstionem hanc alteri chartæ, & tempori


reservamus. Interim, quam huic Tractatui epigraphen subjungimus, ut Sæcularisatis quoque bonis protestantes eum veritate subjicere possint, vehementer exopto, videlicet


UT IN OMNIBUS GLORIFICETUR
D E U S.











P SCHARTZ
TRACTATUS
IURIDICUS.
PARS III.

Th
4860